AUCTUARIUM HISTORIÆ NATURALIS CURIOSÆ

REGNI POLONIÆ, MAGNI DUCATUS LITHVANIÆ, ANNEXARUMQUE PROVINCIARUM.

PER

P. GABRIELEM RZĄCZYNSKI
SOC. JESU.

CONCINNATUM.

OPUS POTHUMUM
CUM PERMISSU SUPERIORUM.

GEDANI,
ANNO DOMINI 1745.

AUCTUARIUM
HISTORIÆ NATURALIS
CURIOSÆ

REGNI POLONIÆ,
MAGNI DUCATUS LITHUANIÆ,
ANNEXARUMQUE PROVINCIARUM.

PER

P. GABRIELEM RZACZYNSKI
SOC. JESU.

CONCINNATUM.

CUIS POTIUMUM
CUM TERRARUM SUPERIORUM

GEDANI,
ANNO DOMINI 1721.

PUNCTUM I.

DE FOSSILIBUS.

I.

Terra, est Fossilium fæcunda mater, intrà quam, concipiuntur & generantur illa, successu temporis, arte, labore, impendiis, depromuntur. Dividi Fossilia solent in Terras, Succos, Lapides & Metalla. Terræ, quæ nec ab aqua solvi, nec ab igne fundi possunt, aliæ sunt simplices, compositæ aliæ, simplices cum nulla re fossili, neque cum succo liquido permiscentur, seu nullam substantiam mineralem complectuntur, compositæ, contrà, vel unam aliquam rem fossilem, vel plures continent in se, aut substantiam merallicam, aut lapideam, aut succulentam admistam tenent. Succos Metallicos concretos & liquidos, Lapides, corpora dura & sicca, Metalla, corpora dura sed igne liquabilia, Puncta sequentia explanabunt.

II. EBUR FOSSILE quæstiones multiplices movet curiosis naturæ scrutatoribus, quomodo in subterranea loca Europæ devenit? an delatum non sit ab aliquo ex nationibus dissitis, an ante Diluvium universale, in Europa quoque Elephantes non manserint? aut an à Cataclysmo illo amplissimo, ex Africa, Elephantorum suffocatorum cadavera non provoluta? denique an non ex marga, & reliquis, ab artifice natura productum? In Saxonia Ducali, teste *Wedelio in Exercitationibus Medico-Philologicis*, inventum fuit Elephantis cornu, propè fluvium, è terra cuspide prominens, ostensum nobis, & pro ebore agnitum, quod & examen torni confirmabat. Ab auctore eodem, Elephantis maxilla Tonnensis, & in vicinia Camburgi, Ebur fossile adducitur. Idem Ebur ex fodina Marmoris Esperstettensis, Elephantini dentis frustum ex Northamptonensi agro, dentis molaris fragmina ex Querfurtensibus & Canstadiensibus stratis, servantur *à Scheuchzero* singularis industriæ viro, in colligendis rarioribus naturæ operibus, *Musæo Diluviano* ejusdem asserente. Ossa, & dentes Elephantorum, in Angliæ variis locis, inquit *Woodwardus in Naturali Historia Telluris illustrata & aucta*, eruuntur. De Elephantis dente maxillari petrificato in Islandia, *T. Bartholinus in Volumine Actorum Medic. Hafniensium* scribit. Epistola *Tenzelii* de sceleto Elephantino Tonnæ effosso legitur. De alio sceleto integro ejusdem animalis Quedlinburgi deprompto *Epistola Itineraria XII. Bruckmanni* datur, testaturque, quód etiam in Hungaria, & Transylvania, non rarò Elephantum ossa, ac dentes inveniantur. Et ex radice Montis Jurovicensis siti in Magno Ducatu Litvaniæ, anno 1723. Ebur fossile dentriticum, spongiosum, & quasi calcinatum est depromptum, Gedani à Curiosis Naturæ Scrutatoribus pro Elephantis dente acceptatum, Musæisque illatum. Si autem verus dens Elephantis non erat, animalis cujusdam terrestris, aut marini exotici fragmen putandum.

III. CESPITES FOSSILES sunt terra nigra bituminosa, combustibilis, igni fomitem præbens, nidore nares offendens

dens, Batavis & Germ. Torff, Polon. *Ruda ogniſta.* Filamenta ductilia copioſa apparent *in Torffis*, quæ videntur quaſi arborum cortices eſſe, ſed *Schoockio*, & aliis ſunt filamenta bituminis variegata, in partes, & ſegmenta, diducta. Præfatam terram, inquit *Sinapius Paradoxorum Medicor. Parte 2.* Si quis ſpagyricè anatomiſare noverit, habebit inde liquorem antiſcorbuticum incomparabilem, reperietque non minùs ad Officinas Pharmacopæorum, quàm ad furnos ſpectare. De iisdem Ceſpitibus bituminoſis, plurima curioſa continent *Bruckmanni Magnalia Dei in Locis Subterraneis.* De materia Turfarum ſententiæ variæ *à Dignero in Diſſertat. Phyſica de Turfis*, exponuntur, illi, ſunt hæ glebæ focariæ congeries innumerabilium, in & ſub aqua paludoſo-ſtagnante vigentium, virentium, & creſcentium vegetabilium paluſtrium. Præfatæ Turfæ flammam evidentem de ſe non ſpargunt, niſi ignis fortiter excitetur folliculis. In quibusdam locis Curlandiæ, Ceſpitibus his, exemplô Batavorum, utuntur ad fornaces calefaciendas; idem fit in Ukrainæ parte ſylvis deſtituta, & alibi. In agro Belæ Oppidi Scepuſienſis vergente ad Septentrionem, anno 1705. Locus quidam paluſtris, ineunte æſtate, ignibus ſubterraneis accenſus fuit, arſitque continuò in ſerum autumnum. Multam in extinguendo incendio locavere operam Oppidani, ſed conatu irrito: nempe ardentem focum foſſis clauſerant, quas demum ad ſummum aquâ oppleverunt, verùm nec ſic quidem coerceri potuit incendium, quin ſubinde foſſas traſiliret, & vicinam humum corriperet. Fama fert, proximum incendio ſolum, ſi immiſſo ſcipione perforabatur, ex hiatu iſtiusmodi, hîc ſcintillas, flammas alibi, aut ſulphuroſum fumum, eructaſſe. Denique frequentibus autumni pluviis extinctum penitus fuit terreſtre iſtud incendium. Humus in iis locis, per quæ id ſerpſit, ſesquipede nunc eſt depreſſior. Triplex incendii cinis obſervatus, ſummus aſper, vix unius digiti craſſitie, medius trium digitorum, atque adeò rubicundus, ut ad fabriles operas, rubricæ loco, potuerit adhiberi; infimus luteus duos digitos profundus, quô remotô, ſolum

apparebat, instar furni ardentis, ignitum. *Belius in Prodromo Antiquæ, & Novæ Hungariæ.*

IV. LIGNA FOSSILIA propriè dicta non generantur ex semine, ut arbores, nec inveniuntur cum radicibus, ramis, &c. sed sunt duntaxat trunci erecti, lateraliter disposiți, figuræ variæ, trahentes ortum, multorum opinione, è terra cretosa, quæ paulatim formam ligni assumit, beneficiò ignis subterranei. Eadem ligna sunt gravia, sapiunt quid minerale, dum eruuntur, flectuntur facilè, injecta igni consumuntur lentissimè, emittendo fumum copiosum, & odorem ingratum. Nec *Hartmanno tractanti de Succino*, similia sunt arboreis lignis, nam nec medullæ intimæ, nec corticis externi præbent indicium, foliorum germinibus destituuntur, fibras non mutant, sed easdem retinent quavis sui parte; bituminosa quoque quòd existant, ac variis imbuta salibus, pinguedo terrestris, examen ignis, monstrant, sulphur naribus afflant, destillata dimittunt aliquas particulas oleosas Plura adfert *Stellutus in Tractatu de Ligno Fossili Minerali.* Alia ligna impropriè fossilia, seu quæ olim fuere arbores, ad Regnum Vegetabile pertinentes, postea obrutæ terrâ, aut arenis, tandem fossione depromptæ, vel modò aliò, habent truncos, & ramos compressos, non rotundos, ut observavit *Scheuzerus in Itinere Alpino IX.* compressionisque rationem hanc assignavit, quòd ligna ab aquis diluvianis madefacta, à superincumbente nova saxorum, ac montium mole pressa, in latum sint extensa. Hæc exposita àéri, partim indurescunt, partim dissiliunt in fragmenta, ignem ita concipiunt, ut inservire possint, instar carbonum fossilium. De eisdem Arboribus subterraneis, seu Lignis fossilibus, *Woodwardus in Specimine Geographiæ Physicæ*, ita discurrit: depositа sunt in diluvio ipso, & ab illo tempore hîc jacuere. Ingens numerus effoditur horum Lignorum, è terra quarundam Insularum, ubi nullæ arbores crescunt, nec plantari possunt, propter ventorum ferociam, ac tantam tempestatum austeritatem, quæ non patitur, ut ulla vegetabilia, ultrà fruticum altitudinem, assurgant. Memoratæ arbores

(sive

(sive antidiluvianæ) passim reperiuntur, in petris, saxis, marga, aliisque terræ speciebus tumulatæ, in terra uliginosa & paluſtri, quæ ob bituminosam suam & balsamicam naturam ligna cumulata condere quasi voluit, atque sic ad nostra usque tempora, à corruptione præservare. Venæ plurimæ Succini, & cum illis Lignorum Fossilium, sunt detectæ in Prussia, quæ ex situ, structura, pectine, ramificatione, & detruncatione, vegetabilia esse agnoscuntur, diluvii universalis tempore, procellis maris aliunde advecta, vel ibidem excisa, in arena sepulta, tandem marcida facta, bitumine terrestri, quô Prussica terra abundat, imbuta. *Helwing Lithographiæ Angerburgicæ Parte 2.* Antiquissimæ arbores, nam ut existimo, ante Sæcula aliquot, ante conditum pagum *Gemlice*, in Insula Gedanensi, Germ. Dantziger Werder, Vistulæ eluvione delatæ, vel enatæ inibi ac succisæ, vel violentiâ venti prostratæ, arenâ tectæ, jacuerant in loco humido, hæ, anno 1725, & sequentibus, ab incolis postquam sunt effossæ ac exsiccatæ pabulum igni præbuerunt. Erant ligna quercina nigricantia, picea, ulmi, & nucis juglandis. Teguntur terrâ ibidem etiam nunc ligna similia, & dum parantur putei, apparent congestim posita.

V. LITHOXYLA seu ligna in lapidem durata, judiciô recentiorum, propter succum lapidescentem combibitum, propter moleculas salinas, & saxeo-calcarias, mediante aqueo vehiculo, in poros ligni se insinuantes, ibique subsistentes, post submotas ligno proprias particulas. Lithoxyli nigri Prussici *Scheuchzerus in Musæo diluviano* meminit. Ad arcem Camenecensem inferiorem in Podolia, à fossoribus erutum. In regione eadem pars fundi ad *Siworoby* pagum pertinentis, illius est qualitatis, ut virgulta superposita sibi reddat quasi lapidea. Ligna Carpini, Pol. *Grabowe drewna*, columnæ formam habentia, inter structiles sepes, versa in lapides, in terra Oppidi *Solec*, vicini *Piotrowin* pago. Ligna Fagi & Fraxini, quæ soliditatem saxi assumpserant, & Phegitæ, Melitæ, vocari possunt, item Quercina ligna Dryitæ dicta, sunt inventa ad Vistulam. Agger quidam detinens Stagnum seu Lacum arte

paratum in Volhinia, continebat Carpini plurima ligna saxo similia. Addo Lithoxylis alia petrefacta. Antiquissimus murus Arcis Luceorienſis in Volhinia tenebat lapides, in quorum uno piſciculus, in altero vermes aquatici ſaxei facti. In vicinia Vrbis Varſavienſis ſpina piſcis in Calcario lapide inventa. *Erndtel in Varſavia Phyſicè illuſtrata.* E Pinczovienſibus latomiis depromptus Serpens in lapidem induratus. Cancri marini petrefacti, ſaxoque incluſi dorſum non integrum, & fragmentum chelarum duratum in lapidem, devenere ad manus prope Gedanum. In Bibliotheca Elbingenſi, manus non eſt petrificata, ut innueram antea, ſed exſiccata, inſtar Mumiæ Lybicæ, & quia jam eſt à vermibus multùm eroſa, ſæpius balſamo Terebinthinato, ad conſervationem majorem, illiniri debuerat.

VI. FOSSILIA PETREFACTA à Cultore ſagaci naturæ ſingularium, *Jacobo Klein Secretario Gedanenſi*, circa Urbem, & in ejus viciniis ſtudioſè collecta, Muſæo illata, nobiliora vivis coloribus nitidiſſimè delineata, hîc exponuntur, quibus ſi lapides rariores addideris ibidem repertos, materia ampla ſe offeret ad Lithographiam Pomerelliæ imprimendam. ALCYONIUM, quorundam opinione, fit in mari ex nidis Alcyonum, juxta alios, ex ſpumarum ſordibus craſſeſcentibus, vel è limo, & quadam maris lanugine. Non deſunt, qui Alcyonium ſic appellari tradunt, non quòd ex Alcyonum nidis fiat, ſed quòd Alcyones ſuper illud marinis undis congeſtum nidificent. Quadruplex eſt *Plinio in Hiſtoria Naturali*, primum cinereum ſpiſſum, odoris aſperi, ſecundum molle, odore ferè algæ, tertium candidioris vermiculi, quartum pumicoſius, ſpongiæ putri ſimile, pænè purpureum, quod optimum eſt, & Mileſium appellatum. Alcyonium *Dioſcoridis*, figurâ fungi, ſinè odore, aſperum, parte interna pumicoſum, foris læve. Ex deſcriptione *Imperati Hiſt. Natur. lib.* 27. Alcyonia proximè accedunt ad ſpongias, materia eorum communiter poroſa, dum tractatur ſtridens, conſiſtentiâ lanæ, & molli oſſium, aliarumque ſubſtantiarum ſpongioſitati ſimilis, vegetationis parti-

particeps, radicibus sustentata. Eadem Alcyonia, sententiâ *Langii in Hist. Lapidum Figurat. Helvetiæ*, ex spuma maris tenuissimis sordibus imbuta, mediante sale marino, accedente succo lapidifico, in ipso maris sinu, in substantiam lapideam concrescunt, nomen autem trahunt (ut & supra dictum) ab avibus, quæ à Græcis Alcyones, à Latinis Alcedones vocantur, quia in illis mari innatantibus, exstruunt nidos. Genera duo Alcyonii sunt eidem authori, unum mollius, quod vegetabilem habet consistentiam, aliud durius & lapideum, Poro lapidi affine. Inter Scriptores Rei Herbariæ *Principes Tournefortius & Rajus*, Alcyonia ad classem vegetabilium referunt. Experientissimus *Breynius M. D. in Epist. ad Lochnerum* de Alcyonio miræ & elegantis structuræ, reperto in Mari Britannico, ita definit Alcyonium: est plantæ genus in aquis nascens, fungiforme, figuræ variæ, crustâ in quibusdam scruposâ, in aliis callosâ tectum, substantiæ intus spongiosæ, in speciebus aliis, quasi carnosæ. Veterum Alcyonia, quorum *Plinius & Dioscorides* meminit, quid revera fuerint, ex contractis eorum scriptis, hariolari vix licet eidem. Species variæ Alcyonii, *in Scheuchzeri Oryctographia Helvetica*, notitiæ sunt porrectæ. Enumerantur & *ab Helwing in Lithographia*, Alcyonii species plures, circà Angerburgum Prussicum lectæ, nodosæ, striatæ, stellatæ, ramosæ, turbinatæ, &c. magnitudine atque figura, ita inter se variantes, ut quælibet ferè aliam ostendat faciem. Alcyonii egregia, tam solitaria, quàm inclusa lapidibus specimina, in locis suprà dictis, reperta sunt sequentia. Alcyonium Milesium *Imperati pag* 882. Alcyonium stupposum, seu quartum *Dioscoridis*. Alcyonium durum *Imperati*. Alcyonium bifurcatum *Scheuchzeri*. Alcyonium planum *Comitis de Marsilli, pag.* 82. Alcyonium molle *Imperati pag.* 830. ex petrefactione ferè siliceum. Alcyonium tuberosum, in superficie punctatum, intus fibrosum *Imperati*. Alcyonium striatum & sulcatum, per medium constrictum in lapide. Alcyonium subtilissimis tubulis irregulariter catenulatum. Alcyonium catenulatum in lapide albo. Alcyonium porosè fungosum,

gosum, quasi crustosum & scabrum. Alcyonium conicum in saxo arenario, seu Branchiale ferruinosum *Luidii*. Alcyonium vermiculare, Columelli tam simplices, quàm ramosi *Luidii*, ad quos refertur Hippuris saxea seu Hippuripetra. Alcyonium secundum *Dioscoridis* seu Fabago *Aristotelis*, cujus substantia, inquit *Imperatus*, est composita ex concavitatibus minutis æqualibus, quas membranæ circumdant tenues, similis proinde est spongiæ, & favo, quapropter etiam Favago dicitur. ACULEI seu Radioli læves, alii medii lamellati, alii minimi, compressi alii (quibus congeneres Variatulæ) *à Luidio in Lithophylacio Britannico*, ad Crustacea Punctulata, speciatim ad Echinorum marinorum partes, sunt relati: *ab Hermann in Maslographia*, articulati, latiusculè compressi & porosi, simul plures juncti ac concreti, sunt enumerati, inventi prope Gedanum in lapidibus. BIDENTULÆ *Luidii*, sunt furcata quædam & crenata officula, in Echinis marinis, dentium copulæ seu repagula. BRANCHIALE *Luidii*, est simile branchiis piscium, frequens in saxo arenario cinereo. FUCUS MARINUS, est planta marina membranacea, sub aquis mollis, in aëre rigescens. Fuci marini *à Rajo in Historia Plantarum*, sunt propositi, circá Gedanum inventi sequentes: Fucus tunicatus *Imperati pag.* 861, nonnullis Palma marina, in veste rugosa, flavo-rufa, lapidi arenario, cinereo inclusa. Fucus subtilissimus Puckum versùs repertus. Fuci marini fragmenta continens Pectunculites. Lapis calcarius cum Fuci marini portione notabili. Lapis cæruleus cum Fuco *Tife de Mer Comitis de Marsilli pag.* 81. FUNGUS MARINUS, inquiunt curiosi, tam exactè terrestrem ordinarium fungum interdum repræsentat, ut terrestrem esse assereres, nisi illum daret mare, coloris tamen est cærulei, habetque tria foramina, sicut Malum granatum. Fungitæ plures *à Langio*, *Scheuchzero*, *à Grew in Musæo Regalis Societatis Anglicanæ*, descripti. Præter alios, *Musæo Kleiniano* additus Fungus marinus corallinus seu ex pluribus in superficie calycibus corallinis cavis & contiguis compositus. Fungus corallinus hæmisphæricus albus. Fungus saxeus

saxeus minor *Besleri.* Fungus siliceus minutissimè porosus. Fungus capitatus. Fungus pyxidatus. Fungus lamellatus, superficie partim lævi, partim punctata. Fungus pumiceus. Hi omnes Fungi, ad Maris Balthici littora, & Lacus viciniores, latitabant. MADREPORA, *Bauhino in Hist. Plantarum Marinarum*, Coralliis est affinis, multis cannis ex uno trunco prodeuntibus, & circa ortum sibi mutuò cohærentibus constans, ac favi formam quodammodo repræsentans. Multarum est specierum, ex observatione Lithographorum. Apud *Scheuchzerum in Appendice Herbarii Diluviani*, ponitur Coralliúm primum albidum & foraminosum, secundum cum rotulis punctulatis albis, tertium non ramosum, quartum in longum striatum, quintum compressum punctatum, sextum placentiforme, quod etiam *à Butners in Ruderibus Diluvii Testibus* exhibetur. Madrepora habens ramos musco obductos, altera ferens ramos planos *à Comite de Marsilli in Hist. Physica Maris*, est proposita. Madreporæ elegantissimæ in Gedanensibus agris repertæ, inter has datur Madrepora ramosa *præfati Comitis de Marsilli, pag.* 145. Madrepora calycibus majoribus patentibus referta. MILLEPORA *Imperati*, ex descriptione *Wormii in Musæo*, est germen marinum, substantia ad Coralliúm accedente, sed magis molli & arenosa, quâ ramos infinitos junctim ex se fundit obtusos, æquales, in extremitate porosos, sed rami hi non ultra unciam longi, æquales non acuminati, coloris cinerei. Aliis Millepora *Imperati*, est Coralliúm fossile, cum tubulis, lumbricorum adinstar, crassis, ramosis, & tam in superiore, quàm inferiore parte prominentibus, extremitatibus stellatis, succo petrificante impletis, atque clausis. Icon illius continetur *Parte* 2. *Lithographiæ Helwingianæ, Tabul.* 4 *figur.* 7. Milleporæ integræ ex præfatis Prussicis locis depromptæ. Milleporæ mamillares sex insidentes lapidi arenario plano coloris cinerei, ad littus Maris, propè Zarnovecum, sunt lectæ. Milleporæ placentiformes eidem Musæo oblatæ. Millepora *Imperati* tota saxea, cum tubulorum vestigiis, & ductibus albis, in lapide cinereo. MUSCUS MARI-

NUS auget numerum petrefactorum. Musci marini varii *à Rajo in Hist. Plant.* sunt descripti, in Musæo repositi Musci marini lapidei seu Corallinæ *J. Bauhini*, *C Bauhini*, & Officinarum. Musci corallini subtilissimi supra petram, coloris grisei. PORUS, à crebris poris seu foraminibus, dictus, *Imperato* est è genere vegetabilium, substantiâ Corallio propinquus, ab eo tamen porositate differens, communiter coloris albi. Porus ramosus ob frequentes ramorum incurvaturas appellatur. Porus reticulatus, folio continuo nonnihil crispo, ordine perforatus, ita ut sagenæ figuram repræsentet. Porus tubularis dictus, qui formam tubulorum refert. Pori frondosi, anguini, matronales, &c. *ab eodem Imperato lib.* 27. sunt donati iconibus; similes illis, è divite naturæ gaza, & littoribus Balthici Maris vicini Gedanensi Emporio, eruti, inter quos extat Porus Coralloides *Comitis de Marsilli pag.* 116. ex albo & cinereo varius, Coralliorum rubrorum seminibus conspersus. Porus Corallino-saxeus, coloris ex albo, cinereo, viridantis, & rubro varii, subtus multùm erosus, superiùs obscurè & minutè rosaceus, totus ferè Coralliorum rubrorum materia consperšus, ac tubulis vermicularibus obtectus. Porus Corallino-saxeus coloris cinerei, poris minutulis, rosaceis, confusis. Porus matronalis ramosus, extremitatibus in minutum, concavum, lamellatum os exeuntibus, extra striatus, tophaceus, albidus, in lapide puniceo limoso. RETEPORA seu ESCHARA, juxta *Rauhinum in Hist. Plant. Marinarum*, pro radice principium latiusculum habet, ex quo foliacea quædam, & lactucæ crispæ in morem, substantia exit. Ex *Rondeletii* observatione, est ex dura & terrea materia, contegitur cuticulâ, quæ si detrahatur, apparet alba ac spongiosa, instar cribri, habens formam lactucæ crispatæ. Eadem Retepora vocatur *ab Imperato* Porus reticulatus seu rete aliquomodo exprimens, nascitur que in mari super saxis, & aliquando super lignis projectis in mare. Reteporæ non procul à Civitate *Puck* in Cassubia, ex agro erutæ, aliæ alibi. Reticulum Tophaceum *J. Bauhini* ibidem effossum. STELLÆ MARINÆ, asserto *Jonstoni in Hist. Nat.* de

de Insectis, habent circà corpus rotundum radios quinque, vel septem, vel decem, aut duodecim, initio satis latos, in fine acutum angulum constituentes. Stella arboreſcens à ramorum multitudine denominata, *à Rumphio in Musco Amboino* depicta, Caput Medusæ est *Rondeletio in Hist. Aquatilium*, radios quinque sive truncos habens, in medio os cum totidem appendicibus instructis dentibus parvis pluribus. Quilibet radius statim in binos finditur, hi rursus in ramos binos dividuntur, quousque ad tenuissimos sit deventum. Stellæ arboreſcentis seu Capitis Medusæ, insignis & magna portio petrefacta, extrà Puckum, prope oram maritimam comparuit. Stellarum aliarum specimina integra hactenus non detecta, sed non rarò allatæ massæ calcariæ fragmentis Stellarum ramosarum repletæ. Dictarum Stellarum, & aliarum plurimarum, quisquis desiderat habere exactam notitiam, evolvat *Linckii Librum singularem de illis*, ibi etiam Stella Balthici Maris describitur, quæ est Holsatica coloris violacei, ac quinque radiorum. TUBULARIA testaceis concavis & tubulosis constat. Tubularia Purpurea, *Imperati*, est substantia marina composita ex minutis tubulis, coloris nitidi punicei, ordine inter se dispositis, concavis, intus ac foris lævibus, transversis quibusdam crustis, conjunctis, æquali intervallo distantibus. Tubulariæ variæ *à Luidio in Lithophyl. Britannico, à Scheuchzero in Appendice Herbarii Diluviani, ab Helwing in Lithographia Angerburgica*, sunt propositæ, non paucæ in viciniis Urbis Gedanensis repertæ, inter quas spectatur Tubularia rubra petrefacta, ex loco, German. Bären-Winckel vocato, allata. Tubularia fusca, Tubulariæ Purpureæ *Imperati* consimilis, intus tota saxea, extrà tubulis distinctè prominentibus, & ordine sibi superpositis, aspera, ex agro pagi Stryß, in apertum producta. Tubularia alba spicata, tubulis geniculatis necdum petrefactis, sed marga fusca adstringente repletis. Tubularia alba tota saxea. Tubularia lapidea, tubulis ex lapide nunc griseo, nunc albo confusè eminentibus. Tubularia cinerea tota lapidea ex tubulis subtilissimis structa. Tubularia plana, minimorum tubulorum api-

cibus eminentibus. Tubularia polygonia, in superficie retiformis. Tubularia polygonia saxea. Tubularia cum densissimis tubulis rectis. Saxum calcarium album tubulis minutissimis farctum. TUBULARIA VERMICULARIS dicta à vermibus quos in se contineat. Nascuntur, inquit *Rondeletius Libro de Injectis*, in saxis marinis, & super concharum vetustarum testas, tubuli vel siphunculi testacei, rotundi, asperi, candidi, intus lævissimi, quorum alii recti sunt, alii contorti & replicati, in his procreantur & vivunt vermes, qui foras se exerunt, gratiâ aquæ hauriendæ. Congeries Tubulorum Marinorum, cum cameris latioribus parum convexis, siphunculis ad latera positis, & plerorumque testis conservatis, ad Vistulæ littus occidentale, reperta. Icones Tubulorum, *in Testaceis Aldrovandi* spectantur, & *in Scheuchzeri Oryctographia Helvetica* sunt exhibitæ. Tubulariæ Vermiculari, Alcyonii specimina varia permista, in lapide cinereo. Tubularia Vermicularis secunda prope Civitatem Germ. Putzig, Pol. *Puck*, latitans, à quæsitore curioso detecta. Fossilia plurima rariora, circa Grodnam in Litvania, inventa, translata sunt in Saxoniam, inter ea erant Madreporæ, Milleporæ, Tubulariæ, Hippuritæ, Fabaginis Aristotelicæ species, & Fucus Fungularis *ab Imperato lib.* 28 *cap.* 12. descriptus. Ad extremùm utor verbis cujusdam Lithographi: multa prior ætas tulit, plura præsens detexit, nec secutura nobis pauciora, inter infinitas Regni naturæ opes, reservat. Aliunde advecta præfata fossilia fluctibus rapidissimis Diluvii universalis, & stratis variis intermixta fuisse promulgantur ab iis omnibus, qui de Monumentis; Reliquiis, Ruderibus Cataclysmi, edidere Tractatus. Dum autem ab oppositis quæritur, quomodo varia, per tot annorum defluxum in terræ stratis, à putredine sunt liberata, respondetur, postquam talia corpora, in certa telluris specie jacuerunt tecta, cui naturalis quasi inest salsugo, sulphur, aut quævis alia vis, & succus subterraneus, necesse est, ut simul ob subterraneum calorem, multa huic conservationi tribuamus.

VII.

VII. OSSA FOSSILIA, Germ. Knochen-Steine, id est Lapides ossei, extrahuntur sæpiùs in lucem, de terræ abditis. Hæc, inquit *Teichmeyer in Elementis Philosophiæ Natur. Experimentalis*, ratio anatomica evidentissimè docet, esse veras animalium partes, nam conspiciuntur suturæ, synchodroses, processus, sinus, foramina, in iisdem locis, ubi Anatomia in brutis, & hominibus, illa ostendit. Addit *Vater in Physica Experiment. systematica:* ossa recenter eruta, & igni commissa, æquè ac alia, primò nigrescunt, & spiritum fundunt urinosum. Nec obstat, quòd quædam ex illis magnitudinem ordinariam superant, quoniam aquis mineralibus immersa, facilè intumescunt & extenduntur. Falsum omninò est & *Fabio Columnæ in Dissertat. de Glossopetris*, ossa in terra esse genita, ut *Plinius ex Theophrasto* refert, nec enim natura quid frustra facit, vulgato inter Philosophos axiomate. Dentes ii frustra essent, non enim dentium usum habere possunt, nec ossa ullum fulcirent animal, &c. Ossa ex eodem seminali excremento ortum habere simul cum animali, ipsa experientia & natura docuit, tam in homine, quàm in animalibus sanguine præditis, & ex semine initium habentibus, ac etiam quibusdam aliis, quomodo in subterraneis locis semen hoc inveniri asseritur? quâ experientiâ? hoc si daretur, & hominem sponte oriri esset observatum, vel animalia, ut bos, equus, & similia. Ut plurimùm, ait *Bruckmann in Epist. Itineraria XII. de Gigantum dentibus*, hæc ossa, sub terra, temporis longâ morâ recondita inveniuntur calcinata, fragilia, partim solo manus, digitorumque contactu, in farinam & pulverem comminuenda, rarissimè in lapidem conversa. Non desunt tamen & vera Gigantum ossa, spectavique Romæ, inquit *Bonani in Musæi Kircheriani Classe VIII.* Cracoviam versùs Ædes Sacræ primariæ, in Monte dicto Calvaria, fossilè tenent alligatum catenâ, quod Gigantis costa esse vulgò putatur. Arx *Ryukowka*, in Prussia, costam ingentem, Pharmacopolium Olivense, os vastum spectandum objicit. In ambulacro Monasterii Pelplinensis Sacri O. Cisterciensis, dentes duo effossi, longitudine digiti index vocati.

Dum fundamenta ponerentur, pro *Mariampol* Oppido Palatinatus Russiæ, dentem grandem, humano denti molari similem edidit petra chalybe scissa. In Conventu *Religiosorum S. Francisci de Observantia Lezaisci*, costa grandior est suspensa, dum autem fundamenta ponerentur, pro eodem ædificio, frustum non modicum ossis est repertum. OLLÆ FOSSILES seu nativæ *ex Miechovio, Cromero, Dlugosso, in Opere priore*, satis sunt descriptæ, eas *Jonstonus* antiquorum demortuorum urnas esse affirmat. Crederem, inquit *Balbinus in Hist. Nat. Bohemiæ*, si ex tumulis, non ex argilla media, etiam in Bohemia ad montem Cunaci ollæ effoderentur, aut si urnarum more conformarentur, vel cineres aut aliud continerent, ex quo mortuales esse conjiceremus.

VIII. UNICORNU FOSSILE seu Cornu Fossile, Ceratites Lapis *Boetio de Boot, & Gesnero*, Lapis Arabicus *Cæsalpino*, Unicornu minerale, Germ. Gegraben Einhorn, multorum opinione, constat marga quadam, & Lithomarga alba appellatur; à recentioribus, ad animalium ossa refertur, id persvadente conformatione organica, ossibus animalium perfectè symbolica. Clariùs proferam, Cornua fossilia nihil sunt aliud illis, quàm cornua, non quidem Unicornis veri, à Diluvio universali, residui, sed animalium variorum, aquis salinis subterraneis intimè perfusa & imbuta, tandem diuturnitate temporis, absumpta superflua humiditate, in lapideam conversa duritiem. Ex his nonnulla calore subterraneo calcinantur, cætera manent duriora. Utrisque *Bauschius in Schedias, de Unicornu Fossili*, vires pares adscribit, præcipitantes scilicet, diaphoreticas, & alexipharmacas. Lapis propè Czenstochovienſe Monasterium, de saxo calcario excisum, cornu repræsentabat, cum rugis & plicis æqualiter distantibus, & prope Vielunium, in eadem Polonia, crebrò reperiuntur lapides elegantes, figuram cornuum exprimentes, *Sachs, in Appendice Gammarologiæ*, testimoniô. De margine fluvii *Horyn*, ad *Bahuryn* pagum Volhiniæ, extractum grandius cornu, secundum fundus villæ *Zalin* adjacentis præfato flumini, fossori obtu-

obtulit, tertium prope vicum *Chodaki*, albicans, molle, friabile, adhærens linguæ, apparuit, dum Minera ferri montana profundiùs quærebatur. Appono præfatis fossilibus, Speciale, Rariſſimumque Fossile, hoc est, partem cranii animalis cujusdam grandis, cum alveolis horrendorum olim cornuum, prope Civitatem Prussiæ, Germ. Dirschau, Pol. *Tczew*, è terra erutam, depositam *in Musæo Kleiniano* Gedani anno 1730. Extremitates alveolorum abinvicem distant tribus pedibus, & semitribus pollicibus, ortus alveolorum unius pedis, & semitrium pollicum, hæc latitudo frontis. Radices cornuum in circumferentia unius pedis, & sex pollicum, alveoli, in linea recta, undecim pollicum, altitudo frontis, ab orbita oculorum unius pedis, & duorum pollicum, sinè quarta parte pollicis. Determinare non audeo, cuinam generi Taurorum, hoc fossile adscribendum sit, nisi fortè ad Taurelephantes, ut vocantur, referendum, quorum *Ludolfus in Hist. Æthiopica, lib. 1. cap. 10. ex Philosborgio Cappadociano lib. 3 cap. 2.* meminit his verbis: habet & terra illa maximos & vastissimos Elephantes, immò & Taurelephantes, horum genus, quò ad cætera, Bos maximus est, corio autem coloreque Elephas, & ferme etiam magnitudine. Sic citati *ab Illustri Hans Solane Transactionum Anglicarum num.* 397. *pag.* 227. Ad Zubrorum Familiam, de quibus *Gesnerus ait sub titulo Uri, ex Munstero*, referri non potest, *præfati Kleinii Secret. Gedan.* opinione, in MSS. Ex isto fossili, aliisque suprà adductis, v.g. Unicornibus, Ossibus, colligitur, multùm probabilis esse divisio Fossilium *Celebris Woodwardi in Fossilibus omnium generum*, in realia sivè nativa, quæ verè & propriè talia sunt, & in extranea, quæ cum illis quidem permixta, passim è terra eruuntur, cæterum animalibus potiùs & vegetabilibus primam ac veram sui originem debent, jam inde ab universalis illius diluvii tempore, repetendam.

IX. TERRÆ MEDICATÆ seu quæ vim medicinalem obtinent, & à Medicis potissimùm trahuntur ad usum, hîc attinguntur. In Scepusio subjecto Polono juri, non procul à Neocomio, aliter *Iglo* Oppido, Germ. Neudorff, Marci vil-

villam versùs, Terra medica ex monte effoditur, *Fralichii, in Biblioth. sive Cynosura Peregrinant. & in Medulla Geographica*, testimoniô. OCHRA est terra medicamentaria *Dioscoridi*, de qua agetur inferiùs in Terris pictoriis. CRETA CANDIDA est in medico usu, ibidem descripta. CIMOLIA TERRA à Cymolo Cycladum Insula, appellata, candida, vel in candido purpurea-rara, mollis, modicè pingvis, tangentium manus refrigerans. Eadem nomen Cretæ Cimoliæ, Smectis, Terræ Saponariæ, Terræ fullonum, Germ. Weisse Seiff-Erde, vel Wasch-Erde, propter vim abstergendi, accepit. Quòd ad Cretarum genus referatur, *Aldrovando in Musæo Metallico* non est dubium. Vires illius sic descriptæ *à Plinio*, tumores discutit, fluxiones sistit aceto diluta, panos, parotidas, lichenas, pustulas, illita cohibet. Aphronitrum, Nitrum, acetum, si apponantur, pedum tumores sanat, sed in sole curatio hæc debet institui, post sex horas aqua salsa abluatur. Ambusta igne si statim oblinantur hac terra, inquit *Dioscorides*, non sentient pustulas. Et in erysipelate seu igne sacro usus illius est: verbo, multis in rebus, *Imperati* sensu, conducit. Præterea, nitorem gemmis restituit, vestes purgat, sevum eximit. Effoditur non in Insulis Cycladibus tantùm, sed referente *Bauschio in Schediasm. de Caruleo*, etiam in Buchonia Franconiæ, Bohemia, Misnia, Saxonia: non deest & Volhiniæ protensæ ultrà Zaslaviam, in *Jahodna* pago, ejusque colle impendente *Cwentocha* fluvio, candida, ponderosa, mollis, pinguis, lubrica, frigida, adhærens linguæ. In Oppidis *Sudylkow*, *Slawuta*, & in villa *Pliszczyn*, à figulis in fistulas sive tubulos ad sugendum Nicotianæ fumum formatur, à pictoribus ad deaurationem altarium ligneorum, à lotricibus ad emundationem vestimentorum lineorum crassiorum, smegmatis locò adhibetur: in vasa dicta à nobis *Farfury*, à Germ. Holländisches Geschirr facilè abitura. Spectando vires medicinales suprà enumeratas, Terra Sigillata, Germ. Siegel-Erde, vocari posset, si redacta ad orbiculos, taliter sigillum susciperet, qualiter Terra Bohemica, Livonica, Strigoniensis, Laubacensis, Goldbergensis,

Grziffen-

Grziffenstennensis, Silesiaca, quæ aspectu smegmati duro est similis, tactu lubrica, colore candido mixto fusco, humectata promptissimè dissolvitur, Lemniæ terræ virtute æquiparatur. Terris sigillatis præfatis & aliis, vis adstringens, & bezoartica à Medicis adscribitur, in febribus petochialibus usurpantur, sunt pingves gravesque argillæ, odoris terrei, saporis adstringentis, rubicundi, lutei, fusci, albi, &c. coloris. TERRA SAPONARIA coloris cinerei propè *Arcem Podkamien*, in Russiæ Palatinatu è monte depromitur. TERRA FULLONIA, Germ. Ful-Erde, Masch-Erde, Seiff-Erde, coloris albicantis, rubescentis & flavescentis, in Palatinatu Posnanienſi, ad Oppidum *Swarzedz*, & Pilam fullonicam, eruitur. OSTEOCOLLA, seu Sabulus, Lapis sabulosus *Eraſto*, Germ. Bein-Bruch, Bruch-Stein, multis est margæ species, crescitque ossium fractorum formâ, in solo arenoso, nunquam verò juxta *Alla Anglica*, in pingvi, aut argilloso. Generationem Osteocollæ *Helwing in Lithographia Angerburgica* examinat, decernitque in radicibus, ac corticibus arborum picearum illam formari ac effigiari. Favere tradit opinioni suæ, *Imperatum Hist. Natur. lib. 24. cap. 26.* cui Osteocolla radix est, mutata in lapidem cæmentitium mollem, substantiæque sabulosæ. Idem *Hermannum in Maslographia* sentire testatur. Hæc notitiæ causâ adduco, sed in sententiam horum authorum minimè abeo, potiùs speciem Margæ è terra profluentis, ac induratæ in lapidem, cum *Wormio* statuens. Propè *Leba* Oppidum Capitaneatus Leoburgensis in Prussia, è Monte arenoso à Germ. Polack-Berg denominato, Osteocolla coloris albi (si fuerit tota) depromitur in copia, die S. Joanni Baptistæ sacra, reperta & ad Gedanum, in Monte Hagels-Berg, dum ad planum reduceretur: non infrequens ad Molendinum villæ *Bolszewo*, in Cassubia.

X. TERRÆ ODORATÆ sive svavè olentes, opinione *Cardani de Subtilitate lib. 5.* raræ sunt, frequentes quæ fætent, omnes metallicis commistæ particulis. Circa Camenecum Podolienſe invenitur terra durior coloris cinerei,

globulorum figuram ferens, si imponatur carbonibus vivis, exspirans odorem Benzoini, vulgò Asæ dulcis, quæ est resina stillans ex arboribus, liquatu & fractu facilis. Tenui globum ejusmodi, odoremque percepi. Vicinus Luceoriæ pagus *Kiewierce* in Volhinia, habet profundiores fodinas argillis figulorum, cui permiscentur venæ terræ coloris livescentis, odorem Succini diffundentis in carbonibus, expellentis catharros. Ibidem terra altera redolet sulphur, quando aduritur, ex hac permista figulari argillæ, dum qualitatis nescius artifex vasa elaborata imponit fornaci, extrahit plena foraminibus. Infra utramque terram, bituminosum aliquid fluit, & betulloleo simile. Terra nigricans, ad pagum *Sopoty* Olivensis Cænobii, eruta, prunis injecta Succinum olet.

XI. TERRÆ PICTORIÆ seu quæ pictoribus in usum veniunt, plures sunt macræ, perpaveæ pingves. OCHRA Græcis, Latinis Sil, Germ. Gelbe Erde, Ockier-gelbe, est terræ species coloris lutei, à quo & nomen obtinet. Species ejus sunt quatuor apud *Rulandum in Lexico Alchemiæ.* Prima lapidosa ex fodinis & ad ripas fluminum, secunda est pulvis, & terra arida hærens in lapidibus, tertia est terra sicca, simplex, ad ripas, quarta est vel limosa & tenax, vel marmorosa ex fodinis. Optima quæ est levis, friabilis, carens lapidibus. Invenitur in fodinis Metallorum, præsertim Æris, & Plumbi, & in propriis venis, rubra est dum uritur. Circa *Szydlowiec, Samsonow,* Oppida, & alibi in Palatinatu Sandomirienſi, effoditur simul cum Ferri minera. Eidem mineræ, in Surasiensibus fodinis Volhiniæ aliisque pluribus, adjungitur. Terra crocea seu Ochra in Plumbi fodinis Ilcussienſibus, *Bruckmann in Magnalibus Dei.* BOLUS RUBRA communis, Germ. Rothe, gemeine Erde, in Monte à Polonis *Babia gora* denominato effoditur, quæ putatur erroneè esse Bolus Armena, bolus autem est idem quod terra seu gleba, Armena, id est advecta ex Armenia Pol. *Glinka Ormianska.* Eadem Bolus rubra vulgaris, ad *Miedzyrzyc, Korecki* Oppidum Volhiniæ, è sepulchreto Judæorum deprompta in usu est, apud pictores artefacta varia

inau-

inaurantes. TERRA RUBRA, Germ. Braun-roht, in Palatinatu Sandomirienſi, eſt frequens, inter mineras montanas Ferri. In fundo pagi *Lubomierz* Palat. Caliſienſis, inter Calcarios lapides reperta terra, Terræ Anglicæ, Germ. Engelſche Erde ſimilis. TERRA VIRIDIS obſcuriùs, pictoribus *Terra verde*, prope Chelmnam Urbem Ruſſiæ Palatinatus. TERRA CÆRULEA in fundo Oppidi *Jampol*, in fundo *Wola Wolczecka*, & alibi in Volhinia. In Ruſſiæ Palatinatu, villa *Zaczernie* à Civitate *Rzeszow* diſtans dimidio milliari, habere traditur terram ejusdem coloris. In prædio Pharmacopolæ Elbingenſis ad Habum, terra cærulea inventa, in nitidiſſimum colorem abiit expurgata. Ad *Wzdoly* vicum Palatinatûs Sandomirienſis, ferrifodinæ continent materiam lapideam in grumulos conformatam, hæc dum tunditur în mortario, in lapide teritur, multoties aquâ purgatur, prodit color cæruleus, Berg-blau, pictoribus. Dicta ſubſtantia, Armenius lapis eſſe debet, de quo infra agetur. TERRA LUTEA RUDIS, Germ. Dunckel-Ucker, Pol. *Glinka*, *Uger*, ad radices Montium Cremenecenſium, propè Oſtrogium, in pago *Rozwaz*, ultrà *Lopuszno* prædium, aliisque in locis, frequentiſſima: in Monte Sancti Adalberti prope Crosnam Urbem eſt præſtantiſſima. Ex vicinia pagi *Naliboki* Palatinatûs Novogrodenſis, Terra rubra, Terra lutea, Terra cærulea, Terra umbra denominata, Gedanum eſt allata. RUBRICA FABRILIS, ſeu Rubrica montana, Creta rubra, Germ. Rohte Kreide, Pol. *Rubryka*, eſt ſubſtantia terrea, alia rubra, alia minùs rubens, alia media. Nativa reperitur in fodinis Auri, Argenti, Æris, Ferri, non rarò in venis propriis. Optima eſt non lapidoſa, friabilis, quæ expetitur à fabris & pictoribus. Cum Hæmatite fere convenit, ſenſu *Valentini*, *in Aurifod. Medica*, & in iisdem morbis, in quibus ille uſurpatur, v. g. in nimia hæmorrhagia internè & externè, in dyſenteria, & ſimilibus, præſertim apud pauperes. Præter vulgarem datur tenerior, quæ ſe diffindi patitur. Inter Cremenecenſes montes reperta Rubrica obſcurè rubens & dura. In monte vicino *Skala* Oppido Palatinatûs Sandomirienſis,

latet simul cum Ferri minera, Ætite lapide, & Terra lutea. Tegitur monte, & ad pagum *Grzegorzowice* ejusdem Palatinatus, adhærens Mineræ Ferri. Paratur Rubrica ex Ochra usta, in ollis novis luto circumlitis. CRETA seu Terra Cretica, Germ. Kreide, sensu *Agricolæ de Ortu & Causis Subterraneorum*, materiam, ex qua fit, Calcis saxa resoluta aquis habet, alia assignatur origo Cretæ ab aliis. Genera plura terræ ejusdem, *à Plinio Hist. Natur. lib. 35, à Volaterrano in Philologia*, colores *ab Agricola in Fossilibus*, exponuntur. Præter albam, datur viridis, cærulea, cinerea, nigricans, quæ Pnigitis vocata. Abundat Volhinia Creta candida reperibili prope Ostrogium, in loco *Bielmiarz*, ad Cremenecum in montibus. Domicilium P.P. Carmelitarum Wisnioveci, aliaque ædificia sustinet Creta: ad *Szumsko*, *Huszcza*, *Czolhany* Oppida, colles illâ referti. In fundo *Sadki* denominato, spectante ad *Suraż* pagum, integri montes Cretam tegunt, quæ profundè latitans, post deprompta varia strata, Mineram Ferri sublatam, apparet. Villas si spectes alias, *Ploska* è regione Arcis, inter aliquot fontes Cretam præstantem tenet, in *Hulcza* agro, fons è Creta erumpit, *Kunin*, *Kniebinin*, *Ostrow*, *Zamlynie*, *Białobrzezie*, *Nażaiow*, possident colles cretaceos. Montes, Szumbarienses, Dorohostaienses, Okninenses, campi Białokrinicenses, Pohorilcenses, Plaszovienses, aliique plures, fossili eodem replentur. Iter agenti ex pago *Kuniow Karpilowkam*, & circà *Lachow*, *Noworoczyze*, occurrunt agri parum fœcundi, propter copiam Cretæ durioris. Creta candida, mollis, eaque talis, quæ attacta dealbat digitos, Cerussæ, & Nil albo Officinarum, simillima, inter pagos *Szoniec*, & *Schorzow* Palatinatûs Sandomirienses, è terra ad colorem luteum declinante, accipitur. Civitas *Chelm* ad Palatinatum Russiæ pertinens, cum Arce vicina est in solo cretoso posita, ubi cellaria non ex coctis lateribus, aut lapidibus, structa, sed intrà Cretam sunt efformata. Cretifodinæ numerosissimæ aliæ omittuntur.

XII. TERRÆ FIGULARES, Germ. Haffner-Thon, Töpffer-Erde, sunt coloris varii, in partem quamvis ductæ non abrum-

abrumpuntur, nec exsiccatæ dehiscunt. Argilla præstans effoditur in Palatinatu Sandomirienſi, ad villas *Boryia*, *Baldow*, *&c.* in Palatinatu Caliſſienſi, ad pagum *Magnuszovice*, in Poleſia ad *Wlodzimierzec* Oppidum, devehiturque ad loca remotiora. Ab incolis pagi *Radgoſzcz* conficiuntur vaſa fictilia præſtantiora. Dum montis pars deplanaretur, propter ædificia nova ponenda, in Schottlandia vicina Gedano, apparuit argilla pingvis, fiſſilis, ſeu è numeroſiſſimis incumbentibus ſibi laminis compoſita, quarum aliæ erant coloris nigricantis, cinereæ aliæ. Similis argilla cruſtoſa, ad Croſnam Urbem Palatinatus Ruſſiæ, è Monte Sancti Adalberti eruitur mollis ſucceſſu temporis, ſpiſſa, accedens, ad Ardeſiam. Vaſa, quæ ignis vim ſuſtinent diu, aurifabris ad fundenda metalla, Chymicis ad operationes, ſunt neceſſaria, elaborantur ex argilla pingvi & ſpiſſa, vocantur crucibula, catilli trianguli, German. Schmelz-Tiegel, Goldſchmieds-Tiegel, Pol. *Tygle*, in Civitate *Zolkiew* Ruſſiæ Palatinatus, Oſtrogii in Volhinia, Cmelovi, & Zaleſii, in Minori Polonia, Gedani in Pruſſia, ſi ex pago *Kolebka* advehatur materia. Ex argilla Palatinatûs Cracovienſis formantur vaſa uſibus Officinarum vitriariarum, Officinarum Germ. Hammer dictarum inſervientia, eadem propter firmitatem, & in igne vehementi durabilitatem, etiam Gedanum vehuntur. Argilla nigra, pingvis, ſplendens dum recens eſt, ad uſum aurifabrorum & fuſorum, depromebatur, inter Mare Balthicum, & Templum, in Pruſſico pago *Okſiwia*, primò ſubmotâ arenâ, ſecundò congerie lapidum, tertiò terrâ coloris cinerei, quartò terrâ nigricante, onerariæque navi impoſita, regioni externæ inferebatur.

XIII. MARGA, Germ. Mergel, Pol. *Margel*, eſt terra pingvis, & ſpiſſa, fæcundandis agris aptiſſima, quædam dura, alia arenoſa, alia tophacea, alia lapidoſa ſeu petræ ſimilis. Variat & ratione colorum; in uſu non eſt apud agricolas regionum noſtrarum, propter ſoli pingvedinem, & fimi copiam. Margarum ſpecies decem, Argillarum ſexdecim *Rulandus in Lexico Alchemiæ* enumerat. Typis, *Majoris Tractatus de Marga*

est subjectus. TRIPELA seu Tripolis terra denominata, nam ad Tripolim Urbem Italiæ ejus copia datur, German. Trippel, Pol. *Trypla*, alba vel lutea, attactu aspera. Varia sunt illius genera, quædam substantiam terræ & cretam exprimit, quædam lapides, ac cæmentum. Utuntur Tripelâ Gemmarii, Aurifabri, Tonsores, Politores armorum, granula enim habet duriora atque robusta, quapropter ad poliendum aptissima. Reperiri dicitur circa Ostrogium in Volhinia, ad Sandomiriam, circa Divi Jacobi Ædes, & circa Hortum Collegii P. P. Soc. Jesu, eruitur terra Tripelæ similis, sed asperior, quâ Metalla purgantur. ARENÆ sunt triplices, fossiles, fluviatiles & marinæ, qualitatibus differentes, & coloribus. In Terra Chelmensi, *Pulmo* lacus arenas flavas, subcæruleas, cærasinas, instar argenti nitentes, ejicit. Ferrifodinæ Surasienses, arenam rubram, & viridem, *Okuiny*, aliique pagi luteam continent. Cryptæ proximæ pago *Krzywcze* Podoliæ, arenis coloris varii plenæ. Prope *Bozepole* villam Palatinatûs Pomeraniæ, arena rubea depromitur. Arenæ, quibus micæ seu pulvisculi tanquam argentum fulgentes admiscentur, frequentissimæ. Arenæ tenuissimæ, molliſſimæ, in modulos aurifabrorum, aliorumque artificum opera, conformandæ, Germ. Form-Sand, in locis plurimis; Sandomiriæ in montibus, collibus, cellariis spectantur.

XIV. URNÆ FICTILES SEPULCHRALES plurimæ ex basi arctiore in ventrem capaciorem sensim prodeunt, & inde in collum angustius exsurgunt, præter ossa & cineres, antiquitates varias continent. Urnæ ejusmodi ad Gedanum in Monte Heydenberg à Germ. dicto, sunt inventæ. *Schütz. Chronic. Prussiæ lib.* 1. In monte altero Civitatis præfatæ, inter castrenses operas, *an.* 1656. erutæ urnæ cum ossibus, cineribus & fragmentis Succini. *Pastorius in Sylvis.* Non procul à Torunensi Urbe, Urnæ mortuales effossæ. *Hartknoch in Selectis Dissertat. de Rebus Prussicis.* De cadaverum concrematione, & urnarum repositione in Prussia, *Idem qui supra in Borussia Veteri & Nova*, tradit antiquitates. Tres nummuli argentei Smigeli

in

in Polonia, ex agro prope urnas extracti. *Stieffius in Epistola de Urnis Lignicensibus.* Circa *annum* 1672. ex agris *Wola* pagi vicini Miednieviciis, distantis milliaribus septem Varsaviâ eruta Ethnicorum sepulchreta continentia sub lapidibus vasa repleta cineribus, circumdata gladiis, inter quos consumptos rubigine, unus nonnisi erat servatus usui. *Koralewicz in Additamento Chronic. Fratr. Minor. S. Francisci.* Mariæburgi urnæ extractæ *an.* 1700. in fronte aversa domus *Ewerbeckii Consulis*, Occidentem versùs sita. *Frommius.* Altero lapide à Mariæburgo Civitate, in clivoso agro, inter loca Stumsdorff & Neudorffchen, urnæ ferales sunt depromptæ, ex quibus duæ solidiores albicante constabant materia. In Lichtfeldensi sylva visitur collis, ex eo ante annorum centuriam erutæ ollæ cum ossibus & cineribus. In Stumensi ditione, post pagum Mühlenberg, mons arenosus hominum manu aggestus cernitur, ejus tertiam ferè partem procella nudaverat, arenâque amotâ, innumera ossium combustorum fragmina aperuerat. Pueri rustici urnas pluribus saxis circumdatas protraxerunt, protractas confregerunt, quidquid ossium, cinerumque in ollis reconditum fuit, dissipandum judicârunt. Testæ exhibebant abundè, quàm varii generis ollæ fuerint, quædam nigricantis coloris, quædam extrinsecùs rubicundæ, intrinsecùs nigricantes, aliæ penitus rubeæ. Ex Montibus Elbingæ propinquis Urnæ aliquot majores & minores extractæ. In Culmensi Palatinatu locum non longè ab Urbe Torunio dissitum, cis Vistulam, nonnemo ostendit, qui cæmeterium Urnis refertissimum exhibet. *Reusch de Tumulis & Urnis Sepulchralibus in Prussia.* Circà Torunium, in locis variis, maximè in collibus Arcis *Birglau* urnæ sepulchrales gentilium reperiuntur. *Joenichius in Supplementis ad Wendi. Dissertat. de Memorabil Torunensibus.* Ad Sierakovum Oppidum Majoris Poloniæ, *an.* 1721. in montibus sabulosis, qui olim lacum vicinum obruerant, apparuerunt Urnæ à ventis detectæ, inter grandes lapides positæ, coloris aliæ ad nigrum vergentis, aliæ serpentini, aliæ flavescentis, continentes præter ossa & carbones, etiam Urnulas.

nulas. Incluſus fuerat vaſi uni lapis rotundus, alteri ſtylus oblongus. Pavimentum ſepulchri conſtructum ex lapidibus, ad ulnas ſex protendebatur. Plurima vaſa confracta &, conculcata à concurrente populo ad ſpectaculum, accepta alia, viginti octo depicta *in Collectaneis Vratislavienſibus Naturæ & Medicinæ, an.* 1722. *Lipſiæ impreſſis.* In loco diſtante, milliari uno, à Civitate *Rawicz*, ſimilia vaſa gentilium ſunt detecta. E regione Sepulcreti, *an.* 1674. cum Urnis, & vaſculis lacrymalibus, inventi ad Smiglum, *à Mellen* deſcripti, plures res curioſæ in urnis effoſſis, *ab Adelt* obſervatæ. Alibi, circa idem Smiglum, vaſa funebria eruta, erant efformata ex argilla ſpeciali continente metallum ignotum ſpectatoribus, *Collectaneis Naturæ & Medicinæ* id referentibus. Centuria Urnarum ſepulchralium, in Sileſia & vicina Polonia repertarum aſſervatur Vratislaviæ, omnium materia eſt argillacea, color flavus, vel nigricans, vel cinereus. Adſunt phialæ & patellæ, ſinè dubio ſacrificatoriæ. *Kundmann in Promptuario Rerum Natural. & Artificial. Vratislavienſium.* In agris Pruſſicæ villæ *Wacimirek*, aliquot Urnæ apertæ aratrô, & ad pagum *Barloxno* depromptæ. Icones accuratè expreſſas Urnarum plurium, *Volkmanns in Sileſia Subterranea*, *Hermann in Maslologia*, Urnulas lacrymarum *Moſcardus in Muſæo* exhibuit. Poſterioribus temporibus, crematione abolita, lagena plena cereviſiæ potu tumulis defunctorum imponebatur, qualis ſæpiùs, adhuc in Pruſſia, Samogitia &c. apparet. *Pratorius Orbis Gothici lib.* 4. *cap.* 2. Præter cereviſiam, quòd & mulſum in urceis fictilibus, Pruſſica antiqua gens corporibus defunctorum appoſuerit, *Hartknoch* teſtatur. Pruſſi ad Sæculum decimum & quintum, poſt Chriſtum natum, vaſcula medone, vino aduſto, aut cereviſiâ plena cum defunctis in loculo condiderunt. *Stieffius in Epiſtola de Urnis Lignicenſibus.*

XV. NUMMI ROMANI ARGENTEI cum Trajani Cæſaris icone, in decurſu Sæculi XVI. è terra prolati ab incola *Staniatki* villæ, in Cracovienſi Palatinatu. Moneta argentea Aurelii, aliorumque Cæſarum, teſtaceo vaſi incluſa, inventa

inventa ab agricola, Sæculo præsenti, in *Kiewierce* pago Volhiniæ. Ætate eadem, Nummi argentei numerosi ex agro Volhinensi aratro moti ad villani manus pervenere. Una facies nummi, caput laureatum exprimebat, cum inscriptione, *Imp Maximinus Pius Aug.* in facie altera, effigies Ideæ sedentis spectabatur, cum inscriptione, *Salus Augusti.* Secundus nummus caput *Herennii Etrusci* ferebat, sub inscriptione, *Q. Her. Etr. Mas. Decius Nob. C.* aversam faciem occupabant manus duæ complicatæ, cum inscriptione, *Concordia Aug.* Tertius nummus capite, & inscriptione hac insignitus: *C. Valens Hostilianus Quintus N. C.* in opposita parte, miles dexterâ hastam, sinistrâ clypeum tenet, inscriptio addita, *Marti Propugnatori.* Alii nummi diversas effigies, & inscriptiones, exhibebant curiosis. Nummuli argentei tres, Smigeli in Polonia, ex agro prope Urnas extracti. *Stiefius in Epistola de Urnis Lignicensibus.* Maxima copia Antoninorum nummorum est in Prussia, & in Polonia, *Bayeri, in Tractatu de Nummis Romanis in Prussico agro repertis* testimoniô. NUMMI S. ADALBERTI propè rus *Gembice* Posnanensis Palatinatûs reperti, *in Hist. Naturali Regni Poloniæ pag.* 14. descripti. De his *Author Elucidatæ Prussiæ* habet sparsim sequentia: in Nummi parte una cernitur effigies viri insidentis throno, in capite ferentis galeam, tenentis gladium longum & latum, super genua, cum inscriptione, *Buleslaus*, in parte altera facies radiis cincta, additum lemma: *S. Adalbertus.* Moneta hæc ex argento optimo facta, molis atque crassitiei tantæ, quantæ est grossus præsens Pruthenicus. Boleslaus præfatus utrum ponendus sit inter Bohemicos, vel Polonicos, aut Silesiticos Boleslaos regentes, ad ulteriorem refert informationem. Post multa, concludit esse hunc nummum Boleslai I. Regis Poloniæ, propter rationes sequentes: Primò, quia iste redemit corpus *S. Adalberti* à Pruthenis, ac Gnesnæ tumulavit, singulari devotione. Secundò, expressio literarum convenit cum illa efformatione, quæ fuit Boleslai I. temporibus. Objici potest, quòd Polonia ad regimen Casimiri Magni, scilicet ad annum 1347. pecuniam nullam habuerit,

erit, sed nonnisi argenti frustulis utebatur, & pellibus Hermelinorum, sed *ex Dlugossi Historia* nonnemo deducit, quòd *anno* 1041. Summo Pontifici dabatur moneta, S. Petri grossus appellata. NUMMI ARABICI ARGENTEI, de quibus *Kehr in Monarchia Asiatico-Saracenica Statu*, ita ait: in Nehringia Gedanensi, id est angusto terræ tractu, longè in Mare Balthicum protenso, *anno* 1722. *die* 2. *Junii*, rustici sex ex vico Stegen, dum piscationi intenti retia ad mare colligunt, in ipso littore, centum circiter à mari passibus, unum nummum argenteum arenâ leviter cooperatum, tres in arenæ superficie sparsos, tum discussâ ad cubiti altitudinem arenâ, duodecim alios, veluti ordine in cumulum positos, denique ulteriùs indagantes, unicum adhuc invenere, & ad Præconsulem detulere. Hi nummi septemdecim receperant inscriptiones Arabum, Kuficâ scripturâ efformatas, inter alias, non est Deus ullus, nisi Deus ille unicus, non est socius ei. Machammedes est Apostolus Dei, qui misit eum cum directione, & religione vera. Unus nummus cusus erat, juxta Christianorum computum, anno Christi 724. secundus, an. 746. tertius, an. 797. quartus, an. 802. quintus, anno 806. alii annis sequentibus, usque ad annum 813 inclusivè, ex imperio Monarcharum Arabicorum, *Al-Mansor*, *Harun*, *Raschid*, *Al-Mamon*, aliorumque, in Metropoli Chaldææ, Persiæ, & Transoxanæ.

XVI. CRYPTÆ NATURALES, Pol. *Pieczary*, *Lochy podziemne*, sensu *Kircheri*, *in Mundo Subterr.* à Divina Sapientia in intimis terræ visceribus, ad necessarios rerum naturalium usus constitutæ. Vocantur aliter Antra, Specus, Speluncæ, Cavernæ subterraneæ. Descripseram breviter *in Volumine priore*, *pag.* 15. Cryptas Podolienses ad pagum *Krzywcze*, nunc acquisita ampliore informatione, appono sequentia. Cryptæ præfatæ distant Camenecô milliaribus tribus, ab Oppido, non pago Krzywczensi, parte quarta milliaris, itur ad illas Camenecô, per Zwaniec oppidum, in colle sylvula tecto, cernitur fovea rotunda, in quam descensus datur per gradus ligneos, ibi occurrit aditus, instar januæ parvæ, quâ transmissâ, objicit

se

se visui, quasi quoddam conclave, in pariete continens tria foramina, totidem foribus apertis similia, ex his foramen medium est electum à curiosis lustratoribus projicientibus fragmenta frondium ad signa, erroresque vitandos, ubi spatio horarum trium deambulantibus apparebant anfractus numerosissimi, adinstar Labyrinthi, dispositi, dum autem reverterentur ad foramen prædictum, aliud collaterale sunt ingressi, in mæandris variis ipsius naturæ, non artis molimine efformatis, plus quàm quatuor horis morati spectârunt curritoria ad cubitos fere octo in latum protensa, ad novem & ampliùs alta, camerata, arena candida & pura in pavimentis conspersa, parietes ex speculari lapide seu Selenite transparente, lucidissimo, albo, in gypsum convertendo, supra quos, moles repræsentantes pergulas assurgebant, nec deerant figuræ florum egregiæ, quasi ab artifice, panis saccharitis elaboratæ, præterea animalium imperfectorum icones. Ibidem fontes perennant, rivi erumpunt. Aderant aliqui, qui in iisdem locis, ab hora nona matutina, ad nonam vespertinam, æstate, errabant. Relatum est primò *ab Illustriss. Martino Kacki Castellano Cracovienſi, Generali Artileriæ*, hærede *Krzywcze* bonorum, quòd Officiales aliquot ex Præsidio Camenecensi curiositate ducti, viatico instructi, militibus armatis stipati explorarunt per triduum, ubinam hæ Cryptæ desinerent, sed labore inani, dixere reduces se nullo modo terminum invenire potuisse, vidisse tantùm parietes lapideos coloris rubri, albi, violacei &c. incidisse in foramen ulnaris extensionis, cujus profunditatem investigando immisimus cum bolide funiculum ad octoginta ulnas extensum, sed fundum non attigimus. Relatum secundò *ab eodem Castellano Cracovienſi* Patribus Societatis Jesu Cameneco ad aulam advenientibus, cum *Illustriss. Stanislaus Rzewuski Palatinus Podlachiæ & Dux Campi*, post visitatum Fortalitium Camenecense, illas lustraret Cryptas cinctus milite instructo armis, aulicis, tibicine, tympanistis, ad terrorem, & expulsionem ferarum immanium si laterent, post horas duas in antro advertit Danicum Canem fidelem suum abesse,

hunc etiam post longam inquisitionem non repertum, existimabat à bestia aliqua ibidem devoratum. Septimanâ exactâ rustici milliaribus tribus inde distantes Canem adverterunt egredientem è caverna exigua, & ut inferebant illum esse Campiducis, remiserunt. Præterea Joannes de *Campenhausen, primò Colonellus postea Generalis Major S. R. Majestatis & Reipubl. Polonæ* invisendo curiosè easdem Cryptas, horis sex & ampliùs, retulit esse repletas partim arenis, partim terra alba solida, partim petris, ibique ob amplitudinem & altitudinem quindecim fere cubitorum, spatium unum vocatur Forum, aliud Culina, propter parietes denigratos, in loco tertio apparet figura sedilis. Invenitur Lac Lunæ seu Agaricum, saxatile minerale, Germ. Monden-Milch, quod *in Puncto V. num. III. sub titulo Mons Vetulæ*, describitur: In Scepusio ditioni Polonæ subjecto, *Haligotz* inter petras & saxa habet casulas, quas plebs inhabitat, ibidem sunt Carpatica antra admiranda, olim Draconum, quemadmodum vulgò creditur, perfugia. *Belius in Prodromo Antiquæ & Novæ Hungariæ pag.* 116. *Idem in Prodromo eodem pag.* 76. ponit sequentia: ossa reperiuntur insolitæ molis & formæ, quæ siquidem cum nullis animalium ossibus comparari poterunt, etiam ab anatomiæ peritissimis, in eam multi veniunt sententiam, ut credant Draconum esse reliquias, qui aquis Noachitici diluvii sunt extracti. Habeo ossa ejusmodi complura, cranium miræ formæ, quod cum nullis quadrupedum conferri potest, vertebras, dorsi costas insanæ longitudinis, coxendicis fragmentum, tibias &c. Osseum ejusmodi usum in medicinam transtulere agrestes &c. & potuere longiore situ ex subterraneis halitibus, quos attraxere, quidpiam medicæ facultatis accipere. Cracoviæ Caverna Draconis, Pol. *Smocza iama*, quòd protendatur longè, in uno loco existat arctior atque depressior, in altero latior, simulque altior. à teste oculato accepi, quòd autem se exporrigat etiam ad Montem *Vavel* petrosum, imò vestibulum Palatii Regii in eo positi, opinio est aliquorum. A *Skala* Oppido Palatinatûs Cracovienſis, milliari dimidio remotæ Speluncæ duæ, quarum

prima

prima intrà limites Arcis Oycovienſis, ad crepidinem rupis altiſſimæ imminet *Prądnik* fluviolo, ſecunda, ex adverſo, in ſylvis villæ *Ciaiowice*, Regia eſt appellata. Hanc ingreſſus cum accenſis lampadibus, videbis perfectè rotundam ædem, ſtillasque ſenties rupis quaſi ſudantis lapideſcentes. In eadem ſpecu, multò magis ſtupendum naturæ artificium deprehendes, rotundam itidem, ſed vaſtiorem ædem, de cujus centro aſſurgit columella, ingentis perfectique ſemicirculi, ab omni parte teſtudinis, bajula. Inde porrigitur ulterior porticus, ad ſexaginta ferè paſſus, ædiculas rotundas concamerationibus paribus egregiè ornatas exhibens, quarum media & altitudine, & pulchritudine eſt excellentior. *Tiskorski in Floſculis Sacræ Eremi Beatæ Salomeæ Virginis.* Regio dicta Pokutia, pars Ruſſiæ Palatinatus, antrum Specularem lapidem continens, ad villam *Sarnki*, curioſo exhibet ſpectatori. In eadem Pokutia, rus *Oleiowa* ſpeluncam habere traditur, centena aliquot hominum continere capacem. Pagus *Buſzcza* Cryptis vaſtis, porrectisque in longum, pro depoſitorio domeſticæ ſupellectilis, pro aſylo, ſæpius uſurpata, incurſionum Tartaricarum tempore, in Volhiniam. Dum minera Ferri montana, propè *Suraż* pagum ejusdem Volhiniæ, effoderetur, *an.* 1722. apparuerunt meatus petricoſi ſubterranei. Oppidum *Studenica* Podoliæ, vicinam ſibi cavernam poſſidet, inter rupes: *Bakota* circumferentiâ fundi alteram claudit cautibus horridam. Petra ſublimis vicina *Czerce* pago, & *Smotrycz* fluvio Podolienſi, unico anguſto aditu excipit luſtratores aſcendentes per ſcalam, aſt poſt non magnum ſpatium, in cavitates amplas diducta, numeroſos ruricolas Tartarorum manus effugientes ſuſcipiebat, unà cum alvearibus, ad victum neceſſariis, & utenſilibus. Ad *Korolowka* pagum ejusdem Podoliæ, ſunt Cryptæ, ſingulari induſtria naturæ, elaboratæ, ſpatioſiſſimæ, in partem omnem protenſæ longiſſimè, mæandris plenæ, labirintho perſimiles. Eas dum unus è Senatorum cœtu, comitatus plurimis luſtrat, in Veſpertilionum numerum ingentem incidit, cum non modica difficultate, atque periculo, à ſemita aber-

rans rediit, nam faces extingvebantur. Multi authores, Veſpertiliones avibus annumerârunt, ea ratione adducti, quòd volant, idque ſolis avibus proprium eſſe putârunt, tum quia binos tantùm pedes habent. Hæc collectio ſi valeret, inquit *Kirchmajerus in Epiſtola*, Dracones bipedes volatilesque pariter, aves eſſe deberent, quin & piſces volatiles. Non pennis, pinnis potiùs gaudent, lac habent, & pullis idem præbent, nec ſuis carent dentibus & auribus aſininis, mintrant denique ut mures alii. Fundus Podolici pagi *Zalucze* cavernas ſubterraneas habet, hæ milliari uno remotæ, ab *Ormiany*, quid contineant, in Opere priore inſinuatum. In Urbis Camenecenſis foſſa, ad Orientem, dicitur aditus eſſe ad meatum ſubterraneum ſe protendentem ad *Mukſza* fluvii vicinitatem. In Eremo *Czerna* R. R. Patrum Carmelitarum Diſcalceatorum milliaribus tribus ab Urbe Cracovia, diſtante, antrum S. Onuphrii appellatum, à natura eſt efformatum. In Monte Vetulæ, milliaribus decem, à prædicta Cracovia, remoto, Speluncæ conſpiciuntur inter rupes. Plures Cryptæ in Regno, hactenus à nemine animoſè ac curioſè perluſtratæ, ad paginam non deducuntur.

PUNCTUM II.

DE GEMMIS, LAPIDIBUS NOBILIORIBUS, IGNOBILIORIBUS, FIGURATIS, VULGARIBUS.

I.

LAPIS in genere eſt minerale durum, grave, non ductile, in aqua non ſolubile, in igne non facilè fuſile. Dividitur in pretioſum, rarum, & vulgare. GEMMÆ ſunt lapides parvi, rari, duri, & pulchri. Lapides pretioſi

tiosi sunt corpora solidissima, densissima, ponderosissima, splendentia, partim pellucida, partim opaca. Insigniores lapides sunt velut medii inter pretiosos, & communes, quorum substantia, & accidentia, scilicet durities, mollities, gravitas, color, *à Boetio de Boot in Hist. Gemmar. & Lapidum*, fusè describitur. Lapides pretiosi ex materia subtiliore, vulgares ex crassiore & impuriore fiunt, eadem materia bene compacta duritiem, ac gravitatem facit. His præmissis, reduco Lapides nobiliores, & ignobiliores ad elenchum, ordinemque alphabeticum, id est exhibeo Lithographiam Regni Poloniæ.

H. ACHATES, Diaspros *Imperati in Hist. Naturali*, Germ. Achat-Stein, Pol. *Achatek*, *Agatek*, ab Achate fluvio Siciliæ denominatus, in quo primò inventus. Idem, propter colorum varietatem maximam, apud veteres multa obtinuit nomina, Phassachates, Cerachates, Sardachates, Hæmachates, Corallachates, Leucachates, Dendrachates. Per Leucachatem transeunt venæ albæ, vel totus albicat, Sardachates, modo Sardæ rubens, Hæmachates venis sangvineis pictus. Achates Indicus seu Dendrachates, nemora, arbusculas, refert, alius colles, flores, flumina, & animalia. Achates lapis est durior, exactam polituram admittens, interdum semidiaphanus seu semitranslucens, sæpiùs non perspicuus. Probatissimus *Rueo in Libro de Gemmis*, qui leoninæ pelli similis, item niger lineis albis intersectus. Differt judiciô *Boetii de Boot*, à Jaspide, duritie, & lævore. Jaspis enim etsi omnes colores habeat, quos Achates, tamen mollior est, ac ex crassiori terrestri materia conflatus, Achate magis opacus. Sæpe Achati associatur Jaspis, & Jaspidi Achates. Ab Onyche differt, juxta *de Laet in Gemmis*, quòd Onyx zonas versicolores habeat, Achates verò lineas, maculas, & rerum variarum imagines. Olim plurimùm æstimatus, nunc propter copiam, in India, Ægypto, Creta, Sicilia, Germania, Bohemia, vilior. Mole tanta excrescit, ut pocula fieri ex eo possint. Achatis rubri, nigri, & albi magna copia est circa Francobergam Hassiæ, in eo interdum figuræ avium, insectorum, vegetabilium à natura depictæ

pictæ reperiuntur, sic *Valentini in Prodromo Historiæ Naturalis Hassiæ* innuit. Musæum *Gottvaldianum*, Gedani emptum, Petropolim translatum continet Achates plurimos Prussiæ. Species eorundem lapidum variæ, *ab Helwing in Lithographia Angerburg.* positæ, & circà Gedanum, Puckum, alibique sunt lectæ. In *Latifundiis Radzivilianis*, circà pagos *Naliboki*, *Piaseczna* Palatinatûs Novogrodensis, item circa *Koralicze*, *Niedniewicze*, *Swierzno*, Specimina elegantissima Lapidum nobiliorum sunt detecta, Musæo Regio Dresdensi oblata, alia Gedani à me, multisque visa, in quorum numero fuerat Achates magnus purissimus, in aquea obscuritate, venulas rubras, & nebulas albidas ferens. Achates grandis mundissimus, coloris leviter purpurei in pauca diaphanitate bracteatus. Achates minor venis impurè eburneis purpuream pelluciditatem intercipiens. Achates lacteus seu Leucachates quodammodo rubescens, Hæmachates ingens, maculis aurei coloris distinctus, Achates ruber priore minor & pallentior, pariter micans, Achates non inquinatus coloris chalybei, sed substantiæ nonnihil fibrosæ, Achates coloris amethystini sed impurioris, intus subtilissimè bracteatus. Achates coloris grisei semitransparens, in maculis rubris auro nitentibus, quasi *Pietra di aventura*, Italicô vocabulô dicta, Achatino fluori misceretur. Ex isto lapide manubria duo Polonicæ frameæ sunt efformata. Achates permistus Jaspidi & Calcedonio, Jaspachates seu Jaspidem & Achatem complexus lapis. Coagula ex fragmentis Achatis, Jaspidis, Calcedonii, &c. nata. Inter Achatas varios molis non parvæ, in statuas & vasa efformatos, *in Domo Radziwiliana*, inventus Achates unus, qui bobus quatuor currui junctis advectus est, fidem assertio hæc ut mereatur, tradit *Bajerus in Supplementis Oryctographiæ Noricæ*, quòd in Palatinatu Superiori, *qui Electori Bavatiæ* paret, effossus est Achates ponderis ducentorum centenariorum.

III. ADAMAS DEGENER seu Pseudo-adamas ex observatione *Boetii de Boot in Hist. Lapidum*, alius hexagonus, globosus alius, duritie differens multum à priore, qui enim excrescit

creſcit cum angulis mollior eſt, & vix Cryſtallo nobilior, qui verò globoſus ſive rotundus, inſtar Silicis proveniens, durior eſt, & Adamantis Orientalis ſplendorem, nitorem, non ineptè mentitur, ſed tincturam non recipit, ac proinde pro vero haberi non poteſt. Dantur Pſeudo-adamantes Macedonici, Cyprii, Anglici, Hungarici, Bohemici, & Polonici, è quibus unus egregiè ſplendens, durus, propè Elbingam, in Pomerendorff pago inventus, *Petro Magno Ruſſiæ Monarchæ*, curioſitatis gratiâ, *à Generali Brus* eſt oblatus. Ejusdem generis Adamantes leguntur in agris Pruſſiæ, & ad lacuum ripas, matrici ſiliceæ non rarò incluſi, difficulterque ab ea integrè divellendi, colore & nitore Orientalibus ſæpe adeò reſpondentes, ut eos politos, vix niſi duritie poſſis diſcernere. Circa *Skole* Oppidum vicinum Hungariæ, in locis ad *Stryi* fluvium & alibi poſitis, Pſeudo-adamantes ex montium rupibus excidunt ſæpius, & in agris reperiuntur, piſo majores, vel minores, fagopyri ſemen æquantes; hi allati Vratislaviam magis ſunt æſtimati quàm Bohemici. E Carpaticis montibus Adamantes non æquant ſoliditate Orientales, & ideo, inquit *Bruckmann in Magnalibus Dei Subterraneis*, ſunt medium inter Adamantes veros, & Cryſtallum, exiſtunt enim hac duriores, illis verò molliores, tamen Bohemicis præſtantiores, à quibus pondere facilè dignoſcuntur. Dum iter ageret ex Hungaria *Generalis Reibnicz*, an. 1724. in loco milliaribus octo diſtante ab Urbe Camenecenſi, ſpectavit Adamantes plurimos ſparſos per ſuperficiem terræ, nodosque arborum, quos ibi pluvias aperuiſſe, vel potiùs ventos inſolentes ex Carpatiis montibus detuliſſe in Podoliam, erant, qui affirmabant. *Collectanea Naturæ, Academiæ Curioſorum Vratislavienſium.*

IV. ÆTITES ſeu Aquilæ lapis, Germ: Adler-Stein, Pol. *Orli kamien*, triplicis generis *à Boetio de Boot* deprehenſus. Primum genus ſcabrum exteriùs, colore vario, plerumque tamen nigricante, lapidem alterum Callimum, & dum pulſatur ſonantem continens. Secundum coloris cinerei eſt, concludens argillam vel margam albam, flavam, rubram, cæru-

leam. Tertium priori ſimile habens in ſe terram coloribus variantem. Hæ poſtremæ ſpecies duæ, Germ. Klapper-Stein, ab aliis Geodis nomine donantur. Ætites argillâ candidâ infarctus, *Imperato in Hiſt. Naturali*, fœmina eſt, mas concavitate durum lapidem retinet. Variat Ætitum color, & figura, ſunt coloris albi, nigri, fuſci, cinerei, lutei, ferruginei: figura plerumque globoſa, aut accedens ad rotunditatem, quorundam latiuscula, anguloſa, compreſſa. Datur Ætites lapillos plures in ſe continens, talis in *Aldrovandi Muſæo Metallico* ponitur. Ad Lacum, Germ. Friſch Haff, larga eſt ſeges Ætitarum, nec deſunt aliis Pruſſiæ lacubus. Qui in agris reperti, inquit *Fiſcher in Diſſertat. de Lapidibus in Pruſſico ſolo*, molles, fuſci, & ſcabri ſunt, in aquis duri, flavi, & læves. Iidem lapides Olivam verſus, inter montes, in Gedanenſis Urbis viciniis, in Majori Polonia, in Podolia, & alibi, depromuntur. Mons Ætitas continens ponitur *in Puncto V.* ſub numero V.

V. ALABASTRUM, Germ. Alabaſter, Pol. *Alabaſtr*, lapis eſt mollis, videturque *Boetio de Boot* Alabaſtrites incoctus eſſe, & ille imperfectum ac incoctum marmor. Idem Alabaſtrum interdum Germanicè Spat vel Gyps *ab Agricola* vocatum, cum pulchrum eſt retinet nomen Alabaſtri. Colores varios exhibet prope Moguntiam. Eruitur nigrum Hohnſteinenſe, valde durum, tæniis albis ſubtilibus intermixtum, & ſtratis Glaciei Mariæ diſtinctum. Ibidem Alabaſtrum rubrum, cinereum, virgatum eſt. Ita *Commercii Literarii Semeſtre Poſterius* refert. Plures colores, *in Hebdoma VI. anni* 1733. *ejusdem Commertii* referuntur. Datur, inquit *Schutteus in Oryctographia Jenenſi*, Alabaſtrum album purum, album cum venis rubris, corneum purum, corneum cum venis rubris. Quæ ſpecies ſi in fruſta plana ſecantur & poliuntur, pellucidæ fiunt. Pulvis ingreditur Ungventum Alabaſtrinum, quod capitis dolores tollit. Experimento *Boetii præfati*, Alabaſtrum candidum in pulverem redactum, ac cum lacte ebibitum, ſcrupuli pondere, dyſenterias, alvique fluxus ſiſtit, vehementer enim conſtringit; omnesque alias, quas Gypſum obtinet facultates.

ALA-

ALABASTRITES propiùs accedit ad duritiem marmoris, omnis generis colores recipit, in vaſcula efformatus ungventa incorrupta conſervat, neque inſtar Alabaſtri trahit in ſe humorem. Ex his colligitur, quòd non Alabaſtrites in Podolia, ad Oppidum *Czarnokozienice*, montibus concluditur, ſed Alabaſtrum candidum, nitidum, perſpicuum, ad ſpeciem Gypſi relatum, uſtum ejusdem loco uſurpatum. Præter Podoliam, etiam Palatinatus Ruſſiæ Alabaſtrum offert in montibus, prope villam *Woisk* Premislienſis Capitaneatûs. Ex quodam fluvio in Litvania decurrente per latifundium *Principum Radziwiliorum*, erumpit aqua ita in ſublime, ut collem vicinum continentem Alabaſtrum transcendat. Montes Pokutiæ Alabaſtro abundant, ex quo ſtatuæ artificioſæ, egregia plaſtarum opera, epitaphia, formari poſſent. In Templo D. Magdalenæ Vratislaviæ, teſte *Kundmann in Promptuario Rerum Natural. & Artific. Vratislavienſium*, Suggeſtum eximii operis ex Alabaſtro translucente Polonico, an. 1581. erectum.

VI. AMETHYSTUS, Germ Amethiſt, Pol. *Ametyſt.* Ejus, ſenſu *Ruei de Gemmis*, inter violaceas gemmas, præcipua laus & auctoritas, color violaceus ex mixtione rubri & cærulei coloris emanans. Species quinque aſſignantur Amethyſti, omnes tamen ad purpureitatem coloribus variis injunctam vergunt. Indicus habet colorem ſubpurpureum, admiſtum roſeo, ac modico violaceo, vinaceus, & violaceus aqueus color reliquis eſt deterior. Celebriores Amethyſti ſunt in India, Arabia, Armenia, Æthiopia, Galatia, Cypro &c. quibus in purpura refulget roſeus nitor, præ cæteris commendantur. Pulchri ac perfectè violacei copioſi in Germania, Bohemia, Saxonia, Miſnia, & alibi, verùm inſtar Cryſtalli molles, ob quam cauſam minùs expetiti. In Pruſſia, non procul à Mundenſi Fortalitio, Amethyſtus partim violaceus, partim rubeſcens, ad Mare Zarnoveco vicinum conjunctus cum Carneolo, in Palatinatu Novogrodenſi M. D. Litvaniæ, circa Radzivilianos pagos *Naliboki*, & *Piaſeczna*, lectus. Hic quia exiguo colore violaceo eſt tinctus, dici poteſt Chalcedonius Fluori amethyſtino mixtus.

VII. AMMITES seu Ammonites, German. Rogen-Stein, Rochen-Stein, pro diversa lingvæ dialecto, Pol. *Kamien ikrzasty*, sic coagmentatus, ut ovis piscium similis esse appareat, vocabulum triplex accipiat. Pisolithus, qui ex lapillis, pisi aut orobi magnitudine, constat, & est Ammites major. Cenchrites, qui ex arenis milio æqualibus coaluit. Meconites, qui ex arenulis semini papaveris paribus coagmentatus. Typis traditum est *à Bruckmanno Specimen Physicum exhibens Hist. Nat. Oolithi seu Ovariorum Piscium*, ibi Ammites appellatur Oolithus, id est, Ovum lapideum, nihilque aliud censetur esse, quàm ovarium piscium, & aliorum animalium marinorum, v. g. Conchyliorum, in lapides transmutatum, mineralisatum, crustam, albumen, & vitellum, armatis oculis exhibens, ad rudera ac testes diluvii, spectans. Differt inter se partim magnitudine ovulorum, partim colore, partim soliditate, alius enim sic durus est, ut admittat polituram marmori simili, matrici suæ lapideæ adhæreat firmiter, alius non admittat, nec adhæreat. &c. Ventus, durante diluvio regnans, & aquas commovens, ovaria in illis fluitantia, in certa loca compulit, facie mutata, in luti materia molli, perfecta minusque lacerata sunt asservata, deinde vapores minerales, & succi lapidificantes strata terrea permeantes eadem petrificârunt. Ovula hujus lapidis, oculo armato, tunicas sibi superpositas repræsentant, quæ accuratiùs in lapide polito videri possunt. Videatur & *Rappolt Quæstio Naturalis Prussica de Oolitho Regiomontano, an sit Caviarium Petrefactum*, hic author quoque grana lapidis talis, nec semina nec arenas meras conglutinatas asserit esse, sed ova indurata. Eadem grana *Plinius Lib.* 37. ovis manere tantum similia, quia materiam minùs curiosè inspexit. Oolithus seu Ammites, in ea copia multoties à me est observatus, quæ onerare posset plurima plaustra, in fundo Arcis Novæ Moszczenicensis, prope Ostrogium in Volhinia: in colle arenoso adjacente publicæ viæ, & stagno pagi *Wierzchow*, & in sylva villæ *Naraiow*, *ad Kniehinin* positæ, est frequentissimus. Ubique inter Conchylia varia, & saxa calearia, ita

manet

manet friabilis, ut granula dura, & albicantia separari facilè possint. Nec nucis juglandis est magnitudine, quilibet in frusta nunc longiora & latiora, nunc breviora & angustiora, crassiora vel tenuiora, divisus, ad Cenchritem referendus. Varia lapidiosa concreta, quæ maximè inserviunt ad explicandam Hammitarum generationem ex crypta quadam prope Czernam in Polonia deprompta. *Neickelius in Museographia.*

VIII. ARMENIUS LAPIS, Germ. Armenier-Stein, Pol. *Ormianski Kamien*, ex descriptione *Boetii de Boot*, est coloris cærulei, sed friabilis, & in pulverem facilè reducibilis, quâ notâ à Lapide Lazuli distinguitur, aureis etiam venis aut punctis caret, nec duritiem Lapidis præfasi habet, sed arenosum quidpiam continere videtur, Chrysocollæ est similis. Aliis Lithographis idem lapis est pallidè cæruleus, cum quadam viriditate, ex parvis quasi grumis compositus, Lapidi cyaneo cognatus. Ex Armenia hodie vix obtinetur, invenitur in Germania, Bohemia, Polonia, ad *Wzdoly* pagum Palatinatûs Sandomiriensîs, & alibi. Cæruleum præstantissimum, terræ duræ & cinereæ adhærens, in colore & bonitate Cyprio non absimile, ex Poloniæ fodinis erutum, *à Ceruto in Musæo Calceotariano Veronensi* memoratur. Armenius lapis à sordibus depuratus suppeditat illud pigmentum, quod à Germ. Bergblau, id est Cæruleum montanum vocatur, Ultramario assimile, cui, ut diutissimè maneat, state non mutetur, non lini oleum, sed petroleum additur. Modus extrahendi colorem præfatum *à Boetio* traditur fusius.

IX. ASTERIA seu Stellaris lapis, Germ. Stern-Stein, Polon. *Gwiazdeczka Kamien*, ex descriptione *Boetii de Boot lib. 2. cap.* 148. stellas plures quasi sigillo impressas, vel insculptas in se habet, ita invicem superpositas & connexas, ut separari possint. In singulis radiis cavitas media est, margines striis adversis sulcati. Asteriæ nihil aliud sunt *Woodwardo in Specimine Geograph. Physicæ*, quam animalium marinorum, in Diluvio universali, relictorum partes. Et cum vertebris Stellarum marinarum, in primis Stellæ illius, quæ vocatur Retrograda,

valde assimilantur, pluribus placuit ad ossicula animalium horum reducere, id suadentibus tot eminentiis, cavitatibus internis, & externis foraminibus, sulcis tam rectis, quàm transversis, articulationibus &c. Varietas Asteriarum, *à Luidio in Lithophylacio Britannico, à Scheuchzero in Musæo Diluviano, à Rosino in Prodromo tentaminis de Lithozois, &c.* exposita, deductaque ad icones. In Saxonia Superiore, in Gottlandia, in Tyrolensi ditione, numerosæ, majores & minores, leves, marmoreæ duritiei, polituram suscipientes, coloris albi, cæruleati, cinerei &c. Asteriæ columnares, circa Gedanum & Puckum, repertæ. ASTOITES relatus ad gemmas per *Boetium* continet stellarum formas exactissimas. Astroitæ, ex observatione *Langii in Histor. Lapid. Figuratorum Helvetiæ*, sunt Lapides, qui in suo corpore plures stellas aliquando superficiales tantum, aliquando ipsam substantiam lapidis permeantes, exhibent. Asteria inquit *Helwing Lithogra. Parte II.* solum in superfacie radios solares ostendit. Species variæ Astroitarum, *à Scheuchzero in Appendice Herbarii Diluviani, in Oryctographia Helvetica, in Specimine Lithographiæ Helvet, à Luidio in Lithophyl. Britannico, à Langio in Hist. Lapid. Figurat.* propositæ. Relatum est, inquit *Sachs Gammarologiæ cap. 8.* in limitibus Poloniæ cum Silesia, lapides inveniri cum radiis quasi stellatis eleganter effictis. Astroitici Silices albi spectantur in Prussia. Non desunt ibidem Astroitarum arachnoidum specimina rariora. Lapis Astroiticus stellulas prominulas ferens, Varsaviâ, missus Gedanum. Astroitæ & Grodnam versùs comparuerunt.

X. BELEMNITES seu Lapis Phrygius, Lapis Lyncis, Coracias, Lincurius, Germ. Luchs-Stein, Pfeil-Stein, Polon. *Strzałka kamienna*, est lapis figuræ conicæ, id est ex radice latiore in apicem acutum aut obtusum desinens, non rarò pellucidus, vel semiperspicuus, canaliculatus, terram in se, vel arenam, vel lapidem continent, superficiem plerumque habens lævem nonnunquam scabram & asperam, sulcis notatam, coloris albi, fulvi, cinerei, nigri. Belemnites, *Kleinio in Descript. Tubul. Marinorum*, est Tubulus fossilis, materiæ ad selenit icam

niticam accedentis, teres, transversim fractus, concentricis striis in longitudinem fissus, canaliculo pervio semper in medio posito donatus, in basi nonnunquam fovens conum olim testaceum concameratum, instructum siphunculo &c. Omnes Belemnitæ Prussici, quorum summitates integræ sunt, in apice globulos ferunt, qui petiolos habent canaliculum intrantes, hi globuli facile decidui sunt, & hinc est, quod plurimi canaliculi in apicibris pervii appareant. Idem Belemnites *Breynio in Commentatiuncula de Belem. Prussicis*, est tubulus teres conicus, vel ad conum accedens externè lævis aliquando rugis multiplicibus insignitus coloris, instar succini, flavii, semipellucidi, aliquando obscurioris, rariùs planè opaci lutescentis, vel albicantis. Alveolos Belemnitarum Prussicorum alii negant affirmant alii dari, in cavitate conica basis sæpissime integumentum testaceum tenuissimum, album, & quasi calcinatum vestigia apertissima habere circulorum. Qui humani digiti magnitudinem attingit, propriè Dactylus Idæus vocatur, à digiti similitudine, & Ida monte, *Palczasty kamien*, Russis *Palec Boxy*. In Officinis, inquit *Boetius de Boot*, Lyncurius vocatur ille, qui succini falerni colorem habet & pellucet, aut paleas, tanquam succinum, ad se trahit. Belemnitæ in utraque extremitate cuspidati, integri sunt, reliqui omnes pro confractis, attritis, habentur à pluribus. Belemnitarum omnium integrorum bases, *Listero in Hist. Animal. Angliæ*, sunt cavatæ. Continent Belemnitæ Alveolum; qui *Ludio* est lapis orbiculato capsulæ operculo similis, modicè excavatus, instar marmoris, politus. Nativus ipsius locus, Belemnitarum majorum calix est. Idem Alveolus *Ehrharto in Dissertat. de Belem. Svevicis* est lapis figuræ conicæ, in acutum mucronem desinens, constans ex concretis lapillis minoribus; Juxta *Boetium*, terrâ, vel arenâ repletus non rarò nudus, aut solitariè repertus. De origine Belemnitarum, varia authorum opinio, à quibusdam ad corpora propriè fossilia referuntur, *Celebri Woodwardo*, *Luidio*, *Butnero*, Testaceorum marinorum sunt species, quæ vario modo fracta, Diluvii tempore sunt ejecta. Idem sensus *Rosini*

ſini in Animadverſionibus de Belemnitis, qui Lithozois eos adſcribendo, ab animalculis marinis habitatos & vegetatos affirmat. Differentiæ variæ lapidum eorundem, *à Luidio in Lithophyl. Britannico*, *à Liſtero in Hiſt. Animal. Angliæ*, *à Langio in Hiſt Lapidum*, *à Bajero in Oryctographia Norica*, *à Kleinio in Deſcript. Tubulorum Marinorum*, recenſentur. Belemnitæ interdum armaturâ aurei, argentei, aut ferrei coloris, conveſtiti, interdum lineâ per medium diviſi, aut ſubtiliter rimis in longum fiſſi, apparent. Dantur magnitudines variæ, Cylindri-formes, Coni-formes, Fuſi-formes, Ventroſi in medio, &c. Conjecti in ignem excandeſcunt, odorem ſpargunt bituminoſo-ſulphureum, graveolentem, tandem longiùs perſeverante ignis ardore, in calcem vivam rediguntur. In Regionibus variis Belemnitæ occurrunt. Belemnites maximus, brachii ferè craſſitie, ad pagum *Thalteim* Ducatûs Wurtenbergenſis, obvius, *Ehrharto in Diſſertat de Belemn. Svevicis*, teſte. Humanæ tibiæ craſſitudine, *à Boetio* adducitur notitiæ; quilibet Belemnites maximus, Ceraunites vocatur ab aliquibus. Ad Vlodimiriam Civitatem Volhiniæ, in ea agrorum parte, in qua tumuli Hebræorum erecti, in tractu ducente Maciejovum, terra aratro ſciſſa, Dactylis Idæis ſic replebatur, ut Juventus literaria ad campos prodiens, ſacculos veſti ſubſutos, illis nudis onerare potuerit. Quod Belemnitæ in Boruſſia reperiantur, & nephriticis affectibus proſint, *Sommerhoff in Lexico Pharmaceutico-Chymico* tradit, quòd ſint in ripa Viſtulæ propè Mariæburgum Hulmigeriæ, *Mercatus in Metallotheca Vaticana* annotavit. In montibus vicinis Gedano, in ſtratis glareoſis, velargillaceis vel calculoſis, in fabuletis, non procul à terræ ſuperficie collecti, ſemper fere mutili, lapidibus, ſæpe immerſi, conici, cavitate in baſi, ad medium circiter excurrente, conici quidem ad medium usque ſed deinde baſim verſùs ſenſim contractiores, cavitate tertiam fere ſui partem occupante. Inventus in Pruſſia Lyncurius integer, ſuccini falerni colorem tenens, diaphanus, longus, acutus. Secundus Lyncurius priori ſimilis, ſed coni obtuſioris, cavitatem ſaxi cinerei occupans, Belemnitarum

tarum alborum fragmenta ibidem eruta, inter quæ erat Alveolus conicus ex calycibus teſtaceis fractis reſiduus, lapidi immerſus. Tabula Belemnitarum Pruſſicorum, *à Breynio in Commentatiuncula de illis* proponitur, ut ad Tubulos referantur, inquit, figura ſvadet conſtans organica tam externa, quam interna. Cujusnam figuræ fuerit pars animalis mollis, quæ olim cavitatem conicam occupaverat, non conſtat. Pruſſici Belemnitæ ut plurimùm ſunt truncati, pellucidi, armaturâ metallicâ non obducti, Polonici per Provincias plures diſperſi, & varii, fuſiformes &c. ſemidiaphani & quaſi electrici.

XI. BVFONITES ſeu Batrachites, Chelonites, Crapaudina, Rubetites, Germ. Krôten-Stein, Pol. *Zabi kamien*, eſt lapideæ duritiei, in una parte convexitatem, in altera concavitatem habens, aut planitiem. Origo ſi ſpectetur, opinione antiquorum, Ranæ grandiores, quæ in vepribus, rubisque victitant, & Rubetarum nomen inde accipiunt, dum conſeneſcunt, lapillum hunc gerunt in capite. Secundùm alios, in Bufonis cerebro reperitur, vel à Bufone antiquo ejicitur ructu, dum ille panno rubro imponitur. Non deſunt, qui initium ejus, à viſcoſitate ſpumæ, deducunt, quam verno tempore Bufones congregati efflant in caput alicujus eximii quaſi Regis Bufonis. E recentioribus, *Woodwardo in Specimine Geograph. Phyſicæ*, Bufonites pertinent ad animalium reliquias, à Diluvio univerſali, in terra relictas. Idem *Merreto* nihil aliud ſunt, niſi dentes molares Lupi marini, *Auguſtino Scillæ*, dentes quorundam piſcium, ab humore lapideſcente in materiam converſi lapideam. Denique *Aldrovando in Muſæo Metallico*, Bufonites alius eſt lapis genuinus Bufonis, alius lapis foſſilis, in variis locis inventus, qui lapidi in capite Bufonis orto aſſimilatur. Naſcuntur Batrachitæ, *Imperato in Hiſt. Nat. teſte*, & in rupibus, inſtar fungorum minutorum, quibus non ſolùm figura, ſed etiam colore ſunt aſſimiles. Vires in medicina Batrachitis genuinis adſcribuntur ſequentes. Tumores & inflationes, à venenatis animalibus cauſatas, crebro contactu quilibet diſcutit, propinatur contrà venena, renum do-

lores tollit, contrà pleuritidem juvat, prohibet calculi generationem. Batrachitæ in Prussia, non procul à Vistula Torunium præterfluente lecti, ad Maris Balchici littus vicinum Propugnaculo Mundensi, idem lapis comparuit, in Elbingensi agro repertus, ex Majori Polonia, cum notabili eminentia, coloris castanei, allatus Gedanum, ex Volhinia ita fuerat durus, ut percussus chalybe scintillas spargeret.

XII. CERAVNIA seu Lapis fulminaris, Cuneus fulminis, Telum Jovis, Telum fulminis, Germ. Donner-Stein, Pol. *Piorunek*, *Kamien piorunowy*, nam cum fulmine è nubibus decidere creditur. Figuras varias, sed plerumque cunei refert, substantiâ multùm accedit ad silicem, quapropter durissima est & ponderosa, foramen rotundum sæpe habens, colore varians. Figuræ Cerauniarum, *in Musæo Wormiano*, *in Boetii Hist. de Lapidibus*, sunt expressæ, additæ descriptiones. Vulgi opinio est, fulmen lapidem esse è nubibus evibratum, non negant tamen multi, inquit *Reinzer in Meteorologia*, lapidescere posse aliquod corpus in nubibus, quod unà cum fulmine, tanquam bombardæ globus, in terram excutiatur, nam si ad ignem, ex sulphure, nitro, fieri potest lapis durissimus, cur id ipsum non potest fieri, partim in nubibus, partim in descensu per aërem. Fit lapis, cum in nubem nigricantem, aut viridem invecta exhalatio valde terrestris conglutinatur nubis humore, coquitur, & induratur calore, accedente antiperistasi frigoris. Etiam succus quidam lapidescens, solis operatione ad altiora evectus, in nube asservatus, potest esse materia ejusdem lapidis, non secus atque lapidum aliorum in terra. Præterea, *Verani in Philosophia Speculat. Peripatetica*, asserit: possunt exhalationes intrà nubem concrescere in lapidem seu massam quandam solidam, forti calore optimè compactam, quapropter Fulmen dividi solet in armatum, quod secum lapidem defert, & in inerme, quod eô destituitur. Testis oculatus *Crugerus in Decuriæ 3. anno 7. Ephemeridum Germanicarum*, scribit de Cuneo Ceraunio minerali, quem *Schwerin Præfectus Supremus nemorum Sereniss. Electoris Brandeburgici* extrahi curavit è

quercu

quercu fulmine percussa, fissa, & hiulca, unciarum undecim pondus habente, instar Antimonii splendente aureis striis, constante substantiâ concentratâ igne fulmineo è particulis metallicis saxeisque in nubes sublatis. Idem *Crugerus* mentionem facit alterius Cunei metallici & saxei, ex India Orientali *à Rumphio* transmissi. Spectando Cuneos magnos cum foraminibus rotundis, ea conditione, ut una pars foraminis latior sit altera parte, *Lave in Dissertat. de Telo fulmineo*, non negat posse interdum concrescere in nubibus lapillum durum, quando sulphureo-salinæ partes, cum quibusdam terreis permistæ celeriùs incenduntur, verùm Cuneiformes lapides, tantique ponderis in nubibus generari, vix ad probabilitatem accedit, & ex causis naturalibus vix deduci potest, cur ut plurimùm cunei formam habeant, cur foramine sint insigniti. Quòd sulphur oleant, probat eos esse materiæ sulphureæ, vel ex loco aliquo multùm sulphuris habente erutos, non verò fulmineos. Judicio quoque *Wolfart in Hist. Natur. Hassiæ*, non sunt delapsi è nubibus simul cum fulmine, sed artefacti, unde etiam cum aliis insignibus, in testimonium virtutum heroicarum, sepulchris & urnis impositi. Confirmat dicta *Jacobæus in Musæo Hafnienſi Regis Daniæ*, præter eum asserit *Schutteus in Oryctographia Jenenſi*, lapides à veteribus ita formatos, ut mallei, aut alterius instrumenti, obeant vices, figuram cunei referentes ab iisdem confecti, ut ad findenda ligna adhiberi possint, aut ad polienda metalla conducant. Ad extremùm, *Helwing in Lithographia Angerburgica*, tradit, in Districtu Elbingensi, lapides missiles Prussorum veterum, quibus perforatis lignoque insertis utebantur in conflictibus, è terra erutos, in tanta copia, quæ mensuram dimidii modii impleret. Idem sensus & aliorum recentiorum, quibus libens subscribo. Allatus Gedanum ex Capitaneatu Borzechovienſi lapis cuneiformis, spissus, crassus, nigricans, polito marmori similis, longitudinis octo digitorum, latitudinis quatuor, foramine rotundo, circà basim, notatus. Exhibitus alter lapis de terra erutus, in pago *Skrzeszewo* Prussiæ, minor priore, coloris fusci, crassitudinis digitorum duorum, maximæ duritiei.

XIII.

XIII. CHALCEDONIVS olim sub specie Onychis positus, & Onyx candida appellatus, Germ. Calcedonier-Stein, Pol. *Kalcedon*, ex descriptione *Boetii de Boot*, est lapis quasi per nubem vel nullo vel levi aliquo colore tinctam, totumque corpus occupantem, semiperspicuus, sculpturæ contumax, propter duritiem. Jaspidis species *Imperato in Hist. Natur.* est Chalcedonius. Pro Orientalibus, Chalcedonii illi habentur, in quibus purpura, vel cæruleum quid albo permistum, aut grata quædam laccæ rubedo apparet, qui obscurè candidum colorem ferunt, cæteris sunt ignobiliores, ac in tota Germania passim inveniuntur. Qui flavedine, aut rubedine ingrata transparent, ait *Boetius præfatus*, proximè præcedentes dignitate antecellunt. Cæteris præferuntur, in quibus cæruleus, albus, flavus, rubeus color confusus apparet. Ex India adfertur pallescens ex albo, *Camillo Leonardo in Speculo Lapidum*, Æthiopicus est perfectissimus. Miræ magnitudinis Chalcedonii eruuntur in Lotharingia, parantur ex iis effigies Principum, pocula, corallæ pensiles, aliaque infinita, adhibentur ad sigilla, nam cera illis non adhæret. Inventi prope Gedanum & Puckum, non pauci, in latifundio Zarnovecensis Monasterii, albescentes simulque subcærulei, alii Carneolo vel Jaspidi consociati spectandos se obtulerunt. Lapides candidi, multùm duri, ponderosi, admittentes polituram, ad Chalcedonios referendi, ibidem se crebrò offerunt, & circà pagos *Ciepielik* & *Zukow*, in cujus sylva, unus ex his lapidibus sexaginta libras pondere superabat. Omnes percussi chalybe sunt scintillantes, si verò unus teratur alterò, non scintillæ emittuntur, sed flammæ, ad instar fulgetræ. Campi & agri Radzivilianorum pagorum *Naliboki* & *Piasecznæ* nomen retinentium, in Palatinatu Novogrodensi, detulerunt ad manus Chalcedonios plurimos, inter quos erat Chalcedonius grandior semidiaphanus, coloris albi, alius minor & obscurior. Chalcedonius globosus purpurascens *Boetii lib. 2. cap. 88.* Chalcedonius purpuræ dilutioris, sed magis lucem transmittens, & intus bracteatus. Chalcedonius albus elegantissimus,

sub-

substantiæ pellucidioris. Chalcedonius ingentis magnitudinis, coloris albi obscurioris.

XIV. CONCHITES à Concha trahens vocabulum, Germ. Muschel-Stein, Pol. *Slimaczy kamien*, est lapis bivalvis figuratus. Species ejus, plus quàm viginti, *à Langio in Ideæ Hist. Natur. Lapid. Figurat.* enumeratæ, *in Historia Lapid. eorundem Helvetiæ*, æquilateri, inæquilateri, anomii, imbricati, læves, longi, membranacei, rhomboidales, striati, triquetri, compressi, positi. Conchitæ valvis inæqualibus, anomii dicti. Conchitæ anomii læves, rostro prominulo, veluti pertuso, *Listeri*, Terebratulæ sunt *Luidio*, quas *Langius præfatus* vocat læves & lacunosas, striatas & simul lacunosas. Conchitæ rostro adunco, à Lithographis aliquibus, Gryphitarum nomine sunt donati. Conchites anomius tenuis & compressior, latiusculo atque rotundo ambitu, *Listeri pag.* 241. ex Gedanensibus montibus est allatus. Conchites cum striis densis & subtilibus nonnullis, aliis crassioribus, cum dorso gibboso in apicem acutum obliquè exeunte, ex iisdem montibus. Quanta sit in Poloniæ Regno Conchitarum, seu Concharum fossilium, quanta Conchyliorum multitudo, varietas, *Punctum V. sub tit. Montes Conchiferi*, indicabit.

XV. CORALLITES, Germ. Corallen-Stein, Pol. *Koralowy kamien*, exprimit formam Coralliorum, quæ sunt plantæ quædam, vel frutices crescentes in fundo Maris Rubri, Persici, Siculi, Tyrrheni, Ligustici, Africi, coloris rubri, albi, nigri, purpurei inclinantis ad fuscum, punicei, mali, aurantii. Quomodo crescant, in aëre durescant, proprietates quales obtineant, *Boetius de Boot*, *Cæsius in Mineralogia*, explanârunt. Ab antiquorum opinione recedens *Polishowerus in Tyrocinii Chymicæ ultima editione Vittembergæ an.* 1650 *facta*, probat experimentis, Corallia sub aquis non esse mollia, adducitque *Baptista de Nicolo Piscationis Coralliorum in Regno Tunetano Præfecti* testimonium, quod *à dela Poitier Lugdunensi* confirmatum, *à Bonanni in Musæo Kircheriano* adductum. Idem narrat *Rajus Hist. Plantar. Tomo* 1, cortice duntaxat molli & muscoso (qui tamen facilè deradi-

tur) Corallia intecta esse affirmans. De origine, & natura Coralliorum fossilium tractat *Buttners in Corallographia Subterranea*, ponens sequentia. Fossilium Coralliorum species plures reperiuntur, quàm marinorum, copiosiores enim in illo diluvio universali, ex alta abysso productæ fuerant, quàm in ordinaria maris revolutione. Ut Corallia marina, sic quoque fossilia sunt truncata seu ramis destituta, nodosa, striata, punctata, porosa, fistulata, globosa, gibbosa, internam, externamque structuram, aliasque proprietates Coralliorum marinorum exactissimè referentia, à diluvio præfato, quo totus submersus & immutatus fuit globus terraqueus, ad regiones nostras delata, succoque petricoso minerali repleta. Eadem Corallia *à Scheuchzero in Appendice Herbarii Diluviani, ab Helwing in Lithograph. Angerburgica*, sunt recensita, in fundis, Gedanense Emporium & Puckum propiùs & remotiùs, circumjacentibus inventa *Musæum Kleinianum* augmentant. Corallium ramosum stellatum *Imperati pag.* 809, crassitudine pollicis. Corallium articulatum *ejusdem Imperati pag.* 809. Corallii rubri rami notabiles sed detriti & albidi saxo cinereo inclusi. Corallii punicei rami scabri in corneo lapide. Corallii pyxidati notabiles rami in saxo. Corallia minutula in portionibus pyritis culinaris, armato oculo conspicienda. Corallia parva eidem lapidi inhærentia. Corallia alba ramosa, alia punctata & articulata cortice reticulato tecta. Initia Corallii rubri. Digitabulum *Luidii* seu lapis corallinus similis digitali. Corallia petricosa catenaria. Corallo-favi seu lapides Corallo-favis repleti. Corallo-favi fungoides. Corallo-fungi lamellati. Corallii albi reticulati ramulus elegantissimus, adhærens lapidi. Corallo-fungus capitatus, sessilis. Corallo-fungus galeatus, & lamellatus. Corallii catenulati insigne & magnum specimen. Coralliferum saxum arenosum. Coralliferum saxum ramulis punctatis notatum. Coralliferum saxum ramulis punctatis, & calycibus dirutis insigne. Massa ingens ex Corallii punctati ramulis constructa. Lapis albus ex ramulis Corallii reticulati, secundus lapis limosus, totus ferè ex ra-

ramulis Corallii punctati, tertius ex ramusculis punctatis durior & leucophæus, quartus niger ex similibus ramulis, quintus ex ramulis crassioribus punctatis coagmentatus. Columelli proliferi *Luidii.* Calyces Coralliorum *Langii & Helwing* copiosi. Coralliorum detritorum, & vix agnoscendorum ingens numerus. Materiæ Coralliorum, figuræ indeterminatæ. In viciniis Varsaviæ specimina sequentia sunt detecta. Corallia punctata, Corallia nigra unà cum Coralliis albis, in lapidibus calcariis, Corallii albi punctati ramusculi, Corallii catenulati species, Calyces Corallini plurimi, Massa Corallina alba, cum micis Corallii rubri, Fungi Corallini superficie cribrosa, Fungorum Corallinorum pyxidatorum congeries. Ex Trocensi Palatinatu, Grodnam versùs, Corallia reticulata, Corallia punctata, Corallia catenulata missa in Saxoniam, cum Corallo-fungis capitatis, lamellatis, &c. Nec alibi desunt Lapides Corallini, seu Corallites. In Bohemia, teste *Balbino in Historia Bohemica*, infra collem Scheberie, in fluvio, Corallia inveniuntur, colore cæteris non cedentia, & sic Corallia non in mari solùm, sed in fluminibus quoque crescunt.

XVI. CORNV AMMONIS, Germ. Ammons-Horn, Pol. *Amona rog*, inter gemmas *à Plinio* ponitur, *à Breynio in Dissertat. de Polythalamiis* vocatur Ammonia, estque Polythalamium in spiram externè utrinque apparentem, in plano horizontali convolutum. Idem Cornu Ammonis, Nautilites *à Luidio* vocatum. Speciem fert arietini cornu in se revoluti, læve, vel striis per transversum decurrentibus signatum, substantiæ duræ atque siliceæ, coloris nigricantis, albi, cinerei, orbium seu circumvolutionum nunc plurium, nunc pauciorum, crassius, aut tenuius, vestitum tunicâ metallicâ, vel non vestitum. Olim caput Jovis Ammonis, à gentilibus, cornibus talibus instructum esse fingebatur. Passim pro Serpentibus petrefactis habentur hæc cornua, sed Serpentes in saxum commutati, ait *Boetius*, carent striis & armaturâ. Cornua Ammonis, *Woodwardo in Specimine Geographiæ Physicæ*, sunt animalium marinorum exuviæ à Diluvio relictæ, *Langio in Methodo*

nova

nova Testacea marina in Classes distribuendi, sunt Testacea univalvia maris, non turbinata, & Serpentum in modum, ita in se contorta, ut eorum circumvolutiones, nulla ex parte, promineant, & tamen in utroque latere omnes appareant. Hæc sunt alia omnibus orbibus arctè inter se unita, alia, ex parte, vel integrè divisa. Addit idem Author *in Historia Lapid. Figurat. Helvetiæ*, quòd multis hujus temporis Philosophis placet, fortè ob eundem circumvolutionis modum, Cornua Ammonis referre ad Nautilos, vocare Nautilitas, qui structurâ ab iis ita differunt, ut de veritate hujus opinionis, meritò sit dubitandum. Præfato *Breynio ibidem*, Nautilus est Polythalamium, in spiram internè latentem in plano horizontali, convolutum. Cornua Ammonis, in lævia (seu quorum superficies neque Striis, neque tuberculis est notata) dividuntur, & in striata integris striis, divisis striis, interdum striis undulatis. Species numerosæ apud *Lister in Hist. Animal. Angliæ*, *in Tractatu de Cochleis marinis*, apud *Langium in Hist. Lapid. Helvetiæ*, apud *Scheuchzerum in Musæo Diluviano*, *in Oryctographia Helvetiæ*, *in Physica Sacra*, apud *Mylium in Musæo*, expositæ. In Gallia, Anglia, Helvetia, Germania, magno numero reperiuntur, inde concludit *Fontinellus*, quod olim Mare Indiæ contexerit universam Europam. Per Franconiam, ait *Hveber in Lithographia Wirceburgensi*, millena & millena è lapicidinis extrahuntur. Circà Gandesiam, teste *Harenbergo in Observat. Physicis*, *de generatione Lapid. Figurat.* mira est eorum copia, species ad minimùm triginta collectæ, coloris plerumque candidi. Propè Gedanum in Prussia, Cornua Ammonis aliquot de terræ abditis eruta, sepulta puto ibidem, & alibi reliqua, sùccessu temporis, in conspectum indagatorum naturæ proditura. Vicinia Urbis Varsavienſis obtulit Cornu Ammonis, *Erndtel in Varsavia Physice Illustrata* referente.

XVII. CRYSTALLVS, Germ. Cristallen-Stein, Pol. *Kryształ*, est lapis transparens, ut plurimùm figuræ hexagonæ, quandoque pentagonæ, tetragonæ, globosæ, conicæ, cubicæ, planæ, &c. Crystallus non hexagona durior est vulgari, &

à Charletone in Fossilibus, pro Pseudo-adamante habetur. Illa censetur optima, cujus color candidus, pura pellucet, instar aquæ congelatæ in glaciem, montana dicitur. Adhæret aliquando præruptis rupibus, & à Gallis *Cryſtal de Roche*, id est Cryſtallus de petra vocatur, aliquando ad radices montium aratris eruitur, deportatur quoque à torrentibus. Rarò inveniuntur Cryſtalli ſolitariæ, inquit *Jonſtonus in Thaumatographia*, radice una ſæpius nituntur plures, junctim modò aſſurgentes, ſeparatim modò, jacent nonnunquam ita affixæ, ut avellere eas arduum opus videatur. Cryſtallos ſæpe inveniri non ſociatas aſſerunt alii, cum obducta ſuperficie cruſtâ, vel ſinè illa. Color varius ineſt eis, albus, niger, cæruleus, viridis, luteus, purpureus, rubicundus, cinereus, rufus, & propter iſtam colorum varietatem aſſimilantur multiplicibus gemmis. Species, figuræ, colores, Cryſtallorum *à Bruckmann in Magnalibus Dei, à Scheuchzero in Itinere Alpino, in Oryctograph. Helvetica, à Kundman in Promptuario Rerum Natur. & Artifici. Vratislavienſi*, deſcribuntur: Extat *Capeleri Prodromus Cryſtallographiæ*, *Hugenii Tractatus de Generat. Cryſtalli*, *Bourguet Epiſtola Philoſophica de Cryſtallis*. Cryſtallus angulata, *Boetio de Boot*, Cryſtallus Iris, colores Iridis, ſi quis eam fronti applicatam intueatur, facit conſpicuos, ſimilisque eſt prismati ſeu vitro triangulari, reperibilis inter montanas. Interdum Cryſtalli durioris fragmentum, nativæ gemmæ formâ cælatur, argentea bractea optimè lævigata, ac colore proprio infecta, ei ſubſternitur, loculamento committitur, & arte tali, vera ac naturalis gemma eſſe videtur, nec niſi à peritis à falſa dignoſcitur. Pocula pretioſa dicta cryſtallina fiunt Venetiis è Cryſtallis, adjecto vitro, avena puriſſima, & ſale alcali. Quomodo Cryſtalli è Vitriolo Cyprio parantur *Stiſſerus in Actis Laboratorii Chymici* edocet. In India univerſa Cryſtallos non inveniri, tradit *Garcia ab Horto in Hiſt. Aromat. & Medicamen. apud Indos*, confirmat *Lintſchot*, & nonniſi quid ſimillimum Cryſtallo, in Cambayli naſci teſtatur. In Braſilia inveniri Cryſtallos non limpidas, non candicantes, ſed colore præſertim cæruleo diluto tinctas, *de Laet in*

Gemmis tradit. Effoditur Cryſtallus ſexagona Amboinica, & in vicinis Inſulis, ſed juxta *Rumphium in Muſæo Amboinico*, ſpeciei ignobilioris, in Sumatra melior, ac aptior ad polituram. Varia eſt magnitudo Cryſtallorum, in Inſula Chitis, Cryſtallus cubitalis effoſſa, alibi æquanda hominis pugno, librarum ſex, *in Wormii Muſæo* aſſervabatur. In Europæ variis locis Cryſtalli eruuntur, in Luſitania ingentis ponderis, in Alpium jugis, in Gallia, Germania, Hungaria, Bohemia, Sileſia, &c. apud nos in Palatinatu Kiovienſi, qui pars eſt Ukrainæ, dimidio milliari *à Suſzczany* pago, in tractu ad *Olewsko* Oppidum ducente, copioſa vena datur Cryſtallorum, quarum aliæ puræ, albæ, læves, diaphanæ, aliæ ſemidiaphanæ, nebuloſæ, obſcuræ, maculoſæ, ſcabræ, longitudinem medii digiti attingentes, & ſi ſilice percuſſæ fuerint, ſcintillantes. Vicinus collis Oppido *Bialopole*, idemque fluento imminens, in præfato Palatinatu, abundat Cryſtallis multangulis, translucentibus, duris, quæ trahunt paleas. E rivo villæ *Zatki* ejusdem Palatinatus depromuntur Cryſtalli oblongæ, candicantes, rubræ, & ſubcæruleæ. Cryſtalli montanæ Pinczovienſes gramen viridiſſimum, & fenum continebant, *Velſchio in Hecatoſtea X. Obſervat. Medic.* referente. Non procul ab Urbe *Szklow* Palatinatûs Mſcislavienſis, Cryſtalli detectæ, Bohemicis & Sileſiacis gemmis comparantur, propter puritatem, pelluciditatem, & duritiem. In Radzivilianis latifundis, Cryſtalli albæ, rubræ, luteæ, & venis Carneoli, Calcedonii, notatæ, matrici lapideæ includuntur.

XVII. DENDRITES Græcis, Dendrachita *Agricolæ*, Petra nemoroſa *Imperato*, Germ. Stauden-Stein, Pol. *Kamien drzewny*, arbuſcularum, nemorum, imagines veluti pictas, diminutâ formâ, repræſentat, quæ (præter alios) *Scheuchzero in Diſſertat. Epiſtolica de Dendritis*, non ſunt ipſæ arbusculæ petrefactæ, nec impreſſiones fruticum, in molliorem adhuc lapidum ſuperficiem, factæ, ſed expreſſiones fluidi cujusdam, ex ipſorum lapidum ſubſtantia provenientis, quod poſtea amplius ſpatium quærens, per extremam lapidum ſuperficiem ſe ſe diffundit, & vi actinoholica partium ſalinarum, ipſi tincturæ

im-

immixtarum, in effusione sui, ac exsiccatione, formam arbuscularum imitatur. Addit *Idem Author in Herbario Diluviano:* marmora duo polita, vel duo lapides fissiles læves, superinvicem oleo vel aqua interfluente triti, arbuscularum figuras exprimunt. Dendrites alius est, cujus tinctura arborifica totam lapidis crassitiem penetrat, ita tamen, ut in sola superficie prima, distinctas arborum icones exhibeat, & si poliatur, obscurior sensim evadit, alius quò plùs politur, eò prodit in figuris arbuscularum distinctior, tandem alius in superficie duntaxat figuras ostentat, quibus abrasis, ne vestigium quidem ullum effigiei arboreæ comparet. Juxta *Imperatum in Hist. Natur.*, Dendrites si igni imponatur, brevi evanescet pictura, relicto lapide simplici & nudo, quapropter tinctura, quâ pingitur, differt à lapidis natura. Varii Dendritæ enumerantur *à Scheuchzero præfato, in Herbario Diluvi. & Appendice, in Oryctographia Helvetica, a Mylio in Memorabilibus Saxoniæ Subterr. à Buttners in Ruderibus Diluvii testibus.* Inveniuntur passim in Hetruria, &c. circa Gedanum lecti saxei plures, tum alibi, tum prope Montem Hagels-Berg, cum arbuscularum, frondium, nemorum, expressionibus. LITHOPHYTA *Luidio in Lithophylacio Britannico*, sunt lapides in superficie sua, herbarum, florum, foliorum figuras exhibentes, hi siquidem ad Dendritas referuntur à multis, ideo hîc locum obtinent. De talibus extat *Heynii Historia, Scheuchzeri Dissertatio Epistolica*, ejusdem authoris *Physica Sacra* icones plurimas Plantarum expressarum in saxis, repræsentat in tabulis. Opinione *Kircheri, Mundi Subterranei lib.* 8. cum terræ lapidescenti variarum stirpium, plantarumque pulveres insint, in quibus, unà cum exiguo calore, nescio quid spermaticum adhuc adest, quod in lapide tunc molli, materiam nactum utcunque ad id aptam, cum plantarum substantiam, ex ea constituere non possit, id, quod potest, hoc est solas, in materia arborum, herbarumque imagines, plastica facultate, quæ seminali virtuti adhuc aliquomodo inexistit, depingit. Ista assertio opponitur *Scheuchzeri* assertioni supraadductæ, utraque non expenditur, ut sen-

tiendi libertas relinquatur. Secundùm alios, folia in terram argillaceam, & lutosam projecta, terrestri salsugine, aliisque fumis subterraneis firmata fuerunt, & conservata. Ob massæ duritiem nequeunt separari. Lapis pyrimachus à nonnullis vocatus, rosulis pictus apparuit in viciniis Urbis Gedanensis. Expressus Fucus marinus in saxo subnigro uno, in altero cinereo, è terra erutus Lapis calcarius cum parte Fuci membranacei, lapis albus cum portione notabili ejusdem plantæ, collectanea auxit curiosa. Ibidem folia saxis figuram suam reliquerunt. Interdum contingit, inquit *Beringer in Lithographia Wirceburgensi*, ut lapis folium majus monstret, & tunc in loco aliquo folium obrutum limo, emarcuit, cavitatem intrà limum reliquit cum tinctura, natura deinde spatium illud implevit, succo petrifico, ac folium efformavit.

XVIII. ECHINITES, Echinus marino-terrestris *Ehrharti*, Echinus fossilis, Germ. Igel-Stein, vel Knopf-Stein, See-Apfel-Stein, Pol. *Jezowy kamien*, est lapis Echinum marinum aculeis suis seu radiis spoliatum, figurâ suâ præseferens. Ex descriptione *Aldrovandi in Musæo Metallico* est lapis rotundus, fastigiatus, radiis quinis latis, ad modum Stellæ insignitus, testam Echini marini perbenè imitans. Idem lapis *à Mercato in Metallotheca Valicana*, Pentexoche minor appellatur. Varietas Echinitarum *ab Aldrovando in Musæo Metallico*, *à Scilla in Vana Speculatione*, *à Scheuchzero in Museo Diluviano*, *à Sloane in Hist. Nat. Jamaica*, *à Plotio*, *Mortono*, *à Breynio in Schediasm. de Echinis methodice disponendis*, *à Kleinio in Naturali Dispositione Echino-Dermatum* M. S. S. proponitur, *à Luidio*, *Listero*, *Langio*, *Rumphio*, *Helvingio*, aliisque exponitur. Sunt pileati, galeati, clypeati, cordati, spatagoidæi, discoidæi, ovarii, læves, sulcati, &c. alii elatiores, aut magis acuminati, depressi alii: *à Bajero in Oryctographia Norica*, divisi in rotundos, & oblongos, in papillosos, & suturis aut sulcis, lineisve ornatos. Opinione *à Melle in Epist. ad Woodwardum de Echinitis Wagricis*, nullus in Mari Balthico Echinus capitur, totque dantur Echinitarum species, quot Echinorum setosorum & aculeatorum in

in mari genera, ad Echinos enim origo eorum refertur à plurimis, licet *Plot. in Hist. Natur. Oxfordiensi*, magno conatu agit, ut probet Echinitas, & alia corpora figurata, esse lapides sui generis. Talium lapidum copiam maximam Balthici Maris littus sùppeditat, ad pagum piscatorum Niendorp, secundo lapide Lubecâ distantem. Poloni, qui Pentexochas nobis Romam tulerunt, ait *Mercatus* suprà adductus, ad ripas amnium & torrentium, qui augent Vistulam, inveniri dicebant. Reperti & in Prussia prope Torunium; Echinites albicans, ad Fortalitium Mundense, erutus. In proximis locis Urbi Gedanensi, Echinitici radioli vestigium luteum lapidi avenario cinereo adhærens, Echinitici radioli perpendiculariter punctati vestigium in silice, Echinitici radioli vestigium, in saxo sabuloso, inventum. Aculei Echinitici in lapide calcario, Varsaviâ Gedanum missi. OVVM ANGVINVM ad Brontiam seu Ombriam à nonnullis relatum, *Lochnero in Raritatibus Musæi Besleriani* est Echinites orbiculatus depressus, idem Ovum *à Luidio* vocatur Echinites maximus, &c. Figuræ Ovi anguini *in Boetio de Boot* videantur, sensusque dubius ejus perpendatur. ENHYDROS, inquit *Boetius* à Geode non differt, nisi contento; ut enim Geodes arenam, vel terram, ita hic aquam continet. Est rotunditatis absolutæ, *Plinio teste*, in candore lævis, ad motum fluctuat intus in eo, veluti in ovis, liquor. Relatum est mihi, quòd Surasienses Ferrifodinæ in Volhinia, Enhydros contineant.

XIX. ENTROCHVS, Germ. Spange-Stein, Räder-Stein, Pol. *Kolowy kamien*, id est, lapis rotæ figuram referens, ex Trochitis non separatis, modò ternis, modò quaternis, etiam vicenis sibi invicem superpositis, inquit *Boetius & Lachmundus* sic constans, ut Trochilarum plurimorum fit conjunctio. Differentiæ variæ Entrochorum *à Rosino in Prodromo Tentaminis de Lithozois, à Scheuchzero in Musæo Diluviano, in Oryctograph. Helvetica*, propositæ. Originis sunt incertæ *Lancisio*, Stellarum marinarum vertebræ conversæ in lapides. *Luidio in Epist. ad Rajum*, Stellarum marinarum radii fracti, *eidem in Li-*

thophylacio Britannico, ſpinæ dorſi animalis cujusdam marini, *Volckmanno in Sileſia Subterranea.* Ab aliis Entrochi vegetabilium claſſi annumerati, & in primis Coralliis foſſilibus, iisque ſaxoſis ſeu petricoſis. Paſſim Trochitæ ſunt orbiculares & perforati, à foramine ad peripheriam ſtriati, coloris albi, vel cinerei, vel lutei, &c. in aceto poſiti attollentes bullas, ſaxis inhærentes. Quodſi Trochitæ ſibi ſuperpoſiti ſint longiores, Entrochi columnares dicuntur. Entrochi magnitudinis variæ, ex viginti, & pluribus Trochitis ſubtiliſſimè ſtriatis quandoque compoſiti, teſte *Leopold in Relati. Epiſtolica de Itinere Svecico*, effodiuntur in Svecia. Non caret etiam Pruſſia Entrochis, ſeu Entrocho-petris, tum alibi, tum non procul ab Emporio Gedanenſi, ubi juventus eſt lapis non exiguus, ad Caput quoddam Meduſæ, ſeu Stellæ marinæ referendus, Entrochis plenus. Ibidem fuerant ſaxa ex Entrochis, Trochis, Buccinulis, compacta. Entrochi majores, Entrochi minuti, & Entrochorum fragmenta detrita, in ſaxo calcario, circa Varſaviam, & Grodnam, comperta.

XX. FLVORES, Germ. Flüſſe, Pol. *Kamienie ciekace*, à fluendo vocati, quòd igne facilius, quàm alii lapides fundi, liquari, ſoleant. Medium locum inter Gemmas & Lapides obtinere videntur *Boetio & Valentino in Diſſertationibus Epiſtolicis*, nihilque aliud ſunt, quàm Gemmæ, requiſita duritie deſtitutæ & imperfectæ, pellucidæ tamen, variis ludentes coloribus, Gemmarum plurium referentes ſimilitudinem, v. g. Smaragdi, Praſii, Amethyſti, Cryſtalli, &c. Figurâ incertâ gaudent, & multi ſimul inæqualiter cohærentes proveniunt, ita tamen ut ſeparari, frangique non difficulter poſſint. Differentiæ Fluorum plures *in Aldrovandi Muſæo Metallico* expoſitæ. Numeroſi Fluores quadranguli, ſexanguli, pyramidales, quadrati, longi, metæ figurâ, &c. pellucidi, & non pellucidi, coloribus variis tincti, adhærentes lapidibus, aut illis immerſi, pyrite obducti, &c. *à Rulando in Lexico Alchemiæ* recenſentur, omnes ſenſu *Leigh in Hiſt. Natur. Langaſtriæ*, ex ſalibus vitriolicis, ſulphureis, & terreis particulis, componuntur.

Me-

Metalla dum artifices excoquunt, adhibent illos, reddunt enim in igne materiam fluidam, ideoque ab iisdem Fluores dicti. Commendantur etiam ad vitra conficienda, multi igne paulò intensiore rediguntur in calcem albam gypso asperiorem. Fluores Crystallinos, *Imperatus* Ingemmationes appellavit, easque insepultas, hoc est tales, quæ in terræ visceribus generantur absque fulcimento basis, quò innitantur, & affixas, sive tales, quæ certam habent matricem, cui radicibus suis affiguntur. Fluores transparentes, cineo colore fulgentes, à Crystallis non differentes, nisi inferiore gradu mollitiei, quasi in racemum conserti, calcario saxo innixi, fragiles, separabiles, in Oppido *Taykury* Volhiniæ effossi, prope Templum Parochiale. Similes apparent interdum in Monte dicto *Kaminska gora*, Vistulæ imminente ad Sandomiriam: In lapide uno simili marmori, Fluores rubro-candidos, in secundo scabro albos & rubeos, Puckum versùs ager obtulerat. Fluores albidi sed multùm fragiles, è monte sito ad Crosnam sunt deprompti.

XXI. GAGATES, Germ. Gagat-Stein, Pol. *Gagatek*, est lapis *Plinio*, ex bitumine liquido, vel succo bituminoso, concretus, niger, ardens admotus igni, & bituminis odorem reddens. Sensu *Gabelii*, *Fuschi*, aliorumque authorum, est Succinum nigrum, exustum, calefactum attritu paleas trahens. Solidior atque densior Gagates Carbone fossili, Pissasphalto non dissimilis, sed magis durus & niger. Sunt, qui eum affirmant non differre à Thracio lapide, qui è Thraciæ flumine colligitur, nec ab Obsidiano, qui in Æthiopia, *ab Obsidiano quodam* repertus. A Lithantrace seu Carbone fossili, (ut dictum est) duritie differt tali ut poliri possit, aliisque qualitatibus, præter puriorem materiam. In quibusdam Europæ regionibus, Gagates continetur Lapicidinis, asserente *Boyle authore Specimine de Gemmarum origine*, estque fossile verum. Gagates Prussicus notus est pridem Fossilium Observatoribus, annuente *Agricola in Natura Fossilium*, hisce verbis: Gagates seu nigrum bitumen ejicitur in littora Æstiorum, simul

simul cum Succino, quanquam rarissimè. Ubi per Æthiorum littora, non alia, quàm Prussica intellexit, nam Æstios Prussiæ, & Livoniæ, incolas fuisse, ex *Tacito*, *Cluverio* & Historicis antiquis Prussicis, constat. Idem lapis allatus ex Prussia, *in Mylii, & Gottwaldii Musæis* reponebatur. Maris Balthici littus, ait *Helwing in Lithographiâ. Angerburgica, Part.* 2. inventus Gagates niger, levis, aquæ tamen non supernatans, non scissilis, neque assulatim in latum divisibilis, crassioris consistentiæ, quàm Carbo fossilis, mallei ictu non facilè dividendus. Hic igni admotus flammam concepit, in suffitu spirabat odorem gravem, eumque sulphureum, & in attritu, paleas, aliasque res leves, traxit. Etiam *Hartmannus in Hist. Succini*, se sustulisse, ad Mare Balthicum frusta Gagatis testatus. Ad extremum *Wigandus in Tractatu de Succino* Gagatis Prussiæ meminit.

XXII, GEODES, Germ. Adler-Stein, Pol. *Orli kamien*, habet, inquit *Levinus Vincentiut in Thertro Mirando Naturæ*, affinitatem cum Ætite, & ferè est rotundus. A multis ille lapis vocatur Geodes, qui terram continet, reflexione habita, supra Græcum nomen. Et ex *Boetii de Boot* descriptione, est lapis rotundus, terram aut arenam concludens, relatus ad Ætitis speciem tertiam. Dum terram vel arenam non sonantem includit, ait idem *Boetius*, *& de Laet*, Geodes propriè vocari potest. Argilla, aut Marga in lapide eodem existens, Medicorum judiciô, Terræ Sigillatæ facultatem habet, cor recreat, sudores elicit, venenis cum vino exhibita resistit, dysenteriam malignam, & alvi fluxum sistit. Reperitur Geodis genus, propè Aretium, candidum, figurâ oblongâ, utrinque acuminatâ. Montes & colles, in Regno nostro, Geodas interdum offerunt.

XXIII. GLOSSOPETRA, German. Natter-Zünglein, Stein-Zungen, Pol. *Jezyczny kamien*, est lapis figuram lingvæ deferens. A plurimis non solùm serpentis lingua denominatur, sed & esse putatur, hæc lingua tamen, sensu *Boetii de Boot*, fuerat nunquam, sed lapis generis sui. Scrutatoribus Na-

Naturæ aliis, *Caſalpino, Poterio, Velſchio, Fabio Columnæ, de Laet, Hoeckio, Gejero, Lynceo*, &c. Gloſſopetræ ſunt dentes animalium marinorum, *Woodwardo in Hiſt. Nat. Telluris*, Canum marinorum, ſimiliumque piſcium. A plurimis Odonopetra appellatur, poſtquam *Steno* Canem Carchariæ piſcem fauce capaciſſima patentem, talibus dentibus armatum eſſe demonſtravit, inquit *Rappolt in Quæſtione Naturali Pruſſica, de Oolitho Regiomontano.* Canis Carcharias *Rondeletio* idem eſt cum Lamia piſce cetaceo, cartilagineo, quem, tradit *Bellonius*, dentibus plùs minùs ducentis refertum eſſe. Et *Luidio in Lithophyl. Britannico*, Gloſſopetræ ſunt piſcium dentes inciſores, inſtar marmoris, politiſſimi, quaſi oleo obducti, reſplendentes. Gloſſopetrarum differentiæ *in Aldrovandi Muſæo Metallico* videantur. Nullibi plures reperiuntur, teſte *Mercato in Metallotheca Vaticana*, quàm in Balearibus Inſulis, & Sardinia. Pruſſicum agrum, refert *Reskius in Commentatione Phyſico-Hiſtorica de Gloſſopetris Luneburgenſibus*, edere Gloſſopetras. Confirmat *Werdries in Phyſica*, Canthariæque dentes vocat. Gloſſopetra Ruſſica cinerea, lingvæ Pici avis ſimilis, altera cinerea lingvam Reguli exprimens, tertia nigra *à Rulando in Lexico Alchemiæ*, ad paginam deducta. Gloſſopetra Pruſſica mucronata, recurviroſtra, denſato margine, *in Lithographia Helwing.* expreſſa.

XXIV. GRANATVS, Carchedonius *Plinii*, Sandraſtus, Garamantites, Rubinus nigricans aliorum, Germ. Granat-Stein, Pol. *Granatek*, ab antiquis pro Carbunculo habitus, teſtante *Braſavolo in Examine Gemmarum*, ad Carbunculi genera relatus *à Boetio*, nam ſoli, aut luci expoſitus carbonis igniti imaginem exhibet: datur anguloſus, & ſine angulis. Granati noſtri rubent, inſtar ignis, vel minii, tam nativi, quàm factitii, ait *de Laet in Gemmis & Lapid.* naſcuntur in Misnia, in ſaxo duriſſimo, (quod propterea mater ſeu matrix Granatorum appellatur) è quo eximuntur, in agro occurrunt, aratris eruuntur, aut è fontium arenis attolluntur. Bohemici Granati perſpicui, propè Balnea Teplicenſia, & Oppidum *Bilina* inventi,

venti, judiciô *Boetii de Boot*, Orientalibus sunt nobiliorès, tum quia vitio carent, tum quia ignem fortissimum sustinent, verisque carbonibus sunt assimiles. Hos rustici in agris passim absque matrice inveniunt, extrinsecùs ita nigricant, ut nisi contra lucem quis eos intueatur, rubedinem vix possit percipere. Idem notavit *de Laet præfatus in Gemmis*: tam intensa est rubedo in Granato Bohemico, ut nigrescat, peculiare est illi ignem ferre diutissimè, sinè ulla coloris mutatione. Nigredo corrigitur, dum excavatus, laminâ albâ, impletur. In medicos usus Granati recepti calcinantur, & electuariis cordialibus adhibentur. Opinione *Joannis Michaelis, in Notis & Animadverss. in Schröderi Pharmacop.*, medentur cordis palpitationi, lipothymiæ, & omnibus aliis cordis affectibus, quemadmodum & iis, qui oriuntur à melancholia. Non destituuntur Scepusienses Montes, qui Poloniam versùs vergunt, Granatis, quos in magna copia rustici eos visitantes adferunt, magnitudine lentis, pisi majoris, arenæ, &c. color eorum est rubicundus, aliquantùm tamen subniger, quorundam verò ad purpureum vergens. *Bruckmann in Magnalibus Dei, Subterraneis locis contentis.* Granati polygonii in matrice lapidea grisea, Bohemicis comparandi, circa *Naliboki* aut *Piasecznа* pagos Palatinatûs Novogrodensis, in M. D. L. de terra extracti. In vicinia Fortalitii Mundensis ad Gedanum Granatus purus & impurus, à Gemmarum politore est lectus. Quòd Carpatici montes Granatos ferant, *Belius in Prodromo Hungariæ, & Collectanea Naturæ Vratislavienſia*, innuunt.

XXV. HÆMATITES seu Lapis Sangvinarius, Petra Sangvinaria, Germ. Blut-Stein, Pol. *Krwawnik kamien*, multis, metallicæ substantiæ est, nonnullis, naturæ mediæ, inter terram, lapidem, & metallum. Fractus, instar Antimonii, strias seu fibras oblongas, acubus similes, habet. Probatissimus Hæmatites *Dioscoridi, & Imperato*, friabilis, rubeus, aut nigricans, durus, æqualis, nullasque sordes admixtas tenens, nec lineis variatus. Datur *Boetio* præter rubescentem, flavescens, nigricans, & coloris ferruginei. Quinque genera Hæmatitarum,

rum, à *Cæsio in Mineralogia* enumerantur. Fodinas maximè amat, juxta *Bauschium in Schediasmate de eo*, & cum Ferro insignem affinitatem obtinet, immò Ferrum reperiri in Hæmatite omni, *Matthiolus, & Jacobæus author Musæi Hafnienſis*, affirmant, quod igne fortiſſimo extrahitur. Adeſt *Hannemanni Obſervatio de modo Mercurium eliciendi ex Hæmatite.* Attenuantis, & adſtringentis eſt facultatis, hæmorrhagias, ſangvinis fluxus, dyſenterias, compeſcit, ex vino ad Serpentum ictus propinatur. Laudibus magnis à *Tralliano* effertur, qui pulveris triti, ad lapidem, ſcrupulum unum vel alterum vino infuſum præſcribit, ſangvinem expuentibus, & pulmones ulceroſos gerentibus. Humores acidos ac corroſivos, morbosque inde chronicos dependentes, infringit. Quòd geſtatus ſangvinem è naribus fluentem ſiſtit, ait *Baconus in Sylva Sylvarum*, procul dubio ex adſtrictione, & ſpirituum refrigeratione, id provenit. SCHISTVS & Hæmatites ſunt cognati lapides, ex eadem materia coagulati, ait *Agricola de Natura Foſſilium, lib. 5. pag.* 605, tantùm figurâ, & aliis quibusdam, differunt. Hæmatites attritus cotibus aquariis reddit ſuccum ſangvineum. Schiſtus verò nominatur, non quod aut fiſſus ſit, aut omnis facilè findi poſſit, ſed quòd videatur quodammodo eſſe fiſſus. Et *Rulando in Lexico Alchemiæ*, Schiſtus eſt ſpecies Hæmatitis, differt autem ab eo, quia Schiſtus eſt pallidior, & crocei coloris, ſuapte natura, fiſſilis, Ammoniaco Sali ſimilis, at Hæmatites, venis rubentibus, friabilis eſt, & ſangvineus. Secundùm *Boetium de Boot in Gemmis, & Lochnerum in Rarioribus Muſæi Besleriani*, Schiſtus in laminas rectas ſcinditur, Hæmatites autem non eo modo, Schiſtus colorem floridum reddit, Hæmatites ſaturiorem, Cinnabari ſimilem. Hæmatites, ex deſcriptione *Valentini in Aurifodina Medica*, plerumque in obtuſis fruſtis, Schiſtus contrà acutus, inſtar cunei, apparet. Ille inæquales habens ſtrias, in fruſta inæqualia dividitur, hic deſcendit in æquales lamellas, æqualibusque ſtriis apparet diviſus. Ad extremum *Bauſchius in Schediasmate ſupra adducto*, Schiſtum cum Hæmatite ſimilitudinem tantam habere dicit,

ut frequentiùs primus, quàm ſecundus nobis offerri ſoleat. Addit *Agricola*, Schiſtum Germani multi non diſtingvunt ab Hæmatite. De Schiſto *Plinii*, *Dioſcoridis*, *Matthioli*, *Galeni*, & aliorum, *Cæſii Mineralogia* conſulatur. Effoditur Schiſtus in pluribus locis Sylvæ Herciniæ, in Germania, in Bohemia. Hæc differentiæ cauſâ de Schiſto poſita, ad Hæmatitem redeo genuinum. Reperitur Hæmatites non ſolùm in Ægypto, Arabia, Africa, ſed etiam in Hiſpania, Italia, Brixienſi agro, in Germaniæ, & Bohemiæ montibus. Sæpiùs molis ſtupendæ eſt, ut fruſtum centum & decem librarum pondus efficiat. Datur Hæmatites & Polonicus. *Volkmanns in Sileſia Subterranea.* Carpatus, in limite Poloniæ, habet lapidem, Germ. Blut-Stein, hic in extremo uno acuminatus, craſſior in ſecundo, meſiùsque Schiſtus denominari poteſt, quàm Hæmatites. *Bruckmann in Magnalibus Dei Subterraneis.* Spectando deſcriptiones Hæmatitis allatas, à viris in naturæ indagatione egregiis, ignoro cur Schiſtum Hæmatitis ſpurium eſſe exiſtimat, eſt enim (ut expertus ſum) duriuſculus, partim rubei, partim ferruginei coloris, friabilis, purus, ad cotem, ſuccum ſangvineum edens. Duplex ſtatuitur ab aliquibus, propter mares æqualis, propter fæminas continens lineas ſeu fibras. Uſus illius eſt, apud fortunæ inopes, cum cereviſia calida, aut liquore alio, cum Oleo Olivarum, cum Oleo S. Joannis, ad læſionem ſpinæ ſeu convulſionem vertebrarum, (ex pondere potiſſimùm) ſanandam, ad conquaſſatum, motu nimio, corpus reparandum. Invenitur in Carpathicis montibus, tam ad Hungariam, quàm ad Poloniam, ſpectantibus, inter rupes, depromuntur è profundiore terra maſſæ magnæ, hæ diviſæ in fruſta Cracoviam, &c. adferuntur à Monticolis circa Neoforium, Pol *Nowytarg*, alibique manentibus, laudantur à Pharmacopolis etiam Gedanenſibus.

XXVI HELIOTROPIVM, *Boetio de Boot* Heliotropius, Germ. Satgrüner Jaſpis, Pol. *Slonecznik kamien*, lapis à ſole nomen accipiens, obſcurè viridis ſeu coloris porracei, ſangvineis punctis aut venis diſtinctus. Jaſpis Orientalis à qui-

quibusdam vocatus perperam, nam ille, ait *de Laet*, magis viret, nihilque sangvinei in se admittit. Jaspidis est species Heliotropium *Imperato in Hist. Natur*, colore viridi obscuro, optimæ polituræ, alicubi translucens, alicubi notis conspersum sangvineis. Adnascitur vel innascitur interdum Jaspidibus & Prasiis. Effectus à veteribus promulgati, à nostri sæculi Heliotropio non fiunt, ita ut veterum hic lapis, ex observatione *Boetii*, vel alius fuerit, vel falsò adscriberentur illi facultates. Est Indicum, Æthiopicum, Africanum, Cyprium, Germania, & præcipuè Bohemia illo non caret. Magnitudinis interdum tantæ, referente *Nicols in Libello Gemmarum, & Boetio*, ut tumuli lapidem constituat. Fundus pagorum *Nalibóki*, aut *Piaseczna*, Heliotropium non modicum, elegans, viroris remissioris, ferens puncta sangvinea, Jaspidi similes grumos includens *Celsissimæ Ducissæ Annæ Radzivilie Cancellariæ M. D. Litvaniæ* obtulit. HYACINTHVS LAPIS, German. Hyacinth, Pol. *Hiiacynt, Jacint*, inter gemmas ponitur. Juxta *Boetium de Boot*, qui ex flavedine rubent, ignisque flammas imitantur Hyacinthi, ad Carbunculi genera referuntur, verùm non omnes, sed id genus tantùm, quod cæteris rubicundius est. Idem author, Hyacinthorum, ratione coloris, genera quatuor statuit, primum eorum, qui instar ignis rubicant, Cocci colorem referunt, ac hi præstantissimi, secundum illorum, qui rubedine Cocci flavescunt, tertium aliorum, qui succini flavi colorem ita exactè ostendunt, ut dignosci non possint, hi viliſſimi, nec pellucentes, quartum talium, qui nihil rubedinis habent, quique albi, pellucidi, succini, colorem ferunt, viliſſimi. Europæi inveniuntur ad Iseram fluvium, in confiniis Silesiæ, & Bohemiæ. Litvanici in Bonis Radzivilianis, numerum lapidum nobiliorum augent, præfata supra Ducissa Cancellaria mihi referente.

XXVII. JASPIS Græcis, Germanis, & Polonis, colores plurimos recipit, præcipuus est viridis, & quò hic lapis Smaragdo vicinior, eò *Dioscoridi, & Alcasaro*, nobilior est. Ab *Alberto M.* Jaspidis species decem, ab *Isidoro* sedecim, à

Rulando viginti duæ, *à Kundmann in Promptuario Vratislavienſi*, plures enumeratæ. Jaſpachates à commixtione cum Achate vocatur, Jaſponyx in una ſui parte eſt Jaſpis, in altera Onyx, nam conſtat gemmas interdum à natura non ſolùm miſceri, ſed & conjungi. Ab Achate differt Jaſpis, ſenſu *de Laet*, & aliorum, quòd ſit mollior, nec tam exactè poliri poteſt, ſemper enim aliquid pulverulenti & ſcabri in ſe habere videtur: addit *Boetius*, nec tam perſpicuus ut Achates. Naturam, facultates, proprietates, dignitatem, uſum, valorem Jaſpidis, *idem Boetius* fusè deſcripſit, & *Rueus lib. 2. de Gemmis.* Magnitudinis tantæ quandoque eſt, teſte *Boetio prafato, & Worm. in Muſæo*, ut ex eo ſtatuæ, columnæque elaborari poſſint. Dantur Jaſpidum venæ, tanquam ſtrata inter alia ſaxa, *Schutteo in Oryctographia Jenenſi*, id referente. Multi utuntur iſtis lapidibus ad copioſum ignem eliciendum. Reperiuntur in India, Cappadocia, Cypro, Perſia, Germania, Misnia, Bohemia, Sileſia, Polonia. Ad Viſtulam, aliorumque multorum fluminum ripas, ſunt frequentes, ad littora Balthici Maris vicini Gedano, Pucko, Zarnoveco, &c. coloris rubeſcentis, luteſcentis, glauci, cinerei, &c. cortice obducti, ſunt obvii. Viſus per totum corpus ruber, inſtar ſangvinis, absque colore alio, hic, juxta *Boetium*, miras in ſangvine ſiſtendo obtinet vires. Jaſpides Pruſſici numeroſi, non ſolùm ſpadicei, ſed & aliter colorati ſervabantur *in Muſæo Gottwaldiano* Gedani, quod magno pretio emptum, Peterburgum eſt deportatum, *Petri Magni Monarchæ Ruſſorum* juſſu. Jaſpachates, non procul à Fortalitio Mundenſi, venit ad manus, In *Bonis Radzivilianis* ſæpiùs ſupra citatis, Jaſpis glaucus elegans, Jaſpis fuſcus ignobilior, quaſi aurantii venis notatus, Jaſpis ruber cum venis diaphanis, Jaſpis ruſſus, cum guttis leviter albis, obſcurè transparentibus, Jaſpis permiſtus Achati, & Calcedonio, lectus. Jaſpachates elegantiſſimus, partim ſemidiaphanus, partim opacus, continens quaſi arenas auro nitentes reperibiles *in Pietra di Aventura* dicta ab Italis, à Chimico quodam primò elaborata Venetiis. Hic lapis, & alter eidem ſimilis abiit in manu-

manubria Polonicarum framearum. Ibidem inventus est Jaspis rubeus, cum venulis, coloris aurei. Item Jaspis includens papilionem, & tres muscas exiguas.

XXVIII. JUDAICVS LAPIS seu Syriacus, *Plinio Tecolithos*, aliis Eurrheus, Eurene, Euresia, Agapis, Germ. Juden-Stein, Pol. *Zydowski kamien.* Prout in Officinis apud Materialistas prostat, inquit *Wagner in Dissertat. de Lapidibus Judaicis*, est lapis exteriùs albescens, aut cinereus, variæ figuræ, balani seu glandis, vel ut quidam malunt, Olivæ seu nuclei Olivæ. Hic iterum est vel lævis, vel striatus, vel tuberculosus, intus constans ex materia selenitica splendescente, coloris albidi, cinerei, aut subfusci, picei. Latet ut plurimùm in terra limosa, lubrica, viscida, cretacea, in sabuletis, in arenofodinis occurrit rariùs, inhæret lapidibus. Species quatuor ejusdem lapidis, & *ab Imperato* exponuntur. Prima glandiformis, in superficie lineis densisque sulcis distincta, secunda ex plurimis nodis composita, tertia columnam referens, cum variis incisuris, quarta habens impressas stellulas. Collisi Judaici Lapides, in facies planas dissiliunt, igni admoti crepitant illicò, & in minimas solvuntur assulas. Sæpè incrustatio quædam Lapidis tartarei rubicundi adhærere ipsis conspicitur. Origo si inquiratur, *à Luidio, Langio, Scheuchzero, Dale*, &c. ad cruftacea marina, specialiter ad Echinorum radios petrefactos, refertur. Stellarum marinarum articuli petrefacti, in substantiam seleniticam mutati, variæ magnitudinis, & figuræ, relicti à Diluvio universali, sunt Judaici lapides, *Wagneri in Dissertat. suprà allegata*, judicio. Triti, & in aqua porrecti difficultati urinæ medentur, calculos vesicæ, & renum rumpunt. Plura, in hac materia, scire desiderans consulat *Dioscoridem*, *Matthiolum*, *Aetium*, *Cæsalpinum in Metallicis*, &c. Profert Judæa, Marchia vetus, Silesia, &c. quòd in Borussiæ agris reperti, *Mentzelius in Lapide Bononiensi* tradit notitiæ. In specie, ille circà Regiomontum comparet, qui Ambrosino Chrysamonites est. Irregularis in ripa Vistulæ propè Varsaviam est inventus.

XXIX.

XXIX. LAPIS CALAMINARIS seu Cadmia lapidosa fossilis, Cadmia Metalli expers, ad differentiam Cadmiæ metallicæ sive Cobalthi, Lapis Latoninus, Germ. Galmey-Stein, Pol. *Galmey*, *Moszczny kamien*, lapis subalbus vel subrubeus, fumum luteum crematus præbens, calcinatus rubicundissimum colorem acquirens; illis in usu, qui ex Ære præparant Aurichalcum, quod sinè eo non potest confici. Sæpè in Metallorum fodinis repertus, externè adhibitus in exsiccandis ulceribus, & vulneribus. Quondam multùm celebrabatur in Asia, deinde inventus in Campania, Italia, Germania, &c. de æstimatione remisit. Exstat non procul ab Arce *Teczyn*, in Palatinatu Cracovienſi, teste *Piskorski in Floſculis Sacræ Erem. B. Salomeæ*. Ad Oppidum *Nowagora* sex milliaribus distans Cracoviâ, & in pago *Lgota* vicino *Skawinæ*, aliisque in locis, idem lapis è terra eximitur, ultra *Alwernæ* Clausstrum R. R. Patrum Bernardinorum post milliare unum & dimidium spectatur. Copiosus advehitur, ad villam *Suchæ*, ex locis proximioribus Carpatho, mittitur Gedanum navibus, inde ad regiones extraneas.

XXX. LAPIS LAZVLI seu Lapis cæruleus, Lapis cyaneus, Germ. Laſur-Stein, Pol. *Lazur*, Sapphiri colore, aut Florum Cyani, aureis punctulis, aut venis exornatus, opacus. Magnam cognationem habet cum Armenio lapide, quò ad colorem, sed hic non ita durus, nec maculis seu guttis consperſus aureis, facilè in pulverem redigendus, quia friabilis. Color ex Lazulo Orientali *Ultramarinum* dictus, aurô pretiosior, nec ætate mutatur, ex Germanico, qui præparatur, ignobilior est, & vulgò Aſurum, Aſur-blau vocatur, vireſcitque progreſſu temporis. Quo pacto, ex Lapide Lazuli, Ultramarinus seu Cyaneus color eliciatur, & in eum usum Lapis eligatur, *Boetius* est evolvendus. Lazulus Orientalis est fixus, igni impositus colorem non mutans, Germanicus non fixus, vitriolicam naturam participans, & in locis vitriolatis reperibilis, sculpturæ non adeò contumax. Quòd in Lapide Lazuli, aureæ micæ sint verum aurum, affirmat *Kircherus Mundi Subterr.*

terr. lib. 12. exponitque *in Propositione* 12. quô modô aurum, postquam tritus fuerit, est separandum. Idem sentit *Langius in Materia Medica pag.* 316. His atque aliis contradicit *Strobelberus in Confectione Alkermes*, his verbis: Lazuli Orientales præstantes, & Germanici ignobiliores, dum persensere vim ignis, scintillas illas non aureas, sed Marcasitæ potiùs flores amisere. In magnitudinem tantam excrescit, ut cultrorum capuli, & cochlearia, fieri ex eo possint. Idem lapis *Dissertationi peculiari à Sebizio* est subjectus: vires in medicina, *à Boetio*, *Bauschio*, aliisque descriptæ. Secundum obtinet locum Lazulus apud *Freistag*, *Aurora Medica*, *lib.* 2. *cap.* 19. qui argenteis punctis coruscat. Nascitur Lazulus in Africa, Asia, Persia, Germania. Inveniebatur apud Chenciniam, *Dlugosso Hist. Pol. lib.* 1. *Cromero in Polonia, testante.* Regnante *Joanne III. Steph. Bidzinski Palatinus Sandomirienſis Capitaneus Chencinenſis*, ex effossa ibidem tabula Lazuli, mensulam elaboratam *Innocentio XI. Summo Pontifici*, muneris loco, obtulerat. Comparuit Polonicus, cum punctis aureis, ad Pinczoviam, Litvanicus *in Radziviliano Thesauro*, Białæ pridem depositus, alter inventus in Novogrodensi Palatinatu, ante annos non multos. Refert *Fabricius in Observat. de Metallicis Rebus & Nominibus*, quòd Aurum adhærens Lapidi cæruleo, & lapidi fissili, in Carpato sit repertum. In Palatinatu Kiovienſi, prope pagum spectantem ad Venerabile Capitulum Vilnense, ex montibus aliquot eruuntur lapilli coloris cærulei, ponderosi, venis aureis insigniti, hi sunt ne ad Lapidem Lazulum referendi, vel ei tantùm assimiles, curiosis scrutatoribus rerum naturalium relinquo, ut Owrucii inquirant deminationem pagi, lapillos spectent, ferant judicium. LAPIS FVSCVS venis quasi argenteis ornatus, in Palatinatu Novogrod. M. D. L. erutus, *ejusd. Ducissæ Radziv.* auxit supellectilem pretiosam, & curiosam.

XXXI. MAGNES seu Siderites, Heraclea, Deracleotis, Lapis Heracleus, Lapis Herculeus, Lapis nauticus, Germ. Magnet-Stein, Pol. *Magnes*, Chymicorum opinione, non tam lapis est, quàm corpus semimetallicum concretum ex Lapide

& Ferro, coloris ferruginei ad cæruleum tendentis, vel exteriùs subrufi, intùs nigricantis. Ex fodinis Ferri, aut locis vicinis erui solet, ipsoque Ferro est ponderosior, atque solidior. Ferrum, *teste Schotto in Magia Magnetica*, decies septies se ipso gravius trahere potest, & retinere. Optimè servatur in ejusdem metalli scobe, armatur circulo ferreo. Species variæ Magnetis dantur, efficaciâ trahendi Ferrum, una differt ab altera. Triplex Magnes *Boetio de Boot*, primus, qui Ferrum trahit, & plagas mundi ostendit, secundus, qui plagas mundi tantùm ostendit, tertius, qui alium Magnetem ad se trahit. A *Camillo Leonardo in Speculo Lapidum*, aliæ species tres Magnetis expositæ, una, quæ tantùm Ferrum, altera, quæ humanam carnem ad se attrahit, tertia Hymmo dicta, ex una parte rapiens Ferrum, fugans ex altera. Magnes Æthyopicus, Macedonicus, Antiochenus, Alexandrinus, Asiaticus, colorum, & virtutum est diversarum; summa laus apud antiquos fuerat Æthyopici. Præter alios plurimos, *Milli & Dechales, de Magnete, Mundi Mathematici Tomo 1.* tractat. Ex Magnetibus plùs Ferri, quàm lapidis continentibus, Ferrum optimum elicitur in Germania. Magnes non solùm ad se trahit Ferrum, sed etiam Ferro attracto imprimit virtutem aliud Ferrum attrahendi, & hoc alteri. Heilsbergæ in Arce Celsissimorum Episcoporum Varmiensium, conclave illud, in quo ad icones deducti dicti Antistites, feneſtra una munita est cratibus ferreis, eisque talibus, quæ ferramenta minora varia, cultrosque attrahunt ad se, attractis vim largiuntur alliciendi acus, aciculas, &c. Ipse *Carolus XII. Rex Svecia* præsens in Varmia, partem cratis acceperat, causâ raritatis. Scribit *Aldrovandus in Musæo Metallico*, quòd Polonia Magneticis non caret saxis.

XXXII. MARGARITÆ, Germ. Perlen, Pol. *Perły*, in carne ostreorum genitæ, ex humore crasso & viscoso, puro tamen nec sordibus infecto, qui vel alimenti convenientis redundantia est, aut excrementorum, ait *Sengwerdii Collegium Physicum*. Sensu *Valentini in Aurifodina Medica*, omnium opti-

mæ

mè acu rem tetigisse illividentur, qui Perlas Concharum ovula esse existimant. Si magnæ sunt Uniones vocantur, & quamvis non nascantur in terra, tamen ponuntur ab authoribus inter Gemmas & Lapides pretiosos. Præferuntur cæteris, *à Rueo lib. 1. de Gemmis*, quæ candidissimæ, lucidissimæ, rotundissimæ, lævissimæ, & minimi ponderis sunt, maximè autem si naturâ perforatæ. Describendo *Juvencius in Historia Societatis Jesu*, piscatum celebrem Margaritarum, in angusto freto, quod Ceylanum inter & Manariam est, & ad quem piscatum millia facilè sexaginta confluunt, ait, creditum olim fuit, ostrea sub aurora emergere in summum æquor, & hiantibus modicè conchis, matutinum rorem excipere, quô, veluti cælesti semine hausto, Uniones parturirentur. Illa verò sic marinis cautibus adhæresçunt, ut nunquam in summo æquore conspiciantur. In Mari Conchæ, Matres Perlarum dictæ, Margaritas concludunt, in fluminibus, rivis, lacubus, stagnis, Mytuli seu Conchæ oblongæ, German. Muscheln, Pol. *Muszle*, habentes utramque valvam æquè cavam, intùs coloris argenteo-cærulei. Margaritæ Occidentales, Bohemicæ, Scoticæ, &c. multò viliores sunt Orientalibus, si tamen, inquit *Boetius de Boot*, proximæ illis pulchritudine videntur, satis magno pretio æstimari possunt, præcipuè si omni macula careant, nulla tubercula habeant, ac tantùm argenteus ille Orientalium splendor illis desit, locoque illius egregium & gratum candorem, seu albedinem habeant. Margaritæ fluviatiles non solùm in Scotia, Bavaria, Bohemia, Silesia, inveniuntur, sed etiam Fluvius *Horiń* Volhiniæ continet, ex quibus majores visæ à plurimis, minores subrotundæ, candidæ, læves, cannabis semen superantes, etiam mihi oblatæ Ostrogii. E *Druia* amne M. D. Litvaniæ, Margaritæ depromptæ, & *de Flumine Maria dicto* ab accolis in Polona Livonia. Quidam aurifaber Luceoriæ, singulis annis adire solitus Stagnum seu Lacum arte elaboratum, recipientem in se profluentem, ad *Komarno* Oppidum Russiæ Palatinatus, ut Margaritas colligeret, & respondebat labori præmium, nam piso minori æquales obveniebant,

bant. Conchæ margaritiferæ, tradit *Valentini author Aurifodinæ Medicæ*, inveniuntur in rivis puram recentemque aquam continentibus, & in quibus Cobites barbatulæ, Truttæque aluntur. Ibi locum, ubi conquieſcunt, in profundis cavernis valde abſcondunt, maximè arenoſum, ſabuloſumque fundum, & juxta ſe invicem proximè jacent. Non citiùs debent diſturbari, quàm à medio Julii, usque ad medium Auguſti, ante id tempus, nullæ adhuc Perlæ ſunt. Mares, nullas apud ſe Perlas continent, ſed fæminæ, quæ in dorſo gerunt inteſtinulum, ponendis ſeu excludendis ovis dicatum.

XXXIII. MARMOR, Germ. Marmor-Stein, Poloni *Marmur*, lapis eximius, duritie, ſplendore, maculis, coloribus variis, commendatus. Dum eruitur è fodinis mollior eſt, proceſſu temporis maximè indureſcit. In Palatinatu Cracovienſi, non procul ab Arce *Tęczyn*, Porphyritem, qui *Plinio* eſt Marmor rubeum punctis candidis interſtinctum, inveniri teſtatur *Piskorsky in Floſculis B. Salomeæ.* E colle propinquo *Skała* Oppido, interdum effertur Marmor coloris ceraſini. Fundus *ad Sacras Virgines Præmoſtratenſes* ſpectans, in eodem Palatinatu, continet Marmora rubro & albo colore varia. Cracovienſia Marmora ideo dicta, quòd in Palatinatu Cracovienſi præfato eruuntur, inter hæc ſunt alba cum ſangvineis venis, r[illegible] cum albicantibus, cana, candida, & gilva. In ejusdem Palatinatus pago *Pſary* natale ſolum habent marmora nigra, cum venulis coloris aurei, alba, rubra, & rava. In fundo pagi *Kamiona* diſtante milliaribus quinque Cracoviâ, eſt Marmor album, nigrum, cinereum, variegatum; ex albo elaboratum eſt pavimentum in Templo Parochiali Neocorcinenſi, & in Sacello Vieliſcenſi. Capitaneatus ſeu Præfectura Chencinenſis, in Palatinatu Sandomirienſi, Marmora colorum diverſorum continet, inter quos eſt ſæpe ceraſinus, interdum viridis. Civitas Chencinia, & Arx vicina in marmoribus poſita, in qua cellaria, in iisdem lapidibus chalybe ſunt exciſa. Circumferentia Civitatis præfatæ, non ſinè montibus marmora ferentibus, nec ſine agris aliquibus coloris ceraſorum.

raſorum. In ripa Tyræ currentis per Podoliam, adſunt, qui referunt Marmor nigrum, apparere, cinereum ad *Kudrynce* Oppidum exiſtere. Advecta Marmora molliora, candidis, rubris, viridibus venis, notata, ex Ruſſiæ Palatinatu Stanislavoviam, Templa ibidem adornarunt. Fert fama quoque, quòd præfatus Palatinatus, circà Haliciam, Boroczanos, Olſzanicam, & alibi, contineat marmora albida, ſubcærulea, flaveſcentia, griſea, ſed non perfecta, nam ſoli expoſita, tempeſtates, pluvias, nives, ventos ſuſtinere diu non poſſunt ſinè operimento, in Templis, palatiis, ædibus, aliisque locis ſiccis, longo tempore durant. In Comitatu Mirenſi, à Civitate *Mir* trahente vocabulum, in Litvania, dicuntur dari marmora, inter quæ unum aſſimilatur Porphyriti, id eſt Lapidi Ægypti rubenti, candidis intervenientibus punctis, aut maculis, venis, à Pol. *Porfir*, *Marmur czerwonobiały* appellato. E regione Oppidi *Buczacz* Podoliæ, mons impendens fluvio tegit lapidem rubeum aſſimilem Marmori, nitidum poſt polituram. Lapides Marmora imitantes duritie, polituræ capaces, metallicis venis refertos, loca propiora Gedano curioſis obtulerant. Similes lapides, Puckum verſùs, de agris extracti, inter quos erat ex rubro & viridi colore varius, rufus cum venis griſeis, ex rubro & albo varius, puniceus granulatus, ex puniceo & albo variegatus, albus grumoſus, cum fibris rubentibus, lardum colore æmulans. Varia Marmora Pruſſica *in Muſæo Gottwaldii Medici Gedanenſis* aſſervabantur.

XXXIV. MOLOCHITES ſeu Malachites, German. Molochit, Dunckel-grüner Stein, Pol. *Slazowy kamien*, ad Jaſpidis vel Praſii ſpecies *à Boetio de Boot* relatus non translucens, viridis, inſtar foliorum recentium Malvæ, unde nomen traxit, nam hæc à Græcis Moloche vocatur. Spiſſiùs viret *Rulando in Lexico Alchemiæ*, quàm Smaragdus, adnaſcitur ferè Chryſocollæ, quæ Germ. Berg-grün eſt, pretio par Achati. Datur absque colore alio, ſpectatur venis albis notatus, maculis nigris infectus, cæruleo colori diſtinctè permixtus, accedens ad Turcoidem, excreſcens tanta magnitudine, ut exigua

pocula, aut cultrorum manubria, ex illo fieri possint. Invenitur in Cypro, Misnia, in Comitatu Tyrolensi, in Palatinatu Novogrodensi M. D. Litvaniæ, circà pagos *Radzivilianos Naliboki & Piaseczna*, sinè venis coloris alterius.

XXXV. OMBRIA, nonnullis Notia, Germ. Wetter-Stein, Donner-Stein, Pol. *Dzdzownica Piorunek*, olim credebatur cum imbribus in terram cadere, Brontia cum tonitru, & fulminibus. Hi duo lapides non sunt speciei diversæ *Boetio de Boot*, sed differunt colore & forma, ut multis aliis contingit lapidibus. Eadem Ombria diversa est, præfati authoris sensu, à Bufonite, cognationem habet cum Ovo anguino conflato à Serpentibus, in quo à basi plana & lævi, quinæ veluti caudæ Serpentum, aut Lacertorum, superiorem partem versùs elatæ, ac paulatim attenuatæ apparent. Litographis recentioribus, Ombriæ, & Brontiæ, nihil aliud sunt, nisi Species Echinitarum seu Echinorum marinorum petrefactorum, à diluvio universali allatorum. Extrà Torunium, & *Kaszczorek* pagum, Ombriæ seu Brontiæ, curiositatum æstimatoribus legendæ prostabunt. *Wendius in Dissertat. de Notabilibus, & Curiosis Torunienſibus.*

XXXVI. ONYX Græcis, Germ. Onych-Stein, Pol. *Onich*, est lapis ex fusco & albo compositus, seu pallescens, ungvem humanum colore & splendore ut plurimùm referens, rarò translucens. Pro colorum varietate, apud *Camillum in Speculo Lapidum, Wormium in Musæo, Boetium in Hist. Gemmarum*, species plures habet, cum albedine, nigredine, cum fusco, flavo, corneo, subcæruleo colore, miram varietatem ostendit, sed quælibet zonas velut lineas tenet, quibus colores invicem distingvuntur. Nigram cum venis albis mittit Arabia, subrufam dat India. Sunt qui Onychem, quando sola & alba est, Calcedonium vocant. Onyx vera, sensu *de Laet in Gem. & Lapidibus*, plurimas variasque cum zonis lacteis possidet venas. Sardonyx dicitur, dum Sardii seu Carneoli rubicundus color Onychi adjungitur. Ad Sigilla conficienda Onyx aptissima, nam polita ceram non recipit, percussa chalybe

lybe ignem ſpargit. Magnitudinis tantæ olim inventa, ut ex ea columnulæ, & pocula conficerentur, nunc ſtatuæ, effigies, elaborantur. Exhibuit Magnus Ducatus Litvaniæ Onychem elegantiſſimam, in Palatinatu Novogrodenſi, circà pagos *Naliboki & Piaſeczna Celſiſſ. Ducum Radziviliorum*, quam zona, inter margines lacteos, ſinuoſos, rivum micantibus arenulis mixtum intercipiens, per medium dividit. Ex ea, caput manubrii Turcico cultro apponendi, *Białæ* elaboratum. Onyx, ungvis humani carnibus impoſiti colorem ferens, mollis, notata zonis, propè *Podkamien* Arcem Ruſſiæ è terra producta, & in Sigillum eſt efformata.

XXXVII. OPALVS, Germ. & Pol. *Opal*, eſt gemma pulcherrima, ob colorum varietatem, quam exhibet in ſua transparentia, adinſtar Iridis; ut aliæ gemmæ, adulterari nulla ratione poteſt. Apparet in illa, inquit *Boetius de Boot*, color cæruleus, purpureus, viridis, flavus, ruber, lacteus, interdum niger. Non videntur tamen colores omnes ineſſe Opalo, quia ſi frangatur, pereunt, quapropter juxtà lucis reflexionem ſeu incidentiam oſtentantur. Inter genera quatuor Opali, primum diaphanum, absque opaco aliquo corpore intrinſeco, Iridem imitans, præſtantiſſimum. Alterum nigrum eſt, ac ex nigredine ignem, Carbunculi fulgorem emittens, jucundiſſimum viſu, rariſſimum, pretioſiſſimum. Tertium varios colores habet, ſed ita flaveſcente corpore, ut non exactè reflexione radiorum, oculos paſcat. Hi ferè omnes Opali ex Hungaria adferuntur, ſatisque ſunt elegantes. Quartum genus Pſeudopali nomine inſignitum diaphanum eſt, oculis piſcium ſimile, &c ab Italis *Giraſole* vocatum. In India, Ægypto, Arabia, Galatia, Cypro, &c. Opali reperiuntur, Carpatii montes quòd Opalos ferant, *Collectanea Naturæ Vratislavienſia* teſtantur. In Pruſſia, non procul à Fortalitio Mundenſi ad Gedanum, Opalus habens colorem album, cæruleum, luteum, viridem, venit ad manus Politoris Gemmarum, à quo politus, ac efformatus in corculum, intravit annulum aureum.

XXXVIII.

XXXVIII. OSTREITES *Kirchero*, aliis Ostracites, Germ. Oſter-Stein, Pol. *Skorupiaſty kamień*, *Oſtrzygow kamień*, denominatus à ſimilitudine cum Concha ſeu Teſta Oſtreorum marinorum, quæ Italis *Oſtrege*, Polonis *Oſtrzygi* ſunt. Diviſibilis in cruſtas manet, quarum una ſuperimponitur alteri, aſpera eſt, & valvis diſſimilibus, una planiore, altera convexiore. Oſtreites ſententiâ veterum, eſt lapis ſcaber generis ſui, Lithographis ævi recentioris, eſt Oſtrei teſta, cataclyſmo durante, ad partes varias Orbis delata, ſucceſſu temporis, petrefacta. Oſtreitæ latent in Montibus Gedano proximis, atque in locis remotioribus, è quorum numero ſequentes eruti, *Muſæo Kleiniano* ut inferrentur. Oſtreites cruſtoſus cum apophyſi magna lapidea. Oſtrei vulgaris maxima valva, intus argenteo quodam ſplendore conſpicua, altera imbricata, & irregulariter rotunda. Oſtrei ſaxatilis imbricati & rugoſi mutila teſta. Oſtrei irregulariter rotundi & convexi teſta valde craſſa, ſquamea, ubivis ferè eroſa. Oſtreites minutus, tenuis, lævis, fragilis, ſubrotundus, albus, in ſaxo arenario. Oſtrei cavi & rotundi teſta in ſaxo eodem. Oſtreorum teſtæ integræ, & diminutæ, figuræ multiplicis, in ſaxo ejusdem ſubſtantiæ. Oſtrei irregulariter rotundi teſta vitriolica vel martialis. Oſtreorum teſtis refertus lapis arenarius, ſimulque fiſtuloſus. Oſtreitæ ex agris Pucenſi Civitati adſitis. Oſtreitæ ex arenis Hagelsberg montis, ejusque confiniis.

XXXIX. RVBINVS ſeu Pyropus, Germ. & Pol. *Rubin*, Carbunculus *Alcaſaro*, *Boetio*, *Camillo*, & aliis, à luce, quâ, inſtar carbonis, lucet, ſic dictus, ideo, inquit *Kircherus*, multi falſò putant, ſplendorem facis illum nocte præbere. Rubinus verus colorem refert Cocci & Laccæ Indicæ, datur alius albicans, & vix rubedinem habens, alius inſtar ceraſi maturi rubens, alius colores mixtos ferens, aut media parte rubens, media candicans. Quinque genera Rubinorum Gemmarii venditant, *Sommerhoff in Lexico Pharmaceutico* referente. Primum eſt eximiè rutilum, & ſplendens, quod abſolutè Carbunculum illi vocant, ſecundum eſt minus fulgidum, quod

pro

pro Rubino habetur, tertium corruptè nominant à Cytino flore, quem refert, quartum est Rubith, quem subinde Spinellum appellant, quintum Granatus seu Carbunculus Garomanticus. Præter Rubinos Orientales solitos nasci in quadam matrice lapidea coloris rosei, fert Silesia candicantes, & gilvos. In Bohemia est petra continens silices crassitudinis diversæ, in illis Rubini solidi & venusti reperiuntur. *Balbinus in Hist. natur. Bohemiæ.* In Prussia interdum reperti, nec Carpatii montes, *teste Belio in Prodromo Hungariæ*, Rubinis carent, inter quos Rubini rupium à *Woodwardo*, *in Fossilibus omnium generum*, appellati non infrequentes.

XL. SAPPHIRVS, Germ. Saphir-Stein, Pol. *Szafir*, gemma pellucida, duritie magna, colore cæruleo perfecto & lucido, seu cæli sereni faciem repræsentante, prædita. Sapphirus saturatè, tam pallidè cærulea, Sapphirus Aquea dicitur, Italis Aqua Marina, quæ forte Beryllus *Plinii*. Ita *Woodwardus in Methodica Fossilium in Classes Distributione.* Virtute pollet cor corfortante ac lætificante, venenis multùm resistit, prodesse oculis, visum conservare, febrium ardores mitigare, creditur. Pretium ejus à colore, puritate, magnitudine, sumitur. Solet adulterari vitrô cæruleô, inter duos Adamantes Bohemicos, glutinato, modisque aliis. Sapphirus optimus ille habetur, qui albis quasi nubeculis refulget. Orientalis præstans, Occidentalis inferior, Bohemicus ad Iseram fluvium, Silesiticus in torrentibus & rivis comparet, circà Hirsbergam & Boleslaviam. Prussia Bohemico similem interdum exhibet. Carpatii montes, inter alios lapides pretiosos, etiam Sapphiros numerant, *Belii in Prodromo Hungariæ*, testimoniô.

XLI. SARDIVS seu Sarda à Sardis primis inventoribus dicitur, aliis Carneolus est, Germ. Carneol, Pol. *Sardyk kamień*, lapis rubedine quadam dilutus, ac carnis, vel ejus loturæ colorem repræsentans. Ruber alius est, alius exigua rubedine tinctus, ex flavo rubescens alius. Optimæ notæ censetur esse ille, qui multùm rubet, & perspicuus est: reliqui, apud *Wormium in Musæo* expressi, minoris pretii. Lætiùs ru-

bens & pellucidus *à Theophrasto* fæmina, saturatiùs rubens mas appellatur, præcipuè ad sigilla adhibetur, nihil enim ceræ in signo detinet. *A Rulando in Lexico Alchemiæ*, ponitur Sarda Indica translucens, multùmque rubens, Sarda pellucida minùs rubens, Sarda pellucida carni similis, punctis rubris plena, Sarda non pellucida loturæ carnis similis, spadiceis, rubris, flavis, & candidis lineis, notata, Sarda pellucida loturæ carnis assimilis, Sarda rubra lineis candidis variata, omnis ad Speciem Jaspidis, ab Authore eodem relata. Sardachates vocatur, dum Achati jungitur Sarda, quæ etiam non rarò Jaspidi, aliisque lapidibus permiscetur. Sardonyx est lapis compositus ex Sardio & Onyche, quatenus utriusque naturam participat, ex Sardio ruborem, ex Onyche candorem habens. Translucida Sardonyx est, si perfecta ut Indica, opaca si minùs perfecta. Omnium perfectissima, quæ ita refert unguem humanum carni impositum, ut simul habeat tres colores, inferiorem nigrum, medium candidum, superiorem rubentem. Post Sardios Indicos, Arabicos, Ægyptios, optimæ notæ, Europæi non contemnendi, nam in Bohemia, Silesia, ad Rhenum, & in aliis regionibus, opinione *Boetii de Boot*, sunt præstantes. Prussicum solum fert Carneolos pulchrè nitentes, ad Vistulam Gedano vicinum, ad Littora Balthici Maris, & alibi in agris, hortis, magis, vel minùs rubentes, duri, contecti crustis, frequentiores. *In Musæo Gottwaldii Medici Gedan.* Sardi, Achates, Chalcedonii, Jaspides, præter alias Prussicas Gemmas, asservabantur. Sardæ Prussicæ carni similes non pellucidæ maculis candidis repletæ, Sardæ pellucidæ, Sardæ vulgares minii colore, Sardæ minùs rubentes, Sardæ pellucidæ similes carni punctis rubris plenæ, Sardæ flavæ. *Helwing Lithographiæ Angerburgicæ Parte 2.* Ex collectis Carneolis circa *Naliboki & Piaseczna* pagos Novogrodensis Palatinatûs, erant nonnulli modica, alii majore rubedine tincti, punctisque multis coloris quasi aurei elegantissimè insperssi, formati in sigilla. E numero eorum unus Carneolus, librarum quatuor pondus æquabat, secundus sufficiebat, ut phiala non modica, aliaque uten-

utensilia elaborarentur ex illo. Non deerat & Achati permistus seu Sardachates. Carneoli magis pellucidi, & saturatiùs rubentis species est Beryllus Gemmariorum, sensu *Woodwardi in Methodica Fossilium in Classes Distributione.*

XLII. SMARAGDVS, Germ. Smaragd, Pol. *Szmaragd*, lapis maximè, gratissimèque virens, lucens, transparens, fragilis, sed durus, semper in magna existimatione & pretio positus. Orientalis uti est virore amænissimus, ita & purissimus, perspicuus, durior, rarò nucis avellanæ majoris quantitatem excedere visus, *Boetio de Boot* teste. Occidentalis tam Peruvianus, quàm Europæus obscurior, quendam virorem exhibens absque radiis, quasi mortuum, & tam magnus reperitur, ut palmæ manûs superet molem. Smaragdus nonnullis Prasinus, si fuerit Scythicus, omnibus, id est Bachrianis, Ægyptiis, Persicis, &c. præfertur. Optimus Coti Lydiæ affricatus traditur relinquere æream maculam. Contra venena remedium adfert, contagia pestilentiæ pellit, alligatus collo à comitiali morbo infantes præservat, *Stellâ, & Rueô in Tractatu de Gemmis*, id affirmante. Invenitur in Æris mineris, in commissuris saxorum, Talci foliis convestitus ad radicem. Refert *Belius in Prodromo Hungariæ*, quòd etiam Carpatii montes Smaragdos contineant. Negare non possum, inquit *Helwing Lithograph. Angerburgicæ Parte* 2. regiones nonnullas nobis conterminas, scilicet Woliniam & Scythiam omnium pretiosissimos Smaragdos possidere, quemadmodum hoc auctores satis fide digni testantur.

XLIII. SPECVLARIS LAPIS seu Lapis Phrygius, Glacies Mariæ, Lapis glacialis, Vitrum fossile, Vitrum lapideum, Germ. Marien-Glas, Marien-Eis, Frauen-Eis, Pol. *Skło kamienne, ziemne, Moskiewski kamień, Kamień przey rzyści.* Selenites seu Lapis Lunaris nonnullis, nam Luna crescente augeri, decrescente minui credebatur, vulgòque Lunæ spuma est appellatus. De eo *Plot in Historia Natur. Agri Oxoniensis*, nonnulla habet, dicitque gigni de Saxo Calcis, cum pauca aqua permista. Idem Specularis Lapis, à speculorum forma

trahit vocabulum, instar Crystalli, pellucidus est, in laminas tenuissimas divisibilis. Adsunt, qui eum, Alumen Scajolæ vocant, cum tamen Alumen non sit, nec ejus saporem habet. Scajola verbum Italum est, scaja enim & scalia crustam significat, Polon. *Skawoia*, ex qua effossa in Siciliæ regione, ac in minutissimum pulverem resoluta, Romæ parabantur mensæ, elegantiâ tantâ, & nitore fulgentes, inquit *Kircherus in Mundo Subterraneo*, ut qui artificium ignorabat, eas ex Marmoribus nitidissimis, Jaspidibus, Alabastris, cæterisque magni pretii lapidibus, confectas existimabat. Modus conficiendi *à Tylkowski in Meteoris* est descriptus. Specularis lapis, & Schisti lamellati, albi, pellucidi, nomen obtinuit, Talco valde affinis est, coloris albi, nigri, cinerei, fusci, mellei. Apud *Langium in Hist. Lapid. Helvetiæ*, ponitur compressus, rhomboidalis, figurâ Crystallum referens seu Crystallinus, saxis sæpe inhærens, aliquando distinctus laterculis. Oritur, sensu *Mercati in Metallotheca Vaticana*, ex liquore limpidissimo, salino-sulphureo, in laminas tenues seu folia plana sciissus, flexilis. In Gypsum ustus convertitur, & ex Gypsi minera effoditur, immò in Gypsi massis reperitur, est enim Gypsi exquisitissima pars, ac ab antiquis Flos Gypsi appellari videtur. In bracteas facilè scinditur, dum in lixivio, de cinere is Aceris albi parato, quod Pol. *Grab*, diutiùs coquitur. Fluores Selenitici *à Mylio in Musæo*, Corpuscula Selenitica, & Particulæ Seleniticæ *à Woodwardo* expositæ. Medicus usus Specularis Lapidis, & Talci, erat apud Sinenses, ait *Schendo in Epistolis de Indiæ Rarioribus*, ab iis ad Europæ Chimicos non ita pridem devenit. Utuntur illo, avellanæ quantitate, *Rulandi in Lexico Alchemiæ* experientiâ fulti, in dysenteria. Juvat pulvis ad tollendam nigredinem dentium, ad callositates absumendas, ad ulcera fistulosa sananda. Et ramenta cruda in vino austero lota dysentericis prosunt. Maxima quantitas ejus invenitur in Moschovia, Africa, Hispania, Cypro, Cappadocia, Sicilia, Bononiensi agro, Turingia, Saxonia, Marchia, Misnia, aliisque locis Germaniæ. In Minore Polonia frequens, inter Cracoviam & Sonczum tegitur

tegitur montibus, in *Poſzdza* pago, vicino Proſzeviciis, candidus, purus, pellucidus, in laminas tenuiſſimas ſciſſilis, ſed non flexilis ut Moſchovicus, fragilis plurimùm, Gedanum advectus Viſtulâ, abiit in Gypſum nobile. Idem lapis, ad villam *Marchocice*, à longè ſplendet, in Ruſſiæ Palatinatu ad Arcem *Podkamień* copioſiſſimus, ad vicum *Sarnki* cellas vinarias & cereviſiarias ornat, Fragæ Templum & Clauſtrum Religioſoſorum S. Franciſci ſuſtentat, in viciniis *Rohatyn*, & *Jezupol* Oppidorum, *Kurzany* villæ, in Cryptis Krziwczenſibus Podoliæ exſtat, propè *Czarnobyl* Oppidum ſitum ad *Prypec* fluvium, dicitur inveniri. Ibi, & alibi ſpectatur etiam minùs purus, ſemiopacus, Gypſo permiſtus, aut in fragmenta diviſus, ſaxis incluſus, purus transparens. Penes hortum, & officinam laterariam Collegii Poſnanienſis S. J. dum argilla effoderetur, apparuit in illa Specularis lapis, in tabellis candidis, diaphanis, oblongis, quadratis, cuſpidatis, &c. facilè in cruſtas fragiles, dividendis. In fundo, vicino S. Lazari Templo idem lapis pugni magnitudine, permiſcetur argillæ.

XLIIII. STALACTITES ſeu Stillatitius lapis, Germ. Wal-Stein, Tropf-Stein, Pol. *Kapany*, *kroplisty kamien*, eſt ex guttulis ſtillantibus, in ſubſtantiam lapideam mutatis, variarum rerum figuras repræſentans. Juxta *Monti Diſſertationem de Monumento Diluviano Bononienſi*, procreatur, à quodam ſale calcario. Judiciò plurium, ex aqua præſertim nivis ſolutæ, ſale lapidifico imbuta, per lutum & ſaxa profluente, rapiente ſecum ramenta lapidum. A *Bruckmanno in Epiſtola Itiner. III. de Bellariis Liprovienſ. Lapideis*, materia illius, Lac Lunæ ſeu Montis aſſignatur, hoc enim, inquit, eſt calx in pulverem ſubtilem comminuta, pulvis aquâ viſcoſâ & nitrioſâ ſolutus, iterumque ſiccatus efficit Stalactitem, qui moderato ignis gradu, in calcem reducitur, commiſſuris ædium glutinandis & firmandis idoneam. Stalactites cognominatus à ſimilitudine, quam cum ſtiria glaciali, hyberno tempore, habet, magnitudine & craſſitie differt, pro diverſitate quantitatis aquæ affluentis, & copiâ materiæ calcariæ, quâ aqua eſt imbuta.

Idem lapis apud *Langium* est Stiriæ-formis maximus & minor, Stiriæ-formis columnaris, Botrytes, guttatim concretus, muscum exprimens, saccharum crystallisatum referens, crustaceus, tubulatus seu in formam tubulorum minimorum redactus. In Antris subterraneis Draconum dictis, Comitatûs Liptoviensis, teste *Bruckmanno præfato*, spectatur Stalactites Botryonem cum petiolo, & Pyrum monstrans, semen anisi saccharo inductum æquans. Ibidem adsunt integri cumuli constantes ex Stalactitiis globulis sphæricis, quando enim hi lapides in commissuris agglutinantur lateribus, ut plurimùm inæqualiter protuberant, & formam acquirunt Fluoribus similem. Inveniuntur Stalactitæ in Cryptis lapideis Provinciarum Regni nostri, de quibus Punct. I. num. XVI. est actum. Vires hujus lapidis adversùs morbos omnes, qui ex Tartaro, ut Medici vocant, gignuntur, *Osvaldus Crollius* commendat.

XLV. STALAGMITES, *Boetii de Boot* opinione, è guttis rotundis in lapidem gypseæ substantiæ conversis totus coagmentatur, in terra arenosa, qui, pro terræ & aquæ fluentis qualitate, modò fuscus, modo candidus, aut griseus, fabarum, pisorum, vel coriandri, refert magnitudinem. Reperiuntur Stalagmitæ in una massa plurimi, quasi favis inclusi. Substantia eorum non differt à Stalactitis seu Stillatitiis lapidibus, nam priores, è guttis formam suam servantibus, globosè coalescunt, posteriores è guttis fluentibus, & strias efficientibus oriuntur. Et *Charletoni in Exercit.* ejusdem naturæ & substantiæ esse videtur cum Stalactite, sed figurâ saltem differt, quòd semper globosè concrescat. Stalagmitæ copiosi in Thermis Carolinis, nam ibi aqua, per noctis spatium, lignum impositum lapideâ crustâ obducit, quæ calcis naturam colore & substantia præsefert. Similes aquæ, id est cortice saxeo varia tegentes, siquidem in Scepusii parte ad Poloniam pertinente defluunt, etiam Stalagmitas ibidem dari existimo. In monte Dobrinio, Templo Parochiali vicino, Vistulæ impendente, dixeram *in Primo Opere*, Fluores nasci, quos incolæ patriâ lingvâ, *Bozy Lodek* appellant, hi forsan sunt Stalagmitæ plures in una massa.

XLVI.

XLVI. STIGMITES *Scheuchzero in Specimine Lithographiæ Helveticæ*, est lapis albus, vel cinereus, punctulis impressis, veluti totidem stigmatibus, per superficiem totam notatus. Aliis est lapis corallinus, cribrosus, cujus porulis profundis cylindricis, angustis, multiplici ordine invicem superstructis, apices albi tophacei, vix sicut seta crassi, perpendiculari situ, intercipiuntur. Denominatur Stigmites etiam Acicularia emporos lapidea, frequensque est in Prussia circà Gedanum, inventa Puckum versùs, ac in viciniis Varsaviæ, &c.

XLVII. TALCVM seu Stella terræ, quòd Stellarum instar, argenteo nitore splendeat, Argyrodamas nonnullorum veterum, Argyrolithus Chimicis, Germ. Talck, Pol. *Talk*, lapis affinis Speculari, sed magis tenuis, squamosus, attactus digitis pingvis esse censetur, in rectas laminas non sciffilis, igni summè resistens, coloris varii, plerumque candidi & argentei. Idem Talcum *Sibaldo in Scotia Illustrata* constat materiâ pellucidâ, ex tenuissimis foliis, compacta, cujus laminæ flexiles sunt. Ex eo Arti Chimicæ dediti Oleum extrahunt ad Æs dealbandum, figuli operâ ejusdem argenteum dant nitorem fictilibus, ab aliis in Speculum causticum solaribus radiis collectis ac concentratis, in pulverem calcinatur & funditur. Dantur quoque Talcosa saxa & Talciformia insperſa micis argenteis. Idem Talcum, *Theophrasti* Magnetides, secundùm *Aldrovandum in Musæo Metall.* a Scajola seu Selenite differt, quia Scajola in Gypsi speciem adustione facilè vertitur, Talcum nonnisi igne vehementissimo in calcem redigitur, ex quo apud Polonos & Livones laternæ fiunt. Teste *Agricola* invenitur in multis locis Germaniæ, Bohemiæ, & Livoniæ, interdum reperibile prope Olivam, & Hagelsberg montem ad Gedanum, &c.

XLVIII. TOPASIVS à Topaza Maris Rubri Insula nomen accepit, German. Topas, Pol. *Topaz*, *Topazin*. Hic lapis veterum, viridis erat & diaphanus, hodie à Gemmariis dictus Topasius, nihil habet viriditatis, sed *Boetio de Boot*, aliisque plurimis, est coloris aurei, & omni dubio procul, inter anti-

antiquorum Chrysolithos numerandus. Color illius, aquæ similis, in qua Crocus, vel Rhabarbarum est dissolutum. Topasii Arabici, Æthiopici, Indici, Bactriani, &c. omnibus gemmis, Adamante excepto, duriores, instar Auri purissimi, rutilantes, atque sic tincti, ut nimium Croci in illis appareat, nonnunquam tamen sunt dilutiores. Europæi instar Crystalli, molles, cum colore aureo, multùm, vel parùm nigricant, nonnulli modicùm flavedinis habent. In Hungaria pallentes reperiuntur, in Bohemia elegantes, aureo puro colore splendentes, ab Orientalibus, sola minori duritie distincti. Dantur Topasii magni, spectavit *Boetius* Topasium Bohemicum, duarum ulnarum longitudine, semiulnæ ferè latitudine. Carpatii montes quòd Topasios ferant, *Collectanea Naturæ Vratislaviensia* innuunt. In Magno Ducatu Litvaniæ Topasius comparuit, inclususque est *Principis Radzivilii* annulo.

XLIX. LAPIDES FIGVRATI seu solâ figurâ notabiles redditi, & à vulgari aliorum lapidum forma diversi, animalia, vegetabilia, cæteraque repræsentantes non omittuntur. De origine Lapidum Figuratorum sententiæ celebriores ab *Hueber in Lithographia Wirceburgensi*, sunt adductæ. Quadruplici modo figuras lapidibus imprimi tradit *Kircherus Mundi Subterr. lib.* 8 Primò, casu fortuito, nubes, montes, cruces, literæ, figuræ Mathematicæ, efformantur. Secundò, ex dispositione terrenæ substantiæ, intrà quam, tanquam intrà formam receptus humor tinctus, tandem spiritu lapidifico, in eam figuram, quam terrenæ substantiæ matrix refert, induratur. Tertiò, ex aliquo singulari accidente, quo figuræ in lapidibus, nunc in hanc, nunc in illam formam emergunt. Quartò, præsertim Cælitum figuræ, ex Divina singulari dispositione proveniunt. BOTRYTES seu lapis in modum racemi figuratus, Pol. *Groniſty kamien*, in *Opalimo* pago Cassubiæ, & circà Grodnam in Litvania, de terra extractus. CALCEIFORMIS lapis sive formam calceoli fæminei exactè referens, in Schottlandiensi horto, prope Gedanum, fossorio erutus. CASEOFORMIS est lapis caseum repræsentans. Inter pagos

Skrze-

Skrzetuſz & *Kotonia*, natura in generatione Lapidum aliorum, etiam ſimilem Hollandico caſeo efformavit, in campis. CHALAXIAS grandinis formam & colorem habens, per Maris Balthici littora ſparſus. CORDIFORMIS ſeu à cordis figura lapis denominatus, Cardisce *Kirchero*, & *Boetio de Boot*, Pol. *Serdecznik kamien*, ſervatur Vajeroviæ in Conventu Ordinis Minorum S. Franciſci, humanum cor repræſentans. Ex campis non multùm diſſitis, allatus eſt Crasnoſtaviam, repertus eſt & in Volhinia. CORNVFORMIS lapis ſeu inſtar Cornu Arietis in ſe retortus, rugisque transverſim ductis exornatus, ad *Karlikowo* pagum Caſſubiæ, calcario ſaxo incluſus. ENORCHIS, juxta *Kircherum Mundi Subterr. lib.* 8. à ſimilitudine teſticulorum, quos figurâ exprimit, appellatus, ex agro pagi *Opalimo* Caſſubiæ, depromptus. ICHTHYOLITHVS eſt lapis piſcem repræſentans, præſertim quò ad ſceleton & oſſeam ſubſtantiam, Pol. *Rybi kamień*. Exhibet *Wolfart in Hiſtoria Naturali Haſſiæ Inferioris*, varios piſces Maris Anglici, Germanici, Mediterranei, ſtratis duriſſimis lapidum inſepultos, ac ita compreſſos, ut nihil plerumque aliud reſtet, quàm eorum figuræ, branchiæ, & ſquamæ. Et *Scheuchzerus*, *in Piſcium querelis & vindiciis*, recenſet lapides Onengenſes, Glaronenſes, Haſſiæ, &c. cum ſceletis ſeu ſimulacris piſcium, vocatque illa univerſalis inundationis monumenta. Spectantur icones ſimilium piſcium in *Muſæo Aldrovandi*, *Moſcardi*, aliisque authoribus. Tractat de iisdem Ichthyolithis *Bajerus in Supplementis Oryctographiæ Noricæ*, inter alias materias. Qua autem ratione natura piſces in ſaxis format, *Kircherus Mundi Subterr. lib.* 8. *pag.* 41. exponit, figuras exhibet. Impreſſiones piſcium Polonicis ſaxis ſpectare mihi non contigit, accepi tamen à viro fidei pleno, quòd ex antiquis muris Arcis Luceorienſis erectæ *à Vitoldo Duce Litvaniæ*, in Volhinia, excuſſus ſit lapis effigie piſcis inſignitus. LAPIS CAVDÆ CANCRI, *à Gesnero in Figuris Lapidum* deſcriptus conſtat pluribus alveolis invicem inarticulatis, ſed non rotundis, verùm inſtar caudæ Aſtacis fluviatilis, hæmisphæricis, tranſitque, inquit

Scheuchzerus in Specimine Lithographiæ Helveticæ, per totam lapidis longitudinem, foramen, materia quadam lapidea infarctum, quod in tuberculum prominulum, plerumque rotundum, tandem desinit. Idem lapis *à Joanne Breynio Medic. Doctore Gedanensi Orthoceratites* appellatur *in Dissertatione de Polythalamiis.* In novem detectas distinctasque species dividitur, ac describitur, inter quas extat Orthoceratites cum siphunculo graciliori axem transeunte, lentissimè decrescens, cum thalamis olim, nunc articulis amplioribus. Orthoceratites siphunculo inter centrum, & peripheriam posito, aliquantùm crassiore, subitò decrescens, thalamis olim, nunc articulis strictioribus. Orthocratites siphone ad peripheriam posito crassiori, lentè decrescens, thalamis olim, nunc articulis latioribus. Orthoceratites siphone ad peripheriam posito crassiore, lentè decrescens, thalamis olim, nunc articulis angustioribus. Hi Orthoceratitæ in Pomerellia, aliisque Prussiæ locis reperti, ut testis marinis suam debeant originem, svadet analogia fabricæ cum Nautilis, & Ammoniis, &c. A *Gmelin Academiæ Petropolitanæ Curiosæ Membro* Radii articulati lapidei, *à Klein Secret. Gedanensi in Descript. Tubulorum Marinorum*, Tubuli concamerati, ab aliis Pfelle, id est Sagittæ, dicti, *à præfato Gmelin* sic descripti, constant ex patellis plurimis rotundis, parallelè sibi invicem incumbentibus, in altera parte convexis, in altera concavis. Inveniuntur ad *Karlikowo* pagum Monasterii Zarnovecensis, in Cassubia, in agris Olivensibus, in fundo villæ *Opalimo*, ex viciniis Grodnæ in Litvania curiosis oblati, ubique fere Calcario saxo inclusi. Svecia quoque & Ingria Orthoceratitas potissimùm sibi hactenus vendicant, in Oelandico marmore frequentissimi, ac insignis magnitudinis. LAPIS IMAGINIBVS INSIGNITVS à natura, sparsim occurrit. De naturæ pictricis industria in lapidibus, plantis, &c. *Kircherus in Arte Magna Lucis & Umbræ*, fusiùs ait. Spelunca Horti Gethsemani in Sacra Eremo B. Salomeæ Virginis, ad *Skala* Oppidum Palatinatûs Cracovienſis continet Tophaceos lapides compluribus imaginculis, mirô naturæ artificiô exornatos.

natos. Speluncam S. Joannis, defluvia ficta aquarum, arcus assurgentes, multiplices hominum, ferarum, & insectorum formæ natæ non factæ implent. *Piskorski in Flosculis Eremi ejusdem.* Extat *Leibnitii Dissertatio de Figuris Animalium, quæ in Lapidibus observantur*, & Lithozoorum nomine venire possunt. LAPIS LITERATVS recentioribus est, qui literâ insignitus extante, vel non extante. De origine lapidum literas exprimentium, *Helwing Lithograph. Angerb. Parte II.* tractat, varias adducens opiniones. Alphabetum naturale in Tolfensibus fodinis collectum, *à Kirchero, in Mundo Subterr.* exhibetur. Lapis literam C. non prominentem repræsentans, alter literam S, in Maris Balthici littore, prope Zarnovecum, ex arenis depromptus. LAPIS COLORIS QVASI CASTANEI, Stemma Fascia vernaculè *Nalęcz* dictum, colore albo expressum in se habuit, inventus in Palatinatu Pomeraniæ. LAPIS SILICEVS FIGVRATVS exprimens Mitram seu Infulam Episcopi Ritus Græci, in agro pagi *Tur* Polesiæ Litvanæ effossus, multis erat spectaculo. Propè *Otorow* villam Palatinatûs Posnanienſis, lapis Judæi formam habuisse narratur. Iter agenti in Kiovienſi Palatinatu, *Zytomiriâ Wyszpolum*, non procul à via publica, exhibet lapis figuram hominis equo insidentis. Famam hîc sequor, quæ à veritate potest deflectere, vel imaginatio spectatores juvare. LAPIS SPHÆRICVS non unus in locis glareosis repertus. Globulus exactè sphæricus coloris plumbei, referente *Kundmann in Promptuario Vratislavienſi*, propè Czenstochoviam effossus. Generatio globulorum ejusmodi *ab Imperato Hist. Natur. lib.* 24. aliisque exponitur. His accedunt Lapides hemisphærici, ovales, & alii plurimi ad Mathematicas figurationes, quocunque modo accedentes, obvii nobis. LAPIS CONCHVLARVM minutissimis fragmentis repletus, variarum plantarum, florum, &c. figuras non eminentes exprimens, in Prussicis maritimis oris numerosissimus. LAPIS GRAVIDVS LAPIDIBVS de Pinczovienſibus latomiis, in Palatinatu Sandomirienſi subinde traditur exportari. Ibi lapis unus coloris cinerei, intra se tenet lapi-

dem alterum nigricantem, æqualem manui in pugnum compressæ, hic lapillum tertium continet, Nucis Coryli nucleo parem. Campus Podoliæ fert lapides molliores, magnitudine poma non excedentes, includentes lapillos rotundos, albicantes, piso minori pares, qui secures, & malleos validissimè impactos sustinent, nec confringuntur. Præfati lapides, ad Ætitum speciem Callimos continentium, referri possunt. ODONTOPETRA, Germ. Stein-Zahn, Pol. *Zab skamiały*, dividitur *à Luidio in Lithophylacio Britannico*, in dentes incisores, & molares, & per incisores dentes magis acuminatos intellexit, Ichtyodontes cuspidatos dixit, per molares verò magis obtusos, quos Ichtyodontes scutellatos appellavit. De similibus *Puncti I. num. VII. titulus Ossa fossilia*, videantur. PANIS DÆMONIS, nonnullis, Panis lapideus, *Aldrovando in Musæo Metallico*, est ille lapis, quem natura pani similem finxit. Unus in forma illius, qui est Germanis Heller-Brod, alter in forma exacta placentæ, Germ. Kuchen, in Palatinatu Sandomirienſi spectatus. Lapis speciem buccellæ siligineæ habens, in Conventu Stolcenbergensi Religiosorum S. Francisci, ad Gedanum, monstratur. Lapides duo panis communis crassioris effigiem exprimentes Schottlandiæ è monte eruti, alii inventi alibi. Artolithus est panis petrefactus, de eo *Valentini in Musæo Musæorum Parte II.* tractat. PARDALIOS est lapis pelli Pantheræ similis. STELECHITES *Kirchero, & Boetio*, est lapis à trunci vel stipitis figura dictus, non procul ab Vrbe Gedanensi, è terra protractus. VNDVLATVS LAPIS sive agitationes fluctuum referens, in Palatinatu Pomeraniæ se obtulit. UVIFORMIS LAPIS, seu uvis passis majoribus similis, penes littus Balthici Maris etiam Gedano vicini, interdum comparet. In Pokutia, eundo Stanislaviâ Sniatinum, videre est lapides exprimentes, marem, fœminam, & panes tres, priores lapides duos incolæ ab aliquot sæculis vernaculè *Kumy* appellarunt, tradideruntque quòd susceptores infantis è sacro fonte, in pœnam peccati venerei sint conversi in saxa. Lapides multi figuris hominum, arietum, Cracoviam versùs,

in

in Monte vetulæ sic dicto, quòd etiam ibidem mulier ætatis decrepitæ exprimatur, sunt insigniti.

L. LAPIDES VVLGARES dicti, qui non sunt præditi singulari aliqua qualitate, vel communiter parvi æstimati. Dividuntur in solidos & porosos. Solidi lapides sunt corpora gravia, ex materia validiùs compacta nati, alii nitidi, alii nitore carentes. Porosi lapides sunt corpora lævia, cavernulis plena, quia minùs compacta est illorum materia. Utrique multis sunt mineralia dura, ex succo salino lapidescente, & variis particulis terreis composita. Saxum à Lapide mole tantùm distingvitur, nam ex magna quantitate materiæ solidè concretæ constat, ex hoc integri montes & maris scopuli sæpiùs efformantur, estque tum arenarium, tum calcarium, tum molare, tum fissile. Petra seu Rupes, Cautes, Vivum saxum *Servio*, aliquando altum & præruptum est, aliquando sub terra latens. Podolia circa Camenecum, & alibi, Volhinia circa Cremenecum, Minor Polonia in Palatinatu Cracovienſi, Ukraina in ripis fluminum abundat Petris, quæ *Skały*, *Opoki*, Polonis. Et Glarea quantitate differt à lapide, reperitur frequens in rivis, & terra scruposa, unde & Scrupus dicitur. Incrementum seu auctio Lapidum dupliciter explicatur. Primò per accretionem seu juxta positionem partium, dum scilicet novæ partes accedunt ad alias jam concretas, illisque agglomerantur. Secundò crescunt lapides per introsumptionem succi seu humoris lapidosi subeuntis per internos meatus, corpus jam concretum, quod tamen non videtur servire omnibus lapidibus. Divulgata est *à Baglivo*, *& Tournefortio* lapidum vegetatio, quibus opponunt se numerosè Lithologi. Lapides per se & sibi relicti non possunt fundi in igne, nisi addatur Sal, vel Metallum, vel res aliqua alia liquabilis. Medulla Saxorum seu Lithomarga, Germ. Stein-Marck, est species Margæ, & quasi terræ quidam adeps, vel glandula corporum, in rimis & fissuris petrarum, lapidum, reperibilis, quæ instar pultis fluida est, vel etiam spissioris consistentiæ, ut aliquando frusta, juglandis magnitudine, exscindantur.

Variat colore albicante, cinereo, fusco, & rubro, virtute leniter adstringendi & absorbendi gaudet, pro Samia terra adhibetur in medicina. AMMOCHRYSVS lapis friabilis seu in arenam non difficilè resolubilis, quasi aureo pulvere conspersus, qui Germ. Katzen-Gold, id est Cati aurum, Pol. *Złotopiasek kamien*, illô nonnulli scribæ ad citò exsiccandam conscriptam papyrum utuntur. Datur Ammochrysus alius in nationibus exteris, à venis auro intermixtis, nunc bracteārum, nunc pulveris quadrulas habens. Lapis Aurichalci colorem referens in frequentissimis bracteis, ad Cudnovum in Ukraina, per superficiem camporum sparsus, est copiosus, alibique reperibilis, librariis locò arenæ inserviens. ARGYRITES, Pol. *Srebrnik kamien*, lapis lamellis, vel micis quasi argenteis splendens, obvius est. Alia Argyritis Gemma, nec apud nos inventa, Argento & Androdamanti similis, habens stigmata aurea, ex *Barth. Anglici* descriptione. Mica *Charletoni in Onomastico Zoico*, est corpus metallicum argento simile, quòd in marmoribus, saxis arenosis, in lapidibus lucet, sed ab iis separari nequit. Eadem mica *Schwenckfeldio in Fossilibus Silesiæ*, est sterile nitidum, German. Stein-Glimmer, Sand-Glimmer, Eisen-Glimmer, in lapidibus, metallis, arenis lucetis, coloris varii, aurei, argentei, galenæ, res nullius momenti. CALCARIVS LAPIS, Germ. Kalck-Stein, Pol. *Wapienny kamień*, est durus, & mollis, ordinariè albicans, sæpe ex fusco cinereus, vel ravus, vel nigricans, frequens in montibus, collibus, agris. In fundo pagi *Rzapicz większy* Palatinatus Pomeraniæ, lapis calcarius tantæ magnitudinis fuerat, ut calcinatus dolia quadraginta quinque calcis vivæ suppeditaret fabris murariis. Etiam Terra Calcaria, Pol. *Margiel*, viribus ignis, in calcem abit notæ inferioris. GALACTITES dicitur lapis ex Saxo Calcario nascens, sicut & Melitides, cui & in reliquis notis valde similis est, cinereo colore, qui cum coti atteritur succum reddit lacteum & dulcem, ex quo nomen suum accepit, Germ. Milch-Stein, Pol. *Mleczník kamien*, laudatur ad oculorum fluxiones, & ulcera, in Saxonia Hetruria nasci-

naſcitur, in noſtro Regno an reperitur, non contigit mihi habere notitiam. COS AQVARIA eſt lapis, quô Ferrum acuitur, ſolidus, nitore carens, granulis conſtans, coloris cinerei, Germ. Wetz-Stein, Polon. *Osta.* Non procul à *Trembowla*, Oppido Ruſſiæ Palatinatus, Cotes præſtantes, coloris nonnihil rubeſcentis, parantur, pagus remotior *Douhe* easdem offert artificibus, & vicinia Oppidi *Wonchock* Palatinatûs Sandomirienſis. ENYDROS lapis, qui aquam intra ſe continet. GYPSI LAPIS, Germ. Gips, Pol. *Gipſowy kamień*, tam vicinus eſt Calcario lapidi, ut primo intuitu diſcerni nequeat, aſt ſi paulò circumſpectiùs obſervetur, non difficilè, ut durior, ſpiſſior, ponderoſior, Marmori aliquatenus ſimilis, diſtingvitur. Et Gypſum ex eo toſto paratum eſt Calci cognatum, tamen minùs calidum, neque tale quod accendatur perfuſum aquâ. Reperiuntur Gypſi lapides, inquit *Agricola de Natur. Foſſilium, lib.* 5. candidi, cinerei, ſubrufi, virides, maculis nigris interſtincti, hi omnes ambuſti evadunt albi. Addit *Lachmund in Oryctograph. Hildesheimenſi, Scheuchzerus in Oryctographia Helvetica*, inveniri Gypſi lapidem candidiſſimum, ebori non diſſimilem, ex candido cinereum, quod Marmoris modo nitet, globoſum, molle, ſaccharo aſſimile, incarnati coloris, & pellucens mellei. Vegetationes ejusdem lapidis, formâ ramoſâ, & pilorum formâ, *ab Imperato Hiſt. Naturalis, lib.* 24. propoſitæ. Depromuntur Lapides Gypſi, in Majori Polonia, ad villam *Gorka* diſtantem *Kciniâ* uno milliari, ad pagum *Wapno* ſitum in regione *Pałuki* dicta, albicantes, habentes partes nonnullas veluti micis ſeleniticis ſplendentes. In Minori Polonia ad *Staszow* Oppidum, *Szoniec* villam, in circumferentia Civitatis *Wislica*, in latifundio Zagierodzenſi, Krzyzanovicenſi, &c. Continentur montibus propè Leopolim, rus *Skała Trembowlæ*, proximum, & alibi ſparſim, Alabaſtro ſimiles, ſplendentes, lævorem ſuſcipientes, quibus tantùm deeſt durities, ut inter Marmora reponantur. Gypſum, Germ. Spat, ait *Charleton*, cum polline lapidum duriorum, pulvere plumbi, & lacte, in lapides tranſit, & ſi colores adiiciuntur, Marmor pondere, ni-

nitore, ac colore imitatur quàm maximè. Ex Speculari Lapide quòd Gypsum præstans conficiatur, Superior numerus XLIII. refert. LAPIS GRANDIS, German. Grosser Stein, Pol. *Kamień wielki*, exsurgit, dum locus est solidior, succi copia uberior, dum autem locus multis hiat meatibus, calor diffiatus, per spiracula, materiam dividit, magnæ molis lapides efformari non sinit. In fundo pagi *Grodek* spectantis ad Sviecensem Capitaneatum in Prussia, & in sylva villæ *Ciepielsk* extant lapides insolitæ magnitudinis. Campus ruris *Siemiatycze* in Palatinatu Kiovienſi exhibet lapides admirationem moventes in spectatore, inter quos unus casam rusticanam exstrui solitam in Polessia, mole videtur adæquare. Idem rivo sic factus obex, ut meatu profundiore facto, sub eo cogatur decurrere. MOLARIS LAPIS, Germ. Mühl-Stein, Polon. *Młyński kamień*, plerumque constat parvis silicibus, ait *Boetius*, cui arena subtilior videtur juncta. Efformatur in fundo, pagorum *Lubicze* Belzensis Palatinatûs, *Nepris* Terræ Chelmensis, *Kunin*, *Zołoby*, *Szyt*, *Noworoczyce*, *Podlesie*, Volhiniæ, *Ciepielsk*, Palatinatûs Pomeraniæ. Oppidum *Piatka* Kiovienſis Palatinatus, eosdem elaborabat ad Hłuboczek fluviolum. POLYMORPHOS ille vocatur lapis, qui est veluti pictus coloribus variis, hunc præter agros, etiam littora Balthici Maris ferunt. PYRITES seu Pyrimachus, Lapis vivus, Lapis Luminis, Lapis Ignis, Igniarius Silex, Marchasita, Arabibus, German. Feuer-Stein, Pol. *Iskrzyk kamień*, ideò dictus, quia ex eo ignis copiosè elicitur. Duplicis generis est *Langio in Hist. Lapid. Helvetiæ* unus, qui substantiam, & formam Silicis retinet, ac Pyrites Siliceus vocatur, Germ. Kiesel-Feuer-Stein, ad differentiam Pyritis Metallaris, qui Metallum crudum & imperfectum fert, vulgò Germ. Kupfer-Stein, superficiei inæqualis, multis tuberculis, & angulis asperæ, coloris cinerei, fusci, aurei, argentei. Pyrites, *Gorra* est omnis lapis, ex quo ignis chalybe excuti potest, sed peculiariter ille, qui in fodinis metallicis invenitur, venis auri, argenti, æris, respersus, medicinis utilis. Edidit *Henckelius Pyritologiam*, sumpsitque experimenta in sexaginta

ginta, imò pluribus Pyritæ ſpeciebus, ex quibus intulit primariam materiam Pyritæ, eſſe Terram Martialem, eique vel Sulphur, vel Arſenicum, vel ſubinde utrumque admixtum, nonnunquam etiam admiſceri Cuprum, Argenti verò atque Auri nonniſi contemnendam portionem adeſſe. Idem Pyritas dividit in albos, ſubflavos, & flavos, albi ſunt Arſenicales, in ſubflavis Mars cum Sulphure prædominatur, in flavis Venus Sulphuri ſociatur. Vitriolum etiam ex Pyritis producitur. Figura ſi ſpectetur, ſunt rotundi, oblongi, anguloſi, ovales, plani, turbinati, &c. Genera varia Pyritum recenſet *Rulandus in Lexico Alchemiæ*, inter quæ ponitur Pyrites coloris argentei, ex quo Argentum excoquitur, Pyrites coloris ferè aurei, Pyrites coloris ferrei, Pyrites niger, viridis, ruber, cæruleus, violaceus, purpureus. Pyrites ſterilis, metallum non continens, & in igne liqueſcens. Pyrites aureo colore tinctus eſt Marchaſita aurea, *Boetio de Boot*, ab aliis & Pyrites coloris argentei, Marchaſitæ argenteæ ſeu metallicæ accepit nomen. Senſu *Matthioli adducti à Cæſio in Mineralogia*, univerſi lapides, à quibus ignis chalybe excutitur, Pyritæ poſſunt appellari, cum tamen Marchaſita cæteris magis ſcintillet percuſſa, ipſa ſola vocatur Pyrites, tanquam cæteris præſtantior. Pyrites culinaris ſeu Lapis corneus, Saxum cornutum *Gesneri*, quòd color cornu referat, ad Sclopeta adhibeatur, à Germ. Kieſling, Feuer-Stein, Flinten-Stein, Horn-Stein, vocatur. Icones numeroſæ Pyritarum à Bauhino expreſſæ. Reperiuntur Pyritæ in fodinis metallicis, aliisque variis locis, apud vulgum paſſim Silicum vocabulum obtinent. QUARZVM à Germanis ſaxum vocatum, *Rulando in Lexico Alchemiæ*, eſt interdum candidiſſimum, quandoque habens quaſi ſcintillas auri ſibi adhærentes, interdum ſubluteum, nonnullis, inquit *Schwenckfeldius in Foſſilibus Sileſiæ*, ſpecies marmoris eſt, Germ. Quartz, Kieſel-Stein. SAXVM MINERALE eſt Metallis adnatum, in fodinis plurimis reperibile, ex quo etiam Metalla igne eliciuntnr. SAXVM ARENARIVM, German. Sand-Stein, Pol. *Piaszczyſty kamien*, ſecundùm *Bajerum in Oryctogr. Norica*,

Norica, si ex arenis crassioribus firmiter componatur, asperum est, nec poliri perfectè potest, affrictum stridet, & in particulas duras, rigidas, arenam solet comminui, atque sic ex hoc lapide resoluto arena, ex hac autem concreta ipse lapis oritur, multifariæ soliditatis & coloris, albi, grysei, fusci, rubri &c. Datur saxum arenarium etiam molle in lapicidinis, quocirca quam primùm fuerit extractum figuratur, nam ubi aliquo temporis intervallo, id aer ambit, mirum in modum indurat. Saxum arenarium ex tenuissimis arenis, non modò ædificiis aptum, sed etiam Statuis, Monumentis, Cippis, Columnis fabricandis, Epitaphiis sculpendis, accommodatissimum. Eruitur Saxum arenarium & cum intersplendentibus micis, quasi argenteis, Orichalco similibus, durius aut molle, quod à scribis ad atramenti humiditatem absorbendam expetitur. Spectatur Saxum glareosum, nitens ac splendens, instar micæ sterilis, colore vario conspicuum. Saxa statuariorum sive ad statuas, columnas, bases, &c. efformandas, ad quadratam formam recipiendam apta depromuntur in Russiæ Palatinatu ex Montibus vicinis Leopoli, ex Montibus ad *Pilany*, *Slawentyn*, &c. Slaventinensia Saxa cæteris præferuntur, Bremensibus comparantur. In Trembowlæ vicinia, Saxa elaborata in tabulas, constituunt fornaces duraturas, abeunt in pavimenta Templorum, & domorum. Saxa eruta ad *Jonikow* Oppidum Palatinatûs Sandomirienſis ad pagum *Borzęta* Palatinatûs Cracovienſis, formantur in statuas, &c. eadem Palatinatus Novogrodenſis, in M. D. Litvaniæ, traditur offerre artificibus. SAXVM FISSILE, Germ. Schifer-Stein, Pol. *Łupny kamień*, nunc molle, nunc durum, ad strata, tecta, mensas, tabulas conficiendas aptum, coloris varii datur. Saxi sciſſilis species est Ardesia, Marmor mensarum nigrum *Cordæ*, Germ. Schwartz Schifer-Stein, ex quo apud exteros, mensæ, tabulæ, parietes, tegulæ, turres, &c. fabricantur, ad Rhenum, inferiorem, in Nassovia, Misnia, Thuringia. In lapidibus compositæ ex laminis, inquit *Reinzner Metheorologiæ author*, prima concretio fit, veluti in subtilem crustam, exundante

suprà

ſuprà infràque humore, mox novus ſuccus lapidificus expanditur accreſcitque primæ cruſtæ, & ſic de cæteris. Saxa compacta è laminis ſibi ſuperinductis frequentia in Ruſſiæ Palatinatu, reperta Bochniam verſùs, propè Montem Carpatium, & in Monte Vetulæ, circa Lublinum, Caſimiriam, & alibi, in tabulas craſſiores diviſibilia. SAXVM LIMOSVM dicitur, quod in limum ab humido facilè ſolvitur, videturque *Boetio* initium eſſe futuri ſaxi, atque ad Margæ genera referri poſſe. SILEX, Germ. Kieſel-Stein, Kieſling, Pol. *Krzemien*, eſt genus duriſſimum ſaxi, ipſoque Marmore durius, quod autem Marmore mollius eſt, non Silex, ſed Lapis ſimpliciter, ſenſu *Boetii*, eſt appellandus. Genera varia Silicum obſervantur, quæ colore, venis, figura, diaphanitate, duritie, gravitate, inter ſe differunt. Silices nigri, Lydii lapidis ſeu Heraclei, Germ. Probir-Stein, vices vix non ſupplent. Silices liquabiles, propter miſturam, Germ. Fluß-Steine, ſuperiniciuntur Metallis, ut eis ſupernatent, nec nimiùm Metalli in auras evolare permittant. Ex Silicibus albis, Vitra Cryſtallina dicta, in Officinis vitriariis, à Chimicis lapides conficiuntur, in ſabuletis, rivulis, fontibus vivacibus, reperti aſſumuntur. Silices fluviatiles albi, ait *in Tylkowski Phyſicæ Curioſæ Parte* 8. & aliquantùm pellucidi, in Polonia, ſi frangantur, vulgus fabulatur, eorum contactu, ulcera ſub ungvibus oriri; ſi poliantur, Adamantibus Bohemicis præſtant, ſi verò candeſcant igne in tigillo, & vino infundantur, vinum epotum, certò corporis distemperiem tollit. Silices ſunt adeò duri ut vitra ſcindant, locò Smyridum & Adamantum. Silices transparentes, ex quibus Adamantes Europæi expoliuntur, referente *Mentzelio in Lapide Bononienſi*, Boruſſia tenet. Silices inſtar aquæ pellucidi, ſi poliantur Adamantibus Bohemicis ſimiles, ad littora multorum lacuum, aliisque in locis, apparent. Silices Jaſpidibus aſſimiles ſeu Jaſpidiſantes, coloris varii ad Viſtulam, & ad Gedanum lecti. Silices albi, ſemidiaphani, æmuli Chalcedonii, prope rivulos, & amnes obvii, tanta duritie, ut recipiant polituram. In Silicibus, ad Maris Balthici littora, re-

pertæ testæ Conchyliorum. Silicibus, coloris varii, agri multi opplentur, à multitudine stupenda Silicum, *Krzeminiec* Urbs in Volhinia denominationem obtinuit, nam Silex, patriâ lingvâ, *Krzemień* est, ut supra dictum. SPATVM, Germ. Spatth, est *Wagnero in Historia Naturali Helvetiæ*, lapis durus, ponderosus, coloris cinerei, micans instar Talci. Saxum politius, & cæteris durius est *Charletoni in Fossilibus*, unde à nonnullis Marmor metallare vocatum, seu Marmor in Metallis repertum. Aurifabri lapidem hunc calcinant, donec in candidissimum pulverem redigatur, madefactum in massam vertunt, ac inde sua prototypa seu figuras conficiunt, in quæ, Metalla liquida infundunt, ac figurant. TOPHVS seu Porus, Germ. Toff-Stein, Duck-Stein, Pol. *Martwica*, *Dukźtyn*. A *Grew in Musæo Regali Societatis Anglicanæ*, Cribriformis lapis vocatus, scaber, levis, foraminibus seu cavitatibus plenus, ob materiam minùs compactum, densior tamen graviorque Pumice ad lævigandum accomodato, neque ut Pumex innatans aquis, intrà terram aliquando est mollis, coloris varii, rubentis, nigri, terrei, &c. Opinione nonnullorum oritur ex terra, in qua spumat aqua, eidem terræ commixta, & ideò est fistulosus, Spongia lapidea dictus, ac minùs ponderosus. Ejusdem lapidis frusta, tum in agris, tum præcipuè ad radices humidas, quorundam montium, reperibilia, unde suspicari licet, ait *Bajerus in Oryctographia Norica*, quòd ex aquis materiâ margaceâ refertis, per montes illos decurrentibus, coalescant. Ex Topho Specus concameratæ plerumque sunt; inservit Antris artificialibus exornandis, quæ Italis *Grotte*. Abundat Topho Palatinatus Cracovienſis. In Podolia, à *Skała* Oppido, milliaribus duobus, aut minori spatio, distans est locus, qui Tophum plurimum continet, eumque suppeditavit ad fornicem construendum in Scalensi Ecclesia. In propinquitate *Wysuczka*, Oppidi, lapis levis, spongiosus, *Dukszłyn* dictus eruitur. Idem non procul *à Trembowla* Oppido Russiæ Palatinatus, sub nomine eodem, repertus. In concamerationem Templorum

plorum abit, propter levitatem enim non premit muros, & quia porosus est, facilè calcem bibit, parietum extrema sibi agglutinat. Prope Valcium invenit Civis lapillum ex colore nigro canescentem, qui ad Solem positus, quoties pluvia imminebat, toties emittebat sudorem pingvem similem Oleo Olivarum.

PUNCTUM III.

DE SALIBVS MINERALIBVS, METALLIS, SALIS FODINIS VIELISCENTIBVS, & BOCHNENSIBVS.

I.

SALES MINERALES sive Succi Metallici concreti, sunt naturæ mediæ inter Metalla & Lapides, descripti *à Casio Mineralogiæ lib. 3.* in genere, & in specie, relatique ad quartum genus Fossilium, contra opinionem *Fallopii in Fossilibus.* Ibidem determinatur eorum materia, varietas, modus, quô concrescunt, ac excoquuntur.

II. ALVMEN, Germ. Alaun, Pol. *Ałun*, est salsugo seu salsus sudor terræ. Dividitur in concretum, coloris varii, & in liquidum, idque vel candidum vel obscurum. Candidum optimum censetur, nigrum in Cypro invenitur, flavum in Vulcanio foro propè Neapolim effoditur. Factitium Alumen ex aquis aluminosis paratur, & ex terra aluminosa, quæ ex observatione *Agricolæ de Naturâ Fossilium*, in locis aliquibus siccior imbribus redditur, in aliis non facilè aquis diluitur.

Saxa aluminosa quomodò urantur, qua ratione Alumen candidum, vel roseum fiat, *Idem Author Rei Metallicæ lib.* 12. & *Bonanni in Musæo Kircheriano* edocuit. Testatur *Henneberg in Explicatione Tabulæ Prussicæ, pag.* 436. quòd Solici in Oppido Polonico Alumen excoquebatur. Magnus Ducatus Litvaniæ habere aliquos colles suppeditantes materiam parando Alumini, traditur.

III. NITRVM seu Salnitrum, Germ. Salpeter, Pol. *Saletra.* Nativum seu absque præcedente coctura perfectum reperiri in terra aliqui narrant, Nili arenâ tegi *Cardanus* asserit. Nunquam adhuc sub terra esse inventum nativum sive veterum, sive nostrum, præter *Bellonium, Fuschium, Schelhamer in Commentatione de Nitro* scribit. Aphronitrum tantùm in Asiæ speluncis distillans coagulatur, omne quod hodie conficitur Nitrum, ex terra nitrosa petitur. Quomodo terra exploranda sit, an Nitrum contineat, *idem Schelhamer ibidem* docet. Primum signum est, gustus testimonium, si tantillùm terræ imponas lingvæ, quam si acrimoniâ afficit suâ, Nitrum inde expectandum. Hoc signum, & *Clarcke in Historia Natur. Nitri*, proponens addit, tene in manu effossam terram donec incalescat, & exerat qualitatem suam, post gusta eam, si bona est punget lingvam, & sapiet instar aromatis. Secundum signum, ligneo palo terram perfora, ferrum candens intrude, quod undique eâ tangatur, si retractum, ex flavo candentes maculas exhibet, non dubitandum est, Nitro imbutam esse. Tertium signum, parûm ejus terræ iniice prunis, si strepit, candidasque scintillas edit, Nitri est ferax. Copiosè extrahitur Nitrum è terra nitrosa, in Ukraina, circa Oppida, *Kotelnia, Machnowka, Białopole, Pohrebryszcze, Białacerkinw*, multaque alia, etiam ex ea terra, quæ post laborem abiicitur, iterum, post decursum annorum aliquot, assumitur ab operariis. Ex Nitro, Sulphure, & carbonibus Fragulæ, aut Coryli, pyrius pulvis conficitur etiam à rusticis numerosis, artis jaculandi peritis, in Ukraina, Podolia, Volhinia, Russia, & Litvania. Usitatus illis parandi modus sine ullis artificialibus machinis

chinis & instrumentis, *à Kirchero Mundi Subterr. Parte* 1. *lib.* 6. *ex Chraskowicz Arte Polemica*, expositus.

IV. SVLPHVR, Germ. Schwefel, Pol. *Siarka*, multis est terræ adeps vel oleum, pater metallorum, substantia pingvis cum acido Salino commixta. Nativum in mineris reperibile, modò purum, pellucidum, aurei planè coloris, modò impurius & subviride. Factitium ex mineris Sulphuris impuri, lapidibus, glebis, aquis sulphurosis, mistis sulphureis, Pyrite, excoquitur. Quòd autem Pyrites multùm Sulphuris in se contineat, ipsa excussio ignis probat, præter Spagyricam probationem, quâ Sulphur verum ex eo potest produci, annotante, modumque processûs *Boetio de Boot lib.* 2. demonstrante. In lapidibus aliis quandoque manifestè deprehenditur, instar sudoris, coagulatum, aut tanquam ros exsudans è saxis, hoc in Campania, & Badenæ Helvetiorum sæpius fieri, *Untzerus in Tractatu de Sulphure*, promulgavit. Foditur, ait *Cæsius in Mineralogia*, aperto undique cælo, non autem in cuniculis, aut subterraneis specubus, in his namque tum vehementissimo calore, tum fædissimo terræ halitu, illico fossores perirent. Sulphuris venas in Polonia plurimas esse, *Cornelius de Judæis in Speculo Orbis terrarum* asseverat. In Salisfodinis Vieliscensibus Sulphur dari, adsunt, qui referunt.

V. VITRIOLVM Officinis, Chalcanthum Græcis, Germ. Kupfer-Wasser, Pol. *Koperwas*, est succus concretus, sal minerale Metallis proximum. Oritur ex corrosione Metallorum, Sulphuris spiritu, causata, inquit *Helwing Lithograph. Angerb. Parte* 2. & vel intrà viscera terræ, vel extra terram in crystallos abit, ex colore facilè diiudicatur, à quonam metallo principium suum traxit, num ab Æris, num à Ferri erosione, si enim ab Ære, colorem dilutiorem, & ad cæruleum vergentem ostendit, si verò à Ferro, viridem & magis obsoletum, id *de Sala in Tractatu de Vitriolo*, *Mindererus in Disputat. de Chalcantho*, demonstrant. De Vitriolo multa habet *Bruckmann in Magnalibus Dei*, *in Locis Subterraneis*. Datur Vitriolum Cyprium, Anglicum, Gallicum, Sveticum, Germanicum, Vngaricum

garicum cæruleum multùm commendatur. Terra vitriolica cæruleo-viridis, similis illi, quæ ad Sudavium littus conspicitur, succinisque adnectitur, ad fines Prussiæ Polonicæ reperitur in prædio *Familiæ Buttleriana.* In Prussia ulteriori, Vitrioli frusta viridia, pellucida, vitri puri æmula, in latitudinem expansa, sæpe crassitie digitali, ligno bituminoso adhærent. Et per fissuras montium, imo & canaliculos, per quos rivuli passim decurrunt, non rarò Vitriolum in aspectum effertur. *Helwing Lithograph. Angerb. Parte 2.* Ipsi sæpè in diversi littoris Prussici locis, strata salina micantia oculis usurpavimus nostris, Vitrioli glebas conglobatas, pondere libras aliquot æquantes, item ligni nigri fragmenta Vitriolico Sale virescente purissimo largiter distincta sustulimus. Mirandum est, in tanta Vitriolici Salis copia, nondum quæstum aliquem fieri, quem produci negotio facili posse persvasum habemus. *Sendelius in Electrologia.*

VI. BITVMEN, nonnullis Cera montana, German. Berg-Wachs, Zäher Leim, Pol *Kley ziemny*, est succus terræ pingvis & calidus, facilè ignem concipiens, naturæ vicinæ Sulphuri. Duplex Bitumen datur in terra, glutinosum & durum, seu fortiùs concretum, tenax, instar terreæ glebæ, ac carbonum, apparens, liquidum, ut oleosus liquor diffluens, aquis innatans, procul dubio, *Rulandi* sensu, species Naphthæ, sed non Naphtha ipsa, ut quidam volunt. Bituminis species *Cardano de Subtilitate lib. 5.* sunt Asphaltum, Pissasphaltum, Naphtha, Gagates, Ampelitis, Thracius lapis, Carbo fossilis, Succinum, Ambra, Petroleum, Maltha, Camphora. De terris, arenis, lapidibus, aquis bituminosis, *Cæsii Mineralogia* videatur. Cespites fossiles seu terra nigra bituminosa, combustibilis, *in Puncto I. sub num. III.* descripta. Succinum ortum trahens ex Bitumine, & Petroleum, inferiùs deducentur ad paginam.

VII. SANDARACHA, Germ. Berg-roht, Pol. *Sandaraka, Farba cynobrowata*, est succus concretus *Agricolæ Fossilium lib. 3.* habens pingvedinem quandam, hic interdum vim ignis tulisse,

tuliſſe, ac quaſi uſtus eſſe videtur. Naſcitur ſecundum *Braſavolum in Examine Gummium*, in fodinis aurariis, argentariis, & in vena propria, eſt vel gleba, vel pulvis, colore Cinnabaris, Sulphur olens, in uſu apud Medicos. Magna eſt illi cum Auripigmento affinitas, & plerumque cum illo ſimul reperitur. Pictores Sandarachâ artefactâ utuntur, ex Ceruſſa combuſta, vel ex Plumbo, confectâ, hæc *Imperati* opinione, meliorem uſum præſtat, quàm per ſe nata, vocaturque *à Gorræo ex Dioſcoride* Sandyx. Nativa Sandaracha continetur, exiſtimo, Metallifodinis numeroſis per Palatinatum Cracovienſem, diſperſis.

VIII. CHRYSOCOLLA ſeu Auri gluten, Viride terræ, Viride montanum, Germ. Berg-grün, Stein-grün, Pol. *Kley złotniczy, Szifegryn, Boraks, Farba Zielona*, originem trahit ex ſucco, ſenſu *Agricolæ de Ortu & Cauſis Subterraneorum tractantis*, dum humor concluſus circumſtat materiam metallicam, in primis autem ærariam, eamque corrodit. Et *Imperatus in Hiſt. Naturali* cenſet, è ſucco ſpiſſo æruginoſitatis cupreæ produci Chryſocollam, in aurariis, argentariis, plumbariis venis reperiri, præſtantiſſima *Theophraſto & Iſidoro* eſt in fodinis alvariis. Eadem *Bruckmanno in Epiſtola Itineraria II. de Neoſolienſi Chryſocolla Hungarica*, nihil aliud eſt, quàm Æris minera dives, inops enim minera Chryſocollam nullam largitur. Et licet in fodinis Auri, Argenti, & Plumbi, hic color nativus viridis reperiatur, Metallorum prædictorum adhærens mineris, ſolius tamen Veneris, ſeu Æris corrupti, & quaſi putrefacti eſt proles genuina. Affinis Armenio lapidi & Cæruleo, *in Bauſchii Schediasm. de ea*, arenæ ſimilis, vel gleboſa, materiæ metallicæ, vel lapidi metallico, vel Pyriti ærario, adhærens, Aurum Auro, Argentum Argento conglutinans. Species ſex Chryſocollæ *à Rulando* enumeratæ, vires medicinales *à Bauſchio* præfato expoſitæ. Laudatur Armenica, Macedonica, Cypria, Germanica, Sileſiaca, Hungarica primatum obtinet. Neoſolii, ex cuniculo quodam dicto *Stollen*, cum aqua profluit, & in adaptatis canalibus, ciſtisque quadratis, ex aqua

præcipitata corraditur & siccatur. Similis colligitur & in Valle Judicum, atque in Valle Dominorum. In Silesia Goldebergæ Aurum optimum conflabatur ex Chrysocolla, alibi ex eadem & Cæruleo, *Rulandi* testimoniô. Artificialis Chrysocolla Santerna dicta, cujus potissima vis est ferruminare Aurum & Argentum, conficitur ex nativa, & lotio puerorum, vel ex Nitro, & lotio eorundem, etiam Tincar, Borax factitius appellatur, Medicis & Pictoribus inservit. Borax nativus adfertur ex India Orientali. In Carpato monte Chrysocollam nasci *Gesneri Fossilia* notum faciunt. Chrysocolla ex parvis granulis similibus arenæ constans, in Hungariæ montibus e Presburgo usque in Poloniam protensis reperiunda. *Valentini in Aurifodina Medica* teste. Fodinæ ærariæ & plumbariæ frequentiores in Minori Polonia, quòd eandem teneant, facile est inferre.

IX. METALLVM, Germ. Metall, Pol. *Kruszce*, est corpus perfectè mixtum, subterraneum, durum, ponderosum, ductile, fusile. Materia qualis sit Metallorum, sententiæ variæ Authorum extant, præsertim Chimicorum. Sequaces *Aristotelis* censent produci illa ex halitibus erumpentibus de terræ visceribus, sed quia materia hæc est remota, & generalis, statuunt alii, ex Mercurio vulgari, Sulphure, & Terra, esse composita, alii asserunt eadem nasci ex Mercurio, Sulphure, Sale, per Mercurium intelligendo non Argentum vivum, sed substantiam quandam viscosam ac unctuosam, per Sulphur substantiam pingvem, acido peculiari minerali coagmentatam. Metalla maximè sese distingvunt gravitate specifica, quam *Boerrhave in Chimia, ex Actis Anglicanis*, retulit. Mixtura varia Metallorum, & Mineralium, *à Woodwardo, in Specimine Geographiæ Physicæ*, exponitur. Frequentissimè, inquit, occurrunt in una eademque massa, Cuprum & Ferrum, Cuprum & Aurum, Argentum & Plumbum, Stannum & Plumbum, immò sæpe omnia sex Metalla in eodem frusto. Idem observavit fieri & in Mineralibus. Semimetalla sunt corpora fossilia non malleabilia, ex Metallo, & alio corpore fossili com-

compoſita. Huc pertinet, Antimonium, Cinnabaris, Marcaſita. Venæ metallicæ ſub montibus frequentiores, & in iis partibus, quæ ſoli meridiano, aut orientali obiiciuntur. Terra Metalla tegens vapores noxios exhalat, paſſimque ſterilis eſt, nam ſuccus, qui plantas nutrire debuerat, ad præparandam Metallis materiam eſt converſus. Fodina dicitur locus in terra, ex quo Terræ metallicæ, vel Minerales, Metalla, lapides effodiuntur. Metallurgus ſeu Metallicus, German. Ertz-Gräber, Berg-Knapp, Polon. *Gwarik, Kruscowy Gornik, Kruscowy rzemiesnik*, qui intrà terram ſcrutatur Metalla. Metallurgia eſt illa operatio, quâ Metalla ex fodinis eruuntur. In Metallofodinis ſi aqua diu ſtagnet immota innaſcitur illi cuticula, quam ſi moveris certa mors. Hanc cenſemus, ait *Tylkowski in Phyſica Curioſa*, eſſe halitus antimoniales concretos.

X. AVRVM, Germ. Gold, Pol. *Zloto*, Metallorum omnium perfectiſſimum, præſtantiſſimum, pretioſiſſimum. De ejus admiranda natura, generatione, affectionibus, effectis, &c. *Caſius* tractat. Nativum à natura ad perfectionem ultimam elaboratum, id eſt, ſinè coctione ulla defæcatum & purum, dicitur virgineum, Germ. Gediegen Gold, frequens in Inſula Hiſpaniola, reperibile interdum in Hungaria granulatum. Aurum album (Argentum eſſe jurares) niſi pondus, & quædam tamen fulvedo per metallum fuſa aliud ſvaderet, in Cerkonoſſiis Montibus Bohemiæ effoſſum non ſemel vidi. *Balbinus in Hiſtor. Naturali Bohemiæ.* Factitium extrahitur ex mineris concludentibus ſimul Aurum, Argentum, & Cuprum, item, *Rulando teſte*, ex terra quadam purpurea, ex Pyrite, ex Chryſocolla, ex Cæruleo. Quòd ex fontibus, ex alveis fluviorum, & rivorum depromitur, arenoſum ſive lavabile eſt appellatum. Quomodo autem ſint lavandæ arenæ illæ, in quibus Auri ramenta ſeu particellæ, *Agricola de Re Metallica, lib.* 8. *pag.* 256. informat. Nativum Aurum in formam quaſi virgularum, ſpicarum, &c. ſubinde redigitur, Vegetabile, à Germanis Gewachſen Gold vocatur, quia extrà gremium ter-

ræ erumpit, more vegetabilium. Raritates ejusmodi spectantur in Hungaria, quas *Jaenichius in Vineis Regni prafati* refert *ex Becheri Metallurgia*, aliisque Scriptoribus. Ferdinando III. Imperatori à Proceribus Hungaris sex aureæ spicæ sunt oblatæ, inter quas triticum demessum coloni legerant. *Klausal in Curiosis Naturæ Arcanis Bohemiæ.* Aurum, annulorum specie, circa arbusta, culmos triticeos, in acinis uvarum, repertum in Hungaria. *Marsili in Danubio Pannonico-Mysico.* Alia specimina similis Auri, *à Zahn Speculæ Physico-Mathem. Historicæ Tomo II.* describuntur. Virgulæ figuram habens Aurum à rusticano homine inventum in Carpatio monte vicino Novo-foro, Polon. *Nowytarg*, venditum est Judæo aurifici *in Wisznicz* Oppido. Aurum quod statim est suum, Aurum in lapide Ferri, Aurum in Silice candido, Aurum in Armenico lapide, Vena Auri fertilis, ramenta Metalli ejusdem, ex Carpato monte. *Rulandus in Lexico Alchemiæ.* Tegitur Aurum, Argentum, & Cuprum Carpato, in limite Poloniæ. *Bruckmann in Magnalibus Dei, in Locis Subterraneis.* In Montanis ad Palatinatum Cracovienſem pertinentibus, non procul *à Lipnik* pago, ex fonte oritur fluvius, in eo quidam extraneus, Auri particulas collegisse narratur. In Præfectura seu Capitaneatu Chencinensi spectante ad Palatinatum Sandomirienſem, Hungarus advena invenerat arenas monte tectas, ex quibus in Patria, aliquot decades aureorum elaboratæ, in Polonia præsentatæ. Mineram Auri ex Ukraina allatam *Musæum Gottwaldi Medici Gedanenſis* inter Raritates tam Naturales, quàm Artificiales continebat. Auriferos montes *Sagittandrus in Conjecturis montanis, citatus à Balbino in Hist. Natur. Bohemiæ*, adscribit Silesiæ, Poloniæ, Maraviæ, Bohemiæ, irridetque earundem nationum negligentiam.

XI. ARGENTVM, Germ. Silber, Pol. *Srebro*, post Aurum Metallorum omnium nobilissimum, in generatione sua, plus de Argento vivo, quàm Sulphure, participans, sic igni ut Aurum non resistens, facilè ductile & liquabile. Datur nativum granulatum, lamellatum, villosum, apud *Rulandum*,

dum bracteis amplectens lapidem, interdum proferens speciem capillorum, virgularum, herbarum, globi, arboris, aliarumque rerum. Differentiæ Argenti ponuntur apud *præfatum Rulandum in Lexico*, Argentum rude coloris rubei, Argentum rude coloris plumbei, Argentum rude nigrum, purpureum, cinereum. Argentum rude rubrum vocatur *ab Agricola in Rerum Metall. Interpretatione*, quod Aurum continet in se, quale in Carpato monte reperitur. Ad radices ejusdem montis, Argenti minera est inventa, sub tempus Svetici belli à Carolo XII. illati Poloniæ, jussu Generalis *de la Mothe* probata Cracoviæ, Ilkusiensi mineræ respondebat. In Palatinatu Posnaniensi, fundus pagi *Kowalskie* dicitur tenere Mineram Argenti. In Varmia, inter Brunsbergam, & Fravenburgum, de ejecta ex Argentofodinis quondam terra, quas ibidem olim fuisse Prussicæ antiquitates testantur, Marga cinerea collecta Argentum edidit, quod *à Bartholdo Schwartz* rerum metallicarum gnaro venditum est Mercatoribus Regiomontanis. Margam eandem missam mihi, ait *Helwing Lithograph. Angerb. Parte II.* examine pyrotechnico sum persecutus, nec pænitendi proventus reperi. Argentum rude Ilkusiense bracteis majoribus inæqualibus constans, & Argentum columbinum irregulariter in bracteas majores scissile *Musæo Kleiniano* Gedani illatum. Fodinæ minerarum inventæ sunt anno 1353. in Hockerlandia, Prussiæ parte, emebaturque Argenti marca undecim fertonibus, continebat autem ferto grossos quinque, Centenarium pondus Cupri, septem fertonibus, Centenarium pondus Ferri, unâ marcâ cum dimidia, id est triginta grossis. *Leo Hist. Prussicæ lib.* 3.

XII. ÆS seu Cuprum, Germ. Kupfer, Polon. *Miedz*, dividitur *à Plinio* in naturale, & artificiale. Primum spectatur bracteatum, racemosum, grumosum, capillare, icon illius *in Valentini Musæo Musæorum* exhibita. Idem Æs nativum seu ab origine in mineris purum, ait *Aldrovandus in Musæo Metall.* colores variat, rubet, viret, flavescit, candescit, aurescit, purpurescit, ad plumbeum, & nigrum vertit. Idem Æs sinè

excoctione purum, teste *Agricola*, effoditur in varia figura, instar stiriarum, virgularum, globorum, colore rubicundo, ac fere æroso. Nativum rubeum, *Rulando* est à Metallis omnibus liberum, datur continens in se Aurum, vel Argentum, datur adhærens lapidibus variis. Extrahitur Cuprum nativum fibrillosum ex fodinis Hungariæ, & Germaniæ. Excoquitur ex nonnullis terræ generibus luteis, vel purpureis, ex Chrysocolla, Pyrite sive Marcasita, ex Cadmia, Chalcite, lapidibus. Æs rude coloris plumbei, lutei, albi, nigri, *ab Agricola in Rebus Metallicis*, ponitur. In Svecia reperitur Æris minera flava, violacea, variegata, *Leopold, in Relatione Epistolica Itineris Svecici*, testimoniô. Æs album consurgit ex mixtura cum Stanno, opinione *Reinzer in Meteorologia*, in qua etiam indicia Ærisfodinæ exponuntur. Primò colligitur ex ærugine, de venis enim ærariis ascendunt halitus, qui dum in humores terræ admixtos incidunt, concrescunt in æruginem. Secundum signum præbent saxa, flavi & cærulei coloris, item fissuræ ac rimæ frequentes. Tertium signum, aquæ vitriolatæ ex monte erumpentes subvirescentis coloris, odoris metallici, quæ fundum putri quadam, viridi, tenui, ac mucosa materia, veluti cuticulâ, obducunt. Usum in medicina Æris, *Helvichii Schediasma de eo, cap. 3.* fusè enarrat. Ager Poloniæ multas Æris fodinas habet, in jugis montium. *Antonius Thomas in Synopsi Mathematica.* Exstat & *Berneri Exercitatio de Usu Æris in Corpore Humano* Amstelodami impressa. In Palatinatu Posnanienſi est villa *Głuszyna* pertinens ad Præposituram Ecclesiæ D. Magdalenæ ædificatæ Posnaniæ, in ea traditur latere Minera Æris, hæc semel eruta subjectaque examini, probavit asserti veritatem. In Scepusio Cives Iglovienses seu Neocomienses, Æs, & Ferrum, in iis montibus eruunt, qui Comitatum Gomarienſem respiciunt. *Belius in Prodromo Hungariæ.* In eodem Scepusio Æris minera est flava, viridis, alba, purpurea seu brunna. *Bruckmann in Magnalibus Dei Subterraneis.* Leibitzenses sylvæ vastissimæ in Scepusio, quòd non ferarum tantùm varietate, sed Metallorum etiam venis, sunt insignes, ex-

exstantia passim rudera fodinarum ostendunt. ***Belius in Prodromo Hungariæ.*** Ex Carpato monte Æris minera allata est Gedanum. Æs Capillare inventum est ab Auditoribus Eloquentiæ, in Monte dicto ***Kamińska gora*** seu ***Pieprzowa gora***, propè Sandomiriam, Vistulæ impendente, allatumque est ad Collegium P.P. Soc. Jesu, inde ad me transmissum. Cuprum cum Marcasita vertitur in Æs aureum, Germ. Printz-Metall. Ex Cupro & Stanno fuso paratur materia admodùm dura & sonora, Germ. Glocken-Speise, Pol. ***Spiza***, Lat. Æs calcarium, ex quo campanæ, tormenta bellica, specula caustica, instrumenta optica, &c. conficiuntur. Cupri rubri colorem in candidum convertit Arsenicum, sed illud admodùm fragile reddit, quæ materia postmodùm Æs album, German. Weiß Kupfer dicitur. Officina fusoria, & ductoria, à Germ. & Pol. Hammer- und Schmeltz-Hütte vocatur, non rara est in Prussia, in ea ex Ære, & Lapide Calaminari paratur Aurichalcum, vel ex Ferro Chalybs. MELANTERIA, nonnullis Atramentum metallicum seu Sutorium, Creta Sutoria ad denigrandum, Germ. Schwartz Atrament, Pol. ***Czernidło***, duplex est ***Imperato & Schommerhoff***, quædam in faucibus cuniculorum, è quibus Æs eruitur, Salis modo, concrescit, quædam in summa facie cuniculorum apparet, estque terrena. In re, est succus in Metallis concrescens, coloris nigri, quamvis exsiccatus plerumque evadat cinereus. POMPHOLYX seu NIHIL ALBVM, Bulla Cadmica, Tutia veterum, Germ. Weiß nicht, Pol. ***Miedziane odmioty***, ***Tucyia***, est candida, tenuissima, & volatilis favilla, quæ dum Æs in fornacibus perficitur, & Cadmiâ detritâ inspergitur, in altum evolat, & supernæ earum parti adhæresit. Eadem Pompholix vel Æris & Cadmiæ favilla triplex est ***Slescovio***, ***Medicina Doctori***, botrytis, crustacea, & villerea. Pol. ***Dymny zuzel.*** COBALTVM seu Cadmia nativa metallica, Germ. Kobolt, Lapis æruginosus ***Plinio***, nam Æs fit ex eo, nec solùm Æs, sed & Argentum, ideoque idem Cobaltum Chimicis est Argenti minera imperfecta. In varias figuras concrescit Cadmia præfata, alia est uvæ similis, crustacea

ſtacea alia, colore cinereo, fuſco aut nigro. Conficitur ex ea color cæruleus, quo utuntur fæminæ, pro tingendis collaribus.

XIII. PLVMBVM, Germ. Bley, Pol. *Ołow*, Metallorum omnium molliſſimum, facilè liquabile, carens ærugine. Datur nativum nigrum ſed impurum, nativum nigrum purum, *Rulandus in Lexico Alchemiæ*, ait non vidiſſe, non audiviſſe, non legiſſe inveniri in fodinis candidum puriſſimum. Triplex Plumbum eſt *Agricolæ, de Veteribus, & Novis Metallis, libr.* 2. primum cinereum Bismutum, à Germanis Bißmuth appellatum, id eſt, nigrius candido, nigro candidius, ſecundum nigrum, tertium candidum nigro purius, & perfectius. Origo Plumbi duplex, aut enim ſuâ provenit venâ, nec quidquam aliud ex ſe parit, vel cum Argento naſcitur, miſtisque venis conflatur. Addit *Reinzer in Meteorologia*, quòd etiam Stannum interdum admiſtum habeat, iuxta diverſam halitum diſpoſitionem, & terræ affectionem. Plumbago ſimplex *Rulando*, quæ nihil niſi Plumbum continet in ſe. Galena pura, German. Bley-Glantz, eſt eidem authori, minera ſplendida Plumbi & Argenti ſimul ditiſſima, aliter dicta Galena frugifera. Galena impura, ignobilis, terris & lapidibus permiſcetur. Galena ſterilis, nihil Metalli continet, & ab igne conſumitur. Plumbarii lapides continentes Plumbum ſolum, *Rulando* ſunt Molybdenia. Plumbarii lapides, coloris albi, flavi, rubei, viridis, cærulei, depromuntur. Plumbago factitia, eſt Plumbi recrementum, inter depurationes ejus ſecedens, in furnis ſubſidens, ad pictorum, & mechanicorum uſum. Effoditur Plumbum in Hungaria, & Germania, nigricans ac ſplendens, album, & flavum, hæ tamen venæ, inquit *Teſchmeyer in Elementis Philoſ. Natur. Experimentalis*, ſemper aliquam partem Argenti, vel Auri, continent. In magna copia invenitur Plumbum in fodinis Poloniæ. *Vater in Phyſiologia.* Dum Cracoviâ, usque ad Ducatum Opolienſem, iter feci, Metalla Plumbaria & Argentaria admodùm inſignia vidi. *Willichius in Commentat. in Taciti Germaniam.* Regio Regni Po-

Poloniæ, Plumbum, Æs, Ferrum, abundanter producit. *Hommannus in Atlante Cosmographico.* Plumbi Ilcuſſienſis minera ex cubis meris compoſita, & Cryſtallo adhærens allata Vratislaviam. *Kundmann in Promptuario Rerum Natur. & Artificialium.* Plumbago Polonica, cui Ochra adnata. *Rulandus in Lexico Alchemiæ.* Circa Civitatem *Chencinÿ*, in Palatinatu Sandomirienſi, propter abundantiam magnam Plumbi, quod etiam Argentum præſtans continet, permiſſum eſt Civibus & villanis eruere hoc Metallum, conditione ea, ut quilibet det Capitaneo ſeu Præfecto Chencinenſi menſuram *Olbora* vernaculè dictam. Latifundium Piorkovienſe, in Palatinatu præfato, Plumbi mineram Argento modico permiſtam tenet. Ad *Gorne* pagum Palatinatus ejusdem, Plumbum eruitur. Ilkuſſii Plumbum eſt durum, præſtantius illo, quod circa *Kielce*, & alibi, reperitur. Ibidem Plumbi minera permiſcetur Argento, quod non contingit in locis aliis multis. LITHARGYRVM ſeu Lithargyrium, German. Silber-Glette, Gold-Glette, Pol. *Srebrna piana*, *Gleyta*, eſt Argenti ſpuma è fornacibus emergens, dum Plumbum ab Argento, aut ab Auro ſecernitur, ſive eſt ſpumoſum excrementum è purificatione Argenti, quæ per Plumbum fit reſiduum. Spuma Plumbi eſt *Charletoni in Foſſilibus Variis*, fit enim ex Plumbo diutiùs in fornacibus cocto, donec convertatur in ſubſtantiam quandam, olei modo liquidam, quæ frigefacta concreſcit in ſimilitudinem ſpumæ. Hoc autem contingit, cum Argentum Plumbo miſtum purgatur, in ſecundis fornacibus. Duo genera ejus communiter ſtatuuntur, ait *Sommerhoff*, Argenteum, quod coloris eſt minùs ſaturi, & Aureum, quod coloris magis ſaturi, magis ad rubedinem vergentis, verumtamen nonniſi coctione differunt, Aureum plùs coctum eſt, quàm Argenteum, ſed propriè nihil aliud eſt, quàm Plumbum. Lithargyrum copioſum exportatur Ilcuſiô, in Hungariam. CERVSSA, ſeu Pſimmithum, Germ. Bleyweiß, Pol. *Bleywas*, eſt ſubſtantia alba, condenſata, friabilis, ponderoſa, ex Plumbi nigri, vel albi lamellis ſuper acetum acre ſuſpenſis & eroſis,

in glebas coacta. Quæ paratur ex Plumbo albo, vocatur à Chimicis Album Hispanicum, & isto utuntur fœminæ, ad dealbandas facies, & ad fucos. Eadem Ceruſſa pigmentum est, quô pictores utuntur. STANNVM, Germ. Zinn, Pol. *Cyna*, est Metallum candidum, Argento mollius, levius, ductile minùs, Plumbo difficiliùs fusionem admittens, rubiginem vix contrahens, tinniens. Nunquam fere reperitur nativum, ait *Teichmeyer in Elementis Philosophiæ Naturalis*, sed ex minera coquitur in Anglia, & Misnia, in minera verò est rude, rubrum, aut lapilli nigricant & splendent, instar Granatorum. Appellatur Plumbum album seu candidum à multis, à nonnullis species Plumbi esse statuitur, sed non rectè, sensu *Rulandi*, & recentiorum, nam substantiæ præstantiâ longè superat Plumbum, ab Ære æruginem prohibet clausis illius poris. Quò differt à Plumbo, *Aldrovandus in Musæo Metallico* exponit, cum autem naturalem convenientiam habeat cum Plumbo, Metallarii ita simul hæc duo permiscent, ut admodùm difficulter mistura cognoscatur. Mineræ Stanni, ex relatione *Imperati in Hist. Narur.* Europæ Septentrionalis montibus asperis teguntur, Bohemiæ, Bavariæ, non desunt. In Regni nostri Metallifodinis Stannum non invenitur, nec Ilcusii (ut antea innueram, siniſtrè informatus) à Plumbo igne separatur. Idem Stannum vermes enecat, pelles à tineis blattisque defendit.

XIV. FERRVM, Chimicis Mars, Germ. Eisen, Pol. *Zelazo*, omnium Metallorum durissimum. Nativum dari plurimi asserunt, inter quos *Rulandus in Lexico*, *Aldrovandus in Musæo Metallico*, in quo etiam Fluores ex Ferri minera exhibentur. Ferrum, quod statim suum est, specie botri, Ferrum assurgens virgularum in morem, *G. Fabricii*, Ferrum granulatum instar Plumbi sclopetarii, ex Sylva Nigra, *à Capeller in Prodromo Crystallographiæ*, ponitur. Ferrum ad speciem globulorum, & corporis octaedri, *à Zanichelio in Dissertatione de eodem Metallo* adducitur. Ex Svecia, Norvegia, Styria, Misnia, Thuringia, Hassia, adferuntur interdum species minerarum Ferri, earum quælibet à German. Gediegen Eisen appellata.

Minera

Minera Ferri illa perfecta est, quæ ponderosa, bene compacta, à terræ, saxi, metallicorum aliorum corporum societate, sejuncta, coloris pruni. Præstans *Zanichelio in Dissertatione de Ferro*, quæ purissima, habenda autem purior, quæ celerius tenaciusque absque prævia coctione, Magnetem amplectitur. Renascitur Ferrum effossum in quibusdam terris, tempore brevi, *Agricolæ, in Rebus Metallicis*, testimoniô. Excoquitur in Officinis, ex terra rubra ferrugine quasi læsa, ex lapidibus ferrariis solidis, & fragilibus. Usus plurimus Ferri in medicina expositus est *à Zanichelio in Dissertat. Physico-Chimica de Ferro*, ubi ait: in hoc metallo medicinales thesauri latent, sed in eorum extractione, exquisita est opus arte. Ferrum candens, lacte exstinctum diarrhæam sistit. FLORES FERRI, *Velschio in Hecatostea 1. Observat. Medicarum*, sunt efflorescentiæ quædam metallicæ candidissimæ, ad fluxus quoscunque sanguinis adhibitæ, ut sistantur, in Ferrifodinis Sveciæ, Styriæ, in Tirolensibus montibus, reperti. Flores Stiriaci Martis nativi nive candidiores, *à Bajero in Sciagraphia Musæi positi.* Optimum Ferrum Svecorum, hodie *Osemutum* vocatur, apud eosdem, *ex Leopold Relatione Epistolica Itineris Svecici*, accepimus dari Ferri mineram cineream, foliatam, splendentem, Quarzo candido junctam, nigricantem, luteam, subcæruleam, Pyriti, & Plumbo mixtam, Argenti, & Æris feracem. Feracissima Ferri est nostra Septentrionalis Europæ plaga, inquit *Stachlius in Opusculo Chimico-Physico-Medico*, unde in Norvegia, Svecia, Polonia, tanta vis hujus metalli, quanta vix credi possit. In Poloniæ Provinciis minera Ferri montana dicta, de montibus, collibus, eruitur, ponderosa, pura, aliis corporibus non admixta, palustris ex vallibus, pratis uliginosis, humidis locis effoditur, nunc pura melioris notæ, nunc deterioris, arenæ, &c. permista, & hæc contrita, lotione purgatur. Signa illius *Helwingio in Lithographia*, aqua rubicunda, in lacunis hærens, Rosmarinus sylvestris seu Cisthus, Ledon, Vitis Idææ palustris copiosus proventus, &c. Dum indagatio mineræ talis instituitur, instrumento ferreo oblongo terra trans-

figitur, & si alicubi durities abscondita transitum ferro non permittit, præsentia mineræ ex eo colligitur, cespite remoto eruenda. Utraque minera dum igni traditur, profluit ex illa pars dicta à Russis *Optawek*, *Dul*, quæ candens immersa frigidæ firmatur in Chalybem: Convenientissimè *Kircherus Mundi Subterr. Parte* 2. *lib.* 10. annotavit: Ferrifodinis plena Polonia, nam in Palatinatu Sandomirienſi, per sylvas sparsæ, in ditione Episcopi Cracovienſis frequentes, Szidlowcum versus, in uno fluvio exstructæ viginti quatuor Officinæ ferrariæ, Pol. *Rudnie*. In Samsonovienſi celebri Officina funduntur tormenta bellica sphæræ implendæ pulvere pyrio, vulgò *Bomby*, mortaria, lebetes, cæteraque vasa coctionibus apta. Propè Neocomium sive Iglo in Scepusio, sunt Ferrifodinæ, Officinæ. Abundat Volhinia mineris paluſtribus coloris flavescentis, & ferruginei, *Hotda* cinerea admiscetur duabus prioribus, propter metalli ejusdem flexum. Sylvæ amplissimæ Berezdovienſes, ad pagos *Horyce* & *Klapotyn*, materiam Ferri, cum Officinis, præsente sæculo, ædificatis, continent. Surasii in montoso loco *Sadki*, vocato, & in alio, spectavi fauces cuniculorum, quæ Pol. *Szyby*, à summo ad infimum duodenas, vel quindenas aut octodenas orgyias profunditate adæquantes, cuniculos, ad varias mundi partes infernè protensos, è quibus Ferri mineræ extrahuntur. Primò, à fossoribus submovetur stratum terræ nigræ, secundò, stratum arenæ albæ, tertiò, argillæ candicantis figularis, quartò, argillæ subluteæ figularis, quintò, stratum arenæ rubræ, sextò, arenæ viridis, septimò, stratum lapidum albescentium, tectorum cortice inclinante ad colorem cæruleum, molis non exiguæ, figuræ variæ. Aperitur tandem Ferri minera præstans & dives, coloris lutei, ferruginei, & albicantis, super Cretam candidam copiosissimam, in profundum ingens demissam, sita. Inchoatur labor, circa diem decimam Octobris, finitur primo tempore verno, quo arbores florere incipiunt, nam ferre àérem nequeunt Metallurgi, lucernæ extingvuntur halitibus. Polesia Polonica Volhiniam superat proventu mineræ paluſtris,

ſtris, & numerô quinquaginta & aliquot Officinarum, in quibus multùm eſt Ferri, minùs utilis, fragilis, *Kruſz* denominati. Ante Coſaticam rebellionem, *Chmielnicki motore*, in *Teteref* fluvio Ukrainenſi, Officinæ octodecim Ferrum parabant *Koniecpolscio* hæredi opulento. In Palatinatu Breſtenſi Litvaniæ, ad pagos *Sechy*, & *Oczniko*, Metallum idem ex minera montana conficitur. In Poleſia Litvanica circa Oppida *Turow* & *Dzbrowica* &c. Ferrum elaboratur. Sæculo ſe evolvente, fundus villæ *Kaleie* propinqvus, in Palatinatu Posnanienſi, mineram paluſtrem obtulit, ſimilis reperta *Jezioris*, utraque vi ignis liquatur in Ferrum. Nec Diſtrictus Baldenenſis Curlandiæ, *Roſino Lentilio in Memoralibus Ducatus eiusdem*, ſine Ferro, ex quo bellica tormenta funduntur. Vivente *Paulo Sapieha, Palatino Novogrodenſi*, in Kodnenſi fundo, Ferri minera, & calcaria gleba, cruebatur. *Miſztole in Hiſtoria Domus Sapiehanæ*. In Officinis præfatis omnibus, mineræ injectæ igni diſſolvuntur, Ferrum in infimam fornacem ſtillans in maſſam abit, quæ incudi impoſita in fruſta diſcinditur, malleis impetu aquarum motis formatur in laminas. Non rarò vix è multis inter ſe conſociatis mineræ Ferri ſpeciebus, aliquid, quod opere pretium faciat, continuatur. CHALYBS ſive Ferrum optimum duplici ratione producitur, ſecundùm *Kircherum in Magnete ſeu Arte Magnetica*, naturâ, vel arte. Naturâ producitur ex Venis perfectè Magneticis, quantò enim vena fuerit perfectior, tantò perfectius Ferrum inde excoquitur. Chalybs nihil aliud eſt, quàm Ferrum maximè depuratum & perfectum. Arte quoque ex quavis Ferri vena, Chalybs variis modis conficitur, quos idem author ibidem deſcribit. Addit *Scheuchzerus in Itinere Alpino II.* notum eſt iis, quibus Hiſtoria Metallorum eſt perſpecta, raras admodum venas Chalybis nativi, qui Stachel-Stein, & Kern-Stachel vulgò dicitur, quandoquidem omnis ferè Chalybs ex Ferro conficitur, Eiſen-Stachel appellatur. Circa Schmalcadiam in Monte Ferrato ex *Valentini in Prodromo Hiſt. Natural. Haſſiæ* relatione, Chalybs eruitur. Ferrum exoticum indura-

tum Polonis *Bulat* est. In Scepusio, Pol. *w Spiskiey Ziemi*, quod Leibitzenses sylvæ vastissimæ, non ferarum modò varietate, sed metallorum etiam venis sint insignes, exstantia passim rudera fodinarum ostendunt. *Belius in Prodromo Antiquæ & Novæ Hungariæ.* MARCASITA cuivis Metallo adnascitur, veluti ejus rejectamentum natum ex fumositatibus, quas exhalant, hæ verò per sublimationem elevatæ, saxis adhærent, propterea reperitur ut plurimùm in loco alto, inquit *Tylkowski in Physica Curiosa*, multorum colorum figurâ cubicâ, biquadratâ, odorem habens Sulphuris, instar Silicis, allisa chalybi multum edit ignem.

XV. ANTIMONIVM Officinis, aliis Stibium, Stibi, Stimmi, Platyophthalmon *Dioscoridi*, Germ. Spießglas, Pol. *Antymonium*, est corpus minerale, ad metallicam naturam proximè accedens, liquabile, non tamen ductile. Reperitur interdum cum Argento ita permixtum, ut nonnisi ope ignis separetur, interdum Argenti venis contiguum, vel sine harum venarum vicinia, separatum in vena propria. Et Plumbifodinis continetur, cujus species prima, apud *Imperatum*, mas dicta si confringatur, superficiem ostentat asperam & arenosam, in granulis micantem, secunda fœmina percussa diffilit in crustas planas & tesseras in superficie, instar Ferri expoliti, lucentes, tertia species ab arte collecta finditur in fila longa, beneficiô sublimationis, aucta. Ungaricum Antimonium optimum est *Wormio in Musæo*, constans cylindris seu columnulis, crassitie aciculæ, sed mirè invicem nexis, conspiciuntur enim rectæ, paralelæ, obliquæ, transversæ, &c. colore cæruleo splendido, instar Ferri politi. Quos medicos usus præstat, & quomodo præparetur, *Cæsius in Mineralogia* fusè enarrat. Fons est, & scaturigo medicamentorum præstantissimorum *Hoffmanno in Clavi Pharmaceutica Schröderiana*, dum hoc, tanquam abysso inexhausta, comprehenduntur omnium metallorum energiæ. In Germania, Ungaria, Bohemia, fodinæ feraces Antimonii; Carpato monte, in limite Poloniæ, idem minerale quòd tegatur, *Bruckmannus in Magnalibus Dei*

Sub-

Subterraneis, & Collectanea Naturæ Academic. Curios. Vratislavien-sium, narrant.

XVI. ARGENTVM VIVVM à Latinis, ob mobilitatem, Hydrargyrum à Græcis, id est Aqueum Argentum, propter fluiditatem dictum, Mercurius Chimicis, Germ. Queck-Silber, Wasser-Silber, Pol. *Srebro żywe*, *Merkuriusz*, non propriè quidem Metallum est, sed Metalli principium, vel Metallum imperfectum, habens corpus candidum, splendens, admodum porosum, in perpetua fluiditate constitutum, & Aqua Metallica dicendum. Vix latere potest, in imis montium penetralibus, quin se prodat, ait *Goris in Mercurio Triumphatore*, perniciissima sui fluiditate, in cavernas, crypas, rimas, fissuras terræ, & lapidum, serpit. Præter currentem datur & solidus, in Cinnabaris forma, & in frusta divisus. Virulentissimus est fossoribus, ut quidam illius afflati halitu occumbant, alii brevissimè vivant. Effoditur in Hungaria, & Carniolia Mercurius currens sive vivus, in Polonia, ubi inveniatur, antea indicaveram, artificialis ex Antimonio educi dicitur, ex Cinnabari, sine dubio, igne elicitur, sed Ilcussii è Plumbo non evocatur. MINIVM, Germ. Minie, Menge, Pol. *Minia*, est pigmentum seu color floridus, copiosus in Hispania, *Plinio teste*, sed durus & arenosus. Ex fodinis argentariis, similis arenæ rubræ eruitur, in vasis lapideis leviissimè teritur, in æneis lavatur, &c. Verum Minium hodie ignoramus, inquit *Agricola in Bermanno*, Chimistæ id ex Argento Vivo & Sulphure conficiunt, & pro nativo substituunt. Fit quoque ex Plumbo usto & abluto, in Anglia & Norimbergæ, circa præparationem illius numerosi artifices occupantur.

XVII. AVRIPIGMENTVM, Germ. Gold-gelb, Pol. *Aurypigment*, *Złotolusk*, vocatum ideò, quòd in picturis, Auri colorem refert, fragile, affine Sulphuri, *Rulandi* sensu. Genera duo illius sunt *Dioscoridi*, primum crustosum, in squamas sciissile, aureo colore micans, nulli permistum materiæ, præstans; secundum vilius, gleboşum, concretum, instar glandium, pallidius, colore referens quodammodo Sandaracham, nihil

nihil continens in se Auri. Primi generis est particeps Auri, sed superant impensæ lucrum, *Cardano de Subtilitate lib. 5.* judice. Idem genus, singulare Auri latentis indicium est *Agricolæ de Re Metallica lib. 5.* Vilius Auripigmentum, materiam esse puta Arsenici factitii, nam Arsenicum album paratur ex illius scoria & sale, quantitate æquali, mixtis, dicitur-que Auripigmentum crystallinum vel album, Germ. Weisser Arsenicum, Mause-Gift, Pol. *Arszenik.* Triplex Arsenicum apud *Albertum Mineralium lib. 5.* album, rubeum, citrinum seu flavum, & hoc ultimum, Auripigmentum denominatur, rubrum refertur ad Sandaraham, etiam à Chimistis. Fragmentum Auripigmenti non vilis exhibuit Volhiniæ mons *Czerca* vocatus, ad Cremenecum.

XVIII. CÆRVLEVM, Lazurion nonnullis, German. Himmel-blau, Pol. *Lazur*, *Farba modra*, cognatum Lapidi Lazulo, nascitur, ait *Agricola lib. 3. Fossilium*, non tantùm in venis ærariis, sed etiam in argentariis, & aurariis, simile sabulo, arenæque duræ. Ex Cæruleo naturali conflatur Aurum Lautenbergæ & Goldbergæ, in Silesia, *Rulando in Lexico Alchemiæ teste*, qui ibidem ponit Cæruleum nativum purum Polonicum, secundum cum terra dura, sabulosa, candida, itidem Polonicum. In latifundio Samsonovienſi Palatinatus Sandomirienſis, Cæruleum comparuisse traditur cavernâ conclusum, sylvis, montibusque circumdatum, hoc quia efferebatur à villanis, sine consensu possessoris fundi, aditus lapidibus numerosis à conductore est obstructus. Cæruleum quomodo conficiatur, *Cesius in Mineralogia, ex Agricola*, descripsit, pictores tam fossili, quàm artefacto, Medici tantùm nativo utuntur, quod digerit, & carnes minuit excrescentes. CINNABARIS nativa seu fossilis, Ammion, Miltos, German. Berg-Zinnober, Pol. *Cynober*, est *Matthiolo* lapis purpureus ad rubedinem declinans, non admodùm durus, multùm tamen gravis. Aliis auctoribus est terra mineralis lapidescens, ponderosa, rutilans, eademque *Imperato*, cum Minio antiquorum. Adfertur ex India Orientali, ex Germania, &c. præfertur omni-

omnibus Hungarica, de qua *Clauderi Dissertatio* extat. Mineris Auri ditioribus Cinnabaris admodum familiaris est, inquit *Stachlius in Opusculo Chimico-Physico-Medico:* sicut etiam Antimonium rarò omni Auro caret. In Cinnabari nativa, inquit *Leeuwenhock in Anatomia*, continetur Argentum vivum, Sal, atque Oleum. Factitia Cinnabaris est solida, ponderosa, rubicunda, numerosis subinde decurrentibus fibris seu striis, splendentibusque micis, interposita, facta ex una parte Sulphuris, & tribus partibus Argenti vivi, ignis vi sublimati, vel ex Plumbo, atque Cerussa usta. Naturalis Cinnabaris, teste *Belio in Prodromo Hungariæ*, passim à locorum gnaris reperitur in Carpatiis montibus, quorum non modica portio spectat ad Regnum Poloniæ. Et in Scepusio Cinnabaris nativa datur. *Bruckmann in Magnalibus Dei Subterraneis.*

XIX. SALIS FODINÆ seu Salinæ, *Plinio* Montes Salis nativi, Pol. *Solne gory*, *Zupy* Bochniæ, septem milliaribus Cracoviâ distantes sunt celeberrimæ, & ad Urbem Velisicam sitæ. Sic *Snellen in Dissertatione Physico-Chymica, de Sale communi*, asserit. Continent Salem nativum seu montanum, lapideum, cæduum, Germ. Berg-Saltz, Stein-Saltz, partim semidiaphanum, partim pellucidum. Gignitur Chimicorum multorum opinione, ex acido sulphureo-minerali, corpori alkalico sociato. Refert *Rulandus in Lexico*, quòd Sal fossile in Polonia, candidum, cæruleum, & nigrum, inveniatur. Judiciô Medici cujusdam Galli, apud *Pomet in Historia Generali Materialium*, acrius est Sale, in Catalonia, reperto, & in Hispania, ita durum, ut dum ferramentis exscinditur, scintillas edat. *Dissertatio de Sale Minerali in genere & specie* videatur. SAL GEMMÆ seu Sal Crystallinum, ob pelluciditatem, appellatur, Germ. Crystallen-Saltz, Pol. *Sol oczkowata.* Minera maxima Salis ejusmodi, ait *Kundmann in Promptuario Rerum Natural. & Artificial. Vratislaviensi*, ex meris cubis, concreta Vielisci est effossa. In aqua Sale eodem imbuta, *de Maldini in Mineralibus*, lignum cum tempore lapidescere tradit. Acerrimum est præ aliis Salibus, magisque medicamentosum,

quàm alimentitium. Mistum cum Agarico medetur vertigini, inservit dentifriciis. Balsamum Salis gemmæ *ab Hartmanno* valde commendatur ad herniam cancrosam. Omnium Salium ad lumbricos, aliosque vermes necandos potentissimus est, *Redo in Observationibus de Animalculis vivis, &c.* Sal gemmæ Vieliscæ. Plura de Sale isto, *à Davisson in Philosophia Pyrotechnica Parte* 4. exponuntur. Dum *Mercatus Clementis VIII. Archiater, Author Metallothecæ Vaticanæ*, Vieliscenses fodinas lustraret, vidit Salis gemmæ excisas glebas viginti vel triginta librarum, tanta perspicuitate, ut quidam crystallum veram persæpe judicarent. FLOS SALIS VIELISCENSIS, German. Salz-Blüthe, est species mundissimi & candidissimi Salis fossilis, friabilis seu facilè in particulas divisibilis, formam habens partim brevium, partim longiorum filamentorum concretorum, inferiùs acuminatorum, parte maxima incurvatorum, in profundissimis antris, foraminibus subtilibus, rarò & cum diligentia magna reperibilis, adhærens excisis parietibus atque ex iisdem egrediens, crescens ad crassitiem tergi cultri, vel ampliùs. Ita describunt, & exhibent iconem Salis istius *Collectanea Naturæ & Medicinæ ab Academicis Curiosis Vratislaviensibus, anno* 1719. *edita.* Flos Salis Bochniensis, in locis ventilatione destitutis prorumpit, in modum florum fasciculi, qui est Pol. *Bukiet*, mittitur Regibus, Principibusque variis. Salis fodinæ, propè Cracoviam, ferè trecentis geometricis passibus, sub terra positæ. Vix integræ septimanæ spatiô, possunt lustrari omnes, adeò amplæ sunt, atque diversis distinctæ viis. In illis aqua fluit hinc salsa, inde dulcis, purissima, potui apta. *Connor in Historia Poloniæ.* Ex relatione certæ fidei habeo, quòd Vieliscæ, Fauces seu Ora cuniculorum, Pol. *Szyby*, sunt septem numero, profunditatis ducentarum ulnarum, antequam primam stationem attingant. Fauces minores, Pol. *Szybyki*, sunt quoque altissimæ, pertingentes ad stationem secundam, in qua aperiuntur Fauces aliquot instructæ scalis viginti crassis & longis, continentibus gradus seu scandulas, Pol. *Szczeble*, quatuor supra viginti.

Præ-

Præter Sacella antiqua, nova duo ex Sale præstanti elaborata, *Sereniss. Augusto II.* regnante. In Areis Salinariis depromitur Sal, sub nomine *Jarka*, candidum, purum, sed non copiosum, ex eo statuæ elaboratæ, exornant Sacella ibidem excisa ferrô. Secundum Sal gemmæ supra descriptum, etiam in laminas scissile, quandoque lateris magnitudine. Tertium Sal glaciale vocatum, propter similitudinem cum glacie, ex quo glebæ seu lapides Salis formati, German. Bande, Pol. *Batwany*, ad repositoria fune ductario extrahuntur. Quartum Sal Faucium denominatum, Polon. *Szibikowa*, candicans, densum, partim Bancas constituit, partim comminutum in frusta, dolia implet. Quintum Sal subviride permistum limo. Sextum Sal nigricans, arenosum, tertio & quarto vilius. Septimum Sal niveum, præstans, simileque Alabastro Podolienſi ad *Czarnokozienice:* deprompto, hoc an idem est cum Sale vernaculè *Jarka* supra adducto, determinare nequeo. Salis lapides ingentes excisi, dictique *Klapcie*, in minores aliquot dividuntur, dum autem cuneo ferreo avelluntur priùs à Sale reliquo, unumquemque ictum sequitur sonitus, quasi explosi tormenti bellici, lapsus verò ipse præfatarum massarum, terribilem fragorem edit, per anfractus. Præter puteos, ad Fauces cuniculorum exsiccandas paratos, aquæ salsæ sic occupârunt multa profunda loca, ut operarii continuaturi labores cæptos debeant conscendere trabicas naves. Eædem aquæ machinis haustoriis pneumaticis elevatæ, ad receptacula, lingvâ patriâ, *Rzapie*, deductæ, per canales defluunt primos, deinde hydriis, ex coriis duobus boum paratis, Polon. *Bulgi*, extractæ canales secundos intrant, tenduntque ad eum locum, in quo Sal candidus coquitur. Ligna crassa, numerosissima, ordine multo superposita sibi, impendentis terræ pondus sustinentia, superant sæculum, dura ita evadunt, ut resistant securis ictibus, si perfundantur frequentiùs diutiùsque salsulis. Ibidem ligna Sale imbuta, & recenter extracta odorem habent fungorum faginosorum, inserviunt Medicinæ veterinariæ. De piscículis quibusdam assimilibus Gobiis, aliis capita

subrotunda ferentibus, innatantibus dulcibus aquis, notitiâ certâ destituor. Numerus operariorum ad centurias aliquot crescit; equi quadraginta aluntur continuò in stabulis subterraneis, ad labores. De Spiritibus apparentibus seu Virunculis metallicis, Dæmunculis montanis Fossores Salinarios infestantibus tractat *Kircherus Mundi Subterr. Parte* 1. *pag.* 123. Refert *Willichius in Descriptione Salinarum prædictarum*, quòd in illis spectra observentur interdum, idem mihi relatum est à peritis locorum. Comparent viri induti habitu vario, audiuntur quasi humanæ voces, scrofæ cum porcellis vagantur, strepitus, proiectiones, sequuntur deambulantes. Superficies terræ tegentis Salisfodinas fæcunda est, producit segetes, fert hortos, & pomaria. Sal Bochniæ, inquit *Hoffmann in Opusculis Physico-Medicis*, ex plurimis fodinis extrahitur, quarum nonnullæ ita prealtæ sunt, ut vix spatiô horæ ad penetralia earum pertingere possis, per scalas ligneas. Interiora speluncæ, miris ambagibus, & flexuosis callibus, platearum instar, discurrentibus, Urbem, quæ vix diebus aliquot lustrari potest, exactè referunt: Porticus atque cuniculi ita sunt elaborati, ut in utroque latere columnæ ex Sale fabrefactæ, ne tegmen terreum delabatur, consistant, quæ gratissimum præbent spectaculum, & affulgente luce, candidissimæ Crystalli speciem præbent. Saliunt quoque in hisce fodinis, præter salsas venas, scatebræ dulcis aquæ, fossorum potui inservientes. Ipsum Sal saxeæ molis formâ donatum, in glebas majores discutiunt ac confringunt operarii, easque Bande appellant, quæ nonnunquam quadraginta, aut quinquaginta centenariorum pondus æquant. Hoc postea contundunt minutiùs, tum doliis induunt, & per Poloniam, Moraviam, Silesiam, distribuunt. Eximia Salis fossilis pars, Tarnovici in Silesiæ finibus, depuratur, hoc est, in aqua dissolvitur, & rursùs coctione coagulatur. Comitatus Arvensis à fluvio Arva, vulgò *Orawa* dictus, ad Coronam Hungariæ pertinens, solo est valde sterili, Sale Polonico tamen abundans, ex cujus quæstu potissimùm incolæ vivunt, suntque pecunioso, ob

per-

perpetua cum vicinis Polonis commercia. Sal gemmæ, figuræ cubicæ seu quadratæ, non Vielisci tantùm, sed & Bochniæ effoditur, doliolis includitur. Stiriæ Salis Bochnensis, ex aquis per Salem transeuntibus ortæ, candidæ sunt, similesque striis glacialibus de tecto pendentibus hyeme, sed in medio foraminosæ seu canaliculatæ. Aquæ salsæ, in figuras sacchari arte elaboratas, concretæ, *Sadzela* operariis, sunt coloris candidi, & rubicundi. Venæ Salis, in forma tabellarum, dum in terra effossa comparent, signa sunt Salis latentis inibi. Ex concursu aquarum Sale imbutarum nascuntur, adhærentque parietibus partes Salis dictæ Ocelli, vernaculè *Oczka*, hi, dum aqua submovetur, apparent, splendentque inter lychnos, instar adamantum, sed brevi liquescunt. An tonitrua & fulmina subterranea talia audiuntur aliquando à fossoribus Salis, qualia descripta *à Kirchero in Mundo Subterraneo*, fiuntque alibi, notitia certa requiritur. Nihil impedire, arbitrantur *Listerus & Hartop*, quominùs fulmina vera, & tonitrua, in vastis cavernis oriri possint, cum sine dubio, materiæ vapores fulmineos constituentis, longè major sit copia, subter terram, quàm supra. In fodinis profundissimis eisdem, ubi frigus & calor sentiatur, *ex Boyle Tractatu de Temperie Subterran. Regionum*, trahi potest notitia. Tres regiones terræ ab illo sunt assignatæ, prima regio variabilis, secunda, parte sui maxima, frigida, si cum duabus cæteris comparetur, tertia constanter & sensibiliter calida. Opinione aliorum, terra in fodinis, ad sexcentos passus, æstate frigida, ulteriùs calida, nam in illo spatio, vim suam exercet, quam deinceps ignes subterranei, aut halitus minerales, perpetuò calefaciunt. Extra controversiam *Reinzerus in Meteorologia* tradit, multos ignes in terræ viscеribus latere; fomes seu pabulum ignium horum, ex mente *Georgii Agricolæ lib.* 4. Sulfur, & Bitumen esse, quæ duo *Reinzero præfato* inflammantur exhalatione, spirituque cavernis incluso, quærente exitum, &c. Alii modis diversis putant subterraneos ignes accendi.

PUNCTUM IV.

DE TERRÆ FERTILITATE, PLANTIS OFFICINARVM, COCCO POLONICO.

I.

Terra illa est magis fæcunda, quæ uberiore Sale nitroso, aut alkalico abundat, carentia Salium, terras steriles reddit. Agricultura secundùm *Aristotelem Oeconomicorum lib. 5.* est ars optima, eò, quòd sit secundùm naturam, non ut labor bellicus militum, & civilis mercatorum. Per illam quæritur victus non ex scriniis aliorum, sed in sinu matris telluris. Et *Ciceronis Officiorum lib. 1.* nihil est agriculturâ meliùs, nihil dulciùs, nihil libero homine digniùs. Hanc exercent Poloni studiosè, laboriosè, constanter, ut optimas colligant messes.

II. Polonia vino & oleo privata, omnium verò aliarum rerum, quas tellus profert fæcundissima, præsertim tritici, & hordei. *Sempilius in Mathematicis Disciplinis.* Ubertatem si Regionum respicis, vix Poloniæ parem in Europa reperies, immensam frumenti vim, beneficiô Dunæ, Croni, ac Vistulæ incolæ exteris suppeditant, indeque universas divitias sibi comparant. *Concius in Mathematico-Historica Geographia.* Solum totum Poloniæ, frumento, & legumine fæcundum est. *De Wit in Nova Tabula Europæ.* Vere felix gleba Polonica, cujus tanta ubertas est, ut liberali proventu frugum, multorum sublevet indigentiam. Dum Romæ *Clemens VIII. Pontifex M.* anno 1593. caritatem annonæ sublevaret, opportunè appulerunt Gedanenses naves & Hollandicæ, Genuam, Livornum, & ad Civitatem Veterem Pontificis portum, frumentis

mentis onustæ, teste *Piasecki in Chronicis Gestorum in Europa Singularium.* Non desunt aliqui agri in Regno nostro, in quibus Siligo transmutatur in Triticum. Ex Emporio Gedanensi, & Elbingensi, sæpè frumenta mittuntur Hollandiæ, Galliæ, Sveciæ, Daniæ, Norvegiæ, interdum Hispaniæ, & Portugaliæ. Anno 1723, suppeditata Peterburgo seu Petropoli Moschorum. Mercatores Gedanenses quantùm frumenti emant, atque divendant, Elenchi traditi typo, ad decursum anni cujuslibet, clarè demonstrant. In codice manuscripto antiquo est annotatum, centum millia lastarum frumenti varii importata fuisse Gedano, Vistula flumine, intra unicum annum. Idem numerus creverat, anno 1681, vel sequenti. Quælibet lasta medimnos vulgò coretos siquidem continet sexaginta, excrescit numerus ad sex milliones modiorum. *Anno* 1718. impositæ navibus onerariis Tritici lastæ 15512, Siliginis lastæ 96481, Hordei lastæ 2310, præter Avenam, Pisum, & Hordeum madefactum ac tostum est. In universum lastæ evectæ 116695. Extradita dolia magna, Polon. *Fasy*, 3288. panibus nauticis plena. *Anno* 1619. Mari commissæ Tritici lastæ 12068, Siliginis 86114, Hordei 3653, Avenæ 198, Fatinæ 830, &c. Summa 103811, Dolia 2514 onerata pane biscocto. *Anno* 1712. invectæ lastæ frumenti varii 37827, evectæ 33047. *Anno* 1713. acceptæ ab exteris Tritici lastæ 12168, Siliginis 28234. *Anno* 1723. venditæ iisdem lastæ 33557. *Anno* 1524. importatæ in granaria Civitatis lastæ 43838, inter quas erant Tritici lastæ 7894, Siliginis 30518, Hordei 2847, Hordei madefacti & tosti 225, Avenæ 826, Milii 177, Fagopyri 1405, Pultium de Fagopyro 160, Pisi 143. Exportatæ lastæ 54175, Siliginis 41880, Tritici 90005, nam sola *Dunkierka* Galliæ Urbs acceperat millia sex lastarum Tritici. *Annus* 1725. attulit Gedanensibus Vistula, Tritici, Siliginis, Hordei, Avenæ, Milii decorticati, Fagopyri, Pisi, &c. lastas 46612, inter has erant Tritici lastæ 10555, Siliginis 29511, Hordei 3404, Avenæ 975, Milii 197, Fagopyri 1167, Hordei tosti, vulgò Brasei 195, &c. Extraditæ lastæ navibus extra-

extraneorum, anno eodem, 39310. *Annus* 1726. ſubmiſit Tritici laſtas 10840, Siliginis 25794, Hordei 2032, Avenæ 629, Fagopyri 746, Milii decorticati 233, Hordei toſti 113, Pultium de Fagopyro 247, Piſi 31, præter Pultes hordeaceas, avenaceas, Farinam triticeam & ſiligineam. In univerſum apportatæ laſtæ Gedano 40667, Mari commiſſæ 31304, inter quas fuerant Tritici laſtæ 9118, Siliginis 20293, Fagopyri 543. *Annus* 1727. propter annonæ penuriam, attulit nonniſi laſtas 15340, extradidit 22174. *Annus* 1728. obtulit laſtas 43574, tulit ad Mare 31428. Eodem anno pluvias ſitiente, verno atque æſtivo tempore, aquas modicas fluviis navigabilibus ſubminiſtrante, plurimæ naves oneratæ frumentis hæſere in arenis. Anglicæ naves accipere Tritici, & Siliginis tria millia laſtarum, poſt ſpatium quinquaginta annorum, intra quod, hoc Regnum, propter fertilitatem, non indigebat meſſe aliena. Ad Livornenſem portum Italiæ expeditum eſt Triticum album. *Anno* 1729. navigiorum frumento vario oneratorum excreſcebat numerus ad duo millia, advectæ ſunt Viſtulâ laſtæ 64122, expeditæ ad mare 54065 laſtæ, in Angliam plus Siliginis, quàm Tritici eſt deductum, inde Triticum ad Italiæ partes nonnullas pervenit. Eodem currente anno, Civitatis granaria quamvis numeroſiſſima & ampliſſima, tam nova, quàm antiqua frumenta non capiebant, naves quia deerat locus in Motlava diutiùs exſpectabant, unus mercator ex centum quadraginta navibus, *Szkuty*, *Dubaſy*, *Komiegi*, dictis, Triticum & Siliginem emerat. Annis antiquioribus, in Galliam Siligo non expediebatur, tunc ſumebatur, præter Triticum. Saxoniæ quoque currus efferebant frumenta, ex Majori Polonia, & Cujavia. Navis oneraria per Mare adveniens accipit laſtas 200, vel 250, aut 300, contingit ut aliis grandior ferat 350. Frumenta advecta ad Urbem, Suburbiaque populoſiſſima, curribus, ad calculum non revocantur, nec divendita è granariis in Civitate, vel extra mœnia, ad incolarum, advenarumque neceſſitatem, ponuntur inter extradita, in elencho annuo æri inciſo. Pretium frumenti variat,

riat, pro diversitate circumstantiarum. Anno 1619. Siliginis lasta constabat 40 florenis. Anno 1681. vel sequente, Siliginis lasta, primò 40 florenis, secundò 45, tertiò 50, est empta. Anno 1698, & imminente, pro lasta Tritici rubescentis floreni 500, quandoque 550 pro lasta Tritici albi, floreni 700 dabantur. Anno 1709. quô pestilentia sæviit, Triticum florenis 500, Siligo 300, distrahebatur. Hæc de Emporio Gedanensi sunt adducta, quòd præter frumenta, etiam biscoctos panes seu nauticos sæpè & largè suppeditat navibus onerariis à portu vela attollentibus remeando in patriam, vel penetrando alia remotiora maria. Quot autem lastarum millia Tritici, Siliginis, &c. Regiomontum singulis annis, ex Litvania Crono seu Nemeno flumine, quot Rigâ, amne Duna, ex eodem Magno Ducatu, accipiat, ad calculos non reduco, nam latet me numerus à mercatoribus assignatus.

III. PODOLIA soli ubertate insignis, multiplici rerum proventu felix. Nonnemo oriundus Gedanô, dum in Fortalitio S.S.S. Trinitatis, Pol. *Okopy* dicto maneret, incidit in partem terræ sic fæcundam, ut tradita illi una mensura Milii, centum & quinquaginta mensuras redderet. Agricolæ aliqui Fagopyrum, seu Frumentum Sarracenicum, Erysimum *Theophrasti*, Polon. *Tatarka*, *Gryka*, dum in agris disseminant, messem non exspectantes, Siliginem arvis iisdem intactis committunt, Fagopyrum dum est maturum demetitur falcibus, atque colligitur, Siligo jacta excrevit, æstate sequenti, colligenda. In eadem Podolia, Siligo decidens ex aristis in terram non versam vomere, solet excrescere, ast passim negligitur. Ordinariè exile pretium annona habet ibidem, anno 1521. Siliginis modius, incolis *Czetweryk*, Germanicis grossis semitribus, Polonicis quindecim, Fagopyri medimnus grossis decem, vendebatur. Podolia & Ukraina horreis fere ubique caret, collectæ æstate messes componuntur in acervos *Stirty*, *Brogi* dictos, excutiuntur de manipulis grana in iisdem agris, stramina comburuntur.

IV. UKRAINA complectens Palatinatum Kioviensem, Braclaviensem, Czernichoviensem, fertilitate terræ commendatissima producit segetes ad usum incolarum, & Valachorum seu potius Moldavorum, qui ex Oppido *Raszkow*, locisque aliis, Triticum & Milium evehunt. Nimia copia facit, ut fruges generis varii, ibi vilissimo pretio distrahantur. In Kioviensi Palatinatu, anno 1722. Siliginis medimnus, *Osmaka* appellatus, continens in se Gedanenses Sztofos octoginta & plures, Germanicis grossis duobus, Prussicis sex comparabatur. Sæpe messoribus, in laboris diurni præmium, non datur pecunia, sed manipulus tertius. Idcirco non exiguus est ruricolarum talium numerus, quibus, totique domesticæ eorum familiæ, sine agriculturæ usu, messis aliena suppeditat panis sufficientiam pro anno integro. Ad staturam viri excrescit non rarò Milium, Fagopyrum pectore tenùs in altum porrigitur. Borysthenes fluvius currens per Ukrainam, Insulas plurimas continet, *Ostrowy* vocatas, feraces Vini botrorum, qui Techiniam seu Benderum Moldavorum, Kiliam Turcarum, devehuntur à Cosacis.

V. VOLHINIA regio ampliſſima, frugibus omnigenis abundans. *Gvagninus Veronensis in Descriptione Litvaniæ.* Terra nigra & pingvis liberaliter messes sveta producere, Siliginis culmi cum aristis altitudinem proceri viri æquasse, vel superasse visi. Triticum præstantius est Podoliensi, Papaveris ea est copia, ut quidam lastas duas illius, Gedanum navi advexerit. Anno 1721. Siliginis modius octoginta Sztoffo-rum Prussicorum capax, Ostrogii, Germanicis sex grossis, Polonicis triginta sex, Avenæ mensura eadem Polonicis grossis viginti constabat, Zaslaviæ, Olycæ, & alibi, etiam tam vile pretium decrevisse notatum. Et hac de causa, operario uni panis siligineus, tribus grossis nostratibus, Germanico semi grosso, emptus sufficiebat, pro hebdomada tota.

VI. RUSSIA MERIDIONALIS, aliis Rubra, propriè Roxolania, cujus Urbs primaria est Leopolis, alit segetes uberes. De ea ait *Kobierzycki in Historia Vladislai Poloniæ Principis*, quòd

quòd olim de Asia, *Cicero pro Lege Manilia*, dixit, hoc jure merito elogium Russiæ tribui potest, sive ubertatem agrorum, varietatem fructuum, magnitudinem pascuorum, & multitudinem rerum, quæ ex ea exportantur, spectes. Siligo nata, circa Jaroslaviam, pretium majus Gedani obtinet, propter pondus singulare. Regio Submontana profert Avenam albam, *Skoroszyt* ideo dictam, quòd matureſcat citiùs, eodemque tempore cum Siligine. Zea seu Spelta, Briza major, Hordeum distichum, Pol. *Orkisz*, in agris Russicis, & alibi seritur. Frumenta triturata in hac Provincia (idem fit in Volhinia & Ukraina) foveis testudinatis subterraneis, arte paratis inferuntur, ibique integrè per annos plures conservantur, præsertim tempore ingruentium hostilitatum. Ex Lino copiosissimè excrescente parantur telæ præstantes, *in Mosciska* Oppido Premislienſis Terræ, tempore nundinarum duplicium, divenduntur mercatoribus numerosissimis, à quibus emptæ, ad exteros delatæ, dum ibi meliùs dealbantur, expoliuntur, in volumina alia efformantur, pretium majus tenent, in præfato Oppido autem & alibi, cubitus unus telæ, nonnisi floreno medio noſtrate, hoc est Germanicis grossis duobus & dimidio non rarò acquiritur.

VII. LITVANIA vastissima regio, frumenti & mellis feracissima, Cannabis item ac Lini. *Concius in Mathematico-Historica Geographia.* Etiam Anisum copiosum colligit circa Polessiæ Oppidum *Turow*, &c. In Districtu Upitensi, latifundia vicina Oppidis, *Poniewiesz*, *Nowemiasto*, *Szadow*, *Pompiany*, *Linkow*, *Klewany*, &c. in Districtu Vilkomirienſi, ad *Rakiszki*, abundè proferunt Linum præstans devehendum navibus Rigam, Regiomontum, unà cum semine. Cannabis frequentissima in Vitebscensi Palatinatu, quæ sub nomine *Pieńka*, ad regiones longinquas mittitur. In Palatinatu Trocensi circa Urbem *Troki* & alibi provenit Triticum albedinis singularis, ex quo paratur panis præstantissimus; circa Upitam datur linum extraordinariè celsum & ductile; in Civitate Cauna telæ lineæ subtiles parantur. Nemenus fluvius fert Regio-

montum, copiam magnam Tritici, Siliginis, Milii decorticati, Pultium variarum, Mannæ Polonorum, Sinapis, Raparum Seminis. Onerantur Lini, & Cannabis seminibus naves, quæ semina Regiomontô in Hollandiam, Angliam, Daniam, Norvegiam, Sveciam, Pomeraniam, expediuntur, Lubecæ, Hamburgo, Bremæ, Rostochio, invehuntur, acceptaque anno 1726. seminis præstantioris Lini dolia 2876, Hollandia obtinuit dolia 950, lastas deteriores Seminis Lini 1150, Anglia dolia 650, præter Semina Cannabis, Linum ductile, & Cannabim ductilem. Ex eodem Magno Ducatu Litvaniæ, flumine Duna, Pol. *Dźwina*, navibus denominatis *Strugi*, frumenta, semina varia, &c. Rigam adveniunt, quæ est in Livonia seu Leflandia.

VIII. PRUSSIA ob lactis, butyri, omniumque frumentorum, ac rerum copiam, antiquitùs à Germanis, regio adipis, vulgò Schmaltz-Grube vocata. *Clangius in Linda Mariana.* Dantiscum Europæ totius granarium & emporium. *Golnitz in Compendio Geographico.* Torunii, anno 1467. emebatur Siliginis modius sex solidis, Tritici decem solidis, Pisi undecim solidis, Avenæ tribus, Sexagena Cyprinorum latorum quinque solidis, Sexagena Lampetrarum duobus solidis, sed in vilitate annonæ non modica difficultas erat habere famulitia. *Runau & Weisselius in Histor. Prussica, à Zernecke adducti in Historia Torunensi.* Circa annum 1608. propter pluvias diuturnas in Prussia, accidit satorum hyemalium interitus, maxima parte. Postea parum Hordei, Avenæ, & Siliginis excrevit, superabaturque Siligo à zizania, plùs quàm duodecima proportione. Vescebantur homines istâ zizaniâ, pro sequenti anno seminata uberrimam & purissimam messem, non sine stupore maximo, reddidit. *Leo in Historia Prussiæ.* In eadem Provincia Siligo Brabantiæ fæcunda plurimùm à nonnullis œconomiæ deditis disseminatur propter raritatem. In VARMIA datur Lini fertilitas singularis, ex qua telæ elaboratæ etiam ad nationes alienas efferuntur. Semina Lini in Silesiam advehuntur.

IX.

IX. CEREVISIA, seu Zythum, Vinum Cerèale, Vinum hordeaceum, Vinum Regionum Septemtrionalium, Potus è fruge, Pol. *Piwo*, Germ. Bier, quod vocabulum videtur *Prætorio in Orbe Gothico*, originem traxisse à voce Gothica *Biera*. Cerevisia *Plempio* vicaria vini est, ex viribus & facultatibus utriusque colligere licet, sicut enim Vinum calefacit, exhilarat, & inebriat, ita & Cerevisia Polonica, quæ plerumque ex Tritico fit, bene nutrit, & moderatè calefacit, *Jonstoni in Idea Hygeines* opinione. Probantur multùm aquæ illæ, ex quibus Cerevisiæ præstantes parantur, salubritas enim Cerevisiarum, maxima parte pendet ab aquarum bonitate. Aquæ duriores, longè durabiliorem, molliores verò, longè sapidiorem, sed faciliùs acescentem Cerevisiam producunt. Modus parandi hunc potum prolixè descriptus est *à Malto, Brasio*, & cæteris. Cerevisia Dantiscana à Batavis Joppen-Bier, ratione plateæ Joppen-Gasse, in qua olim praabatur, dicta, Germ. Doppelt Bier, est *Bruckmanno in Catalogo Omnium Potûs Generum*, pingvis, crassa, ad instar Syrupi, nutriens quidem egregiè, sed sitim ob crassitiem non minuens, potiùs augens, medicamentosa. Eadem Cerevisia, inquit author præfatus, est similis Mummæ, potui Brunsvicensi hordeaceo, spirituoso, stomachico, omnesque Cerevisias reliquas Europæ totius, viribus & consistentia Syrupo analoga superans. Venditur Pharmacopolis, bibitur contra affectiones varias, convulsiones internas cùm Oleo Hyperici S. Joannis, navibus onerariis mittitur ad exteras nationes, in doliolis numerosis. Altera Cerevisia Dantiscana, Germ. Niclas-Bier, id est Sancti Nicolai, semel in anno, circa Festum dicti Antistis ab uno nonnisi braxatore parata datur dono Præsidi Civitatis, Consulibus, & honoratis personis. Conficitur Cerevisia in *Racat* pago Palatinatûs Posnaniensis, Białokrynicæ in Volhinia, similis Grodecensi Majoris Poloniæ, Bidgostiensis vehitur Gedanum. Vartenburgensis coloris nigri sumitur cum gustu in Varmia seu Ermelandia, ibidem Wormditensis seu Ornetensis grata palato, Varsaviæ in pretio. Parata in *Opipsk* villa

Palatinatûs Ravensîs laudatur Kolnenſis & Radunenſis in Litvania ſuperat cæteras qualitatibus.

X. AQUA VITÆ ſeu Vinum aduſtum, Spiritus vini, Spiritus frumenti, Crematum, Germ. Brantwein, Polon. *Gorzatka*, *Wodka*, teſtimoniô *Morhofii in Metallorum Transmutatione*, innotuit ex libris quorundam Medicorum Arabum, qui illud primi in medicinæ gratiam confecerunt, cujus uſus perduravit, usque dum Mutinenſes, magnâ copiâ, per Provincias Septentrionales idem vulgârunt, eoque fecerunt, ut in potus quoque ordinarii genere haberetur. Conficiebatur primò è vinis corruptis, à Mutinenſibus, & cum Veneti intelligerent, Metallorum foſſores in Germania potu tali indigere, venalem iis miſere. Succeſſu temporis, cæpit parari ex Gallico vino, & Rhenano, tandem ex frumento, & cereviſia. In Civitate Gedanenſi, Cremati ex vino ſpecies viginti tres inveniuntur, è frumento ſpecies præſtantiores ſexdecim, ignobiliores totidem, omnes conditæ aromatibus variis, vel fructibus, herbis, radicibus, ſeminibus, &c. Non paucis Regnis infertur navibus onerariis idem Crematum excellentius, ſub Signo Salmonis paratum & venditum, Petropoli ſeu Peterburgo, curribus Viennæ in Auſtria, Vratislaviæ in Sileſia. Incolæ Volhiniæ, & Ruſſiæ Rubræ, Crematum permutant partim Hungarico vino, partim pro pecunia parata diſtrahunt Hungaris, domi numeroſos proventus ex propinatione ejus percipientes. Evehitur etiam ex utraque regione præfata in Moldaviam, vulgò Valachiam, & per Ukrainam citeriorem, ad Urbem Coſacorum *Sicz nowa*, ſub poteſtate Chami Crimenſis manentem, ad littora *Ilmen* lacus, Ruſſis *Liman*, contigui Ponto Euxino, ad Civitatem Oczakoviam, Tartaris Dziarcrimendam, aliaque loca adjacentia.

XI. PLANTÆ OFFICINARVM ſeu medico uſui inſervientes, corpora humana cum commodo alterantes, à ſtatu præternaturali, ad naturalem reducentes, ſunt anodynæ, maturantes, attenuantes, abſtergentes, tollentes obſtructiones, rarefacientes discutientes tumores aut flatus, veſicantes, in-

incraſſantes, repellentes, adſtringentes, emollientes, laxantes, conglutinantes, præparantes ſive digerentes, purgantes, diureticæ, diaphoreticæ, alexipharmacæ, frangentes calculum, cephalicæ, arthriticæ, cardiacæ, ſtomachicæ, hepaticæ, ſpleneticæ, nephriticæ, hyſtericæ. Ex his plurimæ, quia abundè excreſcunt in Poloniæ Regno, motivo fuerant *Tylkowski S. J. in Medico Familiari, ſub nomine Fabii Hercinii edito*, proferendi ſequentia: ſæpe multi exiſtimant in nos Polonos novercam ſe naturam gerere, dum credunt medicinas non reperiri, niſi ultra Gangem, & Chinas. Vindicavi ab hac contumelia naturam, & oſtendi inter nos eſſe remedia, & nobiscum creſcere, neque ſine Medico deſperandum, ſi illa adſint. Quæ in noſtra terra prodeunt, nobis è cælo ſunt parata, vivida, & ſine fraude haberi, ac ſine multo pretio poſſunt. Nobis noſter ager, noſter hortus, non ſolùm edulia, ſed etiam remedia profert, quod noſtris ſubjectum pedibus, noſtro commodo eſt factum, nec minùs ſanorum, quàm ægre valentium. Univerſaliùs *Kircherus in Arte Magna Lucis & Umbræ*, differit: ſicut natura ob abditas quasdam telluris exſpirationes, in ſingulis regionibus, certos quosdam morbos producit regioni proprios, ita & herbas ſolo iſti, in morbi remedium, particulares. Unde miror vehementer, ex India tam anxiè peti, quod, inter domeſticos habemus parietes, obvium nobis. Planta eſt vegetabile, ſive arborem velis, ſive fruticem, ſive herbam, hîc pro herba ſumitur, quæ dividitur ratione uſus, in medicamentoſam, alimentoſam, & neutram. Plantæ ſunt aut frigidæ, aut mixtæ, aut calidæ. Frigidæ naſcuntur plerumque in locis putridis, in aquis, ripis, & juxta ſtagna. Calidæ, in primo, ſecundo gradu, & tertio, proveniunt in montibus, Orientem & Meridiem verſùs vel in locis arenoſis, ſaxis. Nec Græci, nec Latini, nec Poloni Scriptores, inquit *Cnapius in Theſauro*, conveniunt in herbarum plurimarum nominibus, ideo non mirandum, ſi aliter apud alios reperies.

XII. In PRUSSIA complectente Palatinatum Pomeraniæ, Mariæburgenſem, & Culmenſem, Plantæ deſcriptæ *à Soler-*

Solertissimo Helwing in Flora quasi-modò-genita Prussica, demptis perpaucis, reperiuntur, Botanicorum Gedanensium testimoniô. Adiantum aureum seu Polytrichum aureum, Capillaris aurea, Barba Herculis major & minor. Apium Sylvestre, Olsnicium *Officinis*, Germ. Olsenick, succo lacteo turgens, ait *Turneserus in Descriptione Plantarum*, non est vulgaris planta, nascitur in Pomerania, Polonia, Lusatia, &c. Scorzonera latifolia & angustifolia *Dodonæi & Lobelii*, Pol. *Kozibroda*; in Cassubia, substituitur in medicinis pro Scorzonera Hispanica, quæ altior est, & ramosior. Circea Solapifolia cauticulis rubris, succulentis, fragilibus, *teste Mentzelio in Pugillo Rari. Plantarum*, in locis paludosis. Angelica, seu Radix Sancti Spiritus Officinis, Pol. *Dzięgiel*, ad fossas *Zulavæ* Gedanensis, & Mariæburgensis. Pulsatilla Campana dicta, quia flos illius petalis explicatis, videtur formam campanæ exprimere, aliis Nola culinaria, Germ. Küchenschelle, Barba Capri *Schwencfeldio*, cæteris Herba venti, Cauda Vulpis, Prussis Heydeblume, Polon. *Czarne ziele*, *Sasanka*, Vilnensibus Officinis *Wasilki*. Pulsatilla flore rosaceo, *Tournefortio in Instit. Rei Herbariæ*, petalis in orbem positis constat, ex cujus meditullio surgit pistillum staminibus plerumque obsitum, quod deinde abit in fructum, in quo velut in capitulum colliguntur semina in tenue capillamentum desinentia. Pulsatilla flore Anemones secundæ seu subrotundo, Prussiæ inquilina, in Distrietu Angerburgensi, & Pulsatilla Polyanthos violacea Anemones foliô. Pulsatilla flore obsoleto, caule nudo, rarissima, à muliere ex Cassubiæ montibus, initio Maji, anno 1660. allata. Suspicatur *Rajus* cum aliis, hanc plantam monstrosam fuisse, & individualem, nam deerat coronula pediculum ambiens, quæ est character constans istius plantæ. Pulsatilla candidissimis floribus, in Masovia, inter Varsaviam & Torunium reperitur, & ab ea, quæ cæruleo est flore non differt, nisi solo colore, pistillum staminibus croceis obsitum ostendit, peta in flore ordinariè sex, rariùs septem producit. Pulsatilla vulgaris circa Fravenburgum copiosa esse, *à Gottschedio* perhibetur. Hæc sparsim

Hel-

Helwing in Flora Campana, seu Pulsatilla cum suis speciebus & varietatibus methodicè considerata proposuit. Poligonum cocciferum, *C. B*, in terris arenosis Monasterio Olivensi subjectis, in cultis partim, partim ad agrorum & viarum margines, in planitie imprimis illa, quæ non longè distat à Mari. De Hieraciis Prussicis *à Boretio Loeza Dissertatio Botanico-Medica Lugduni Batavorum est edita: ab Helwing in Supplemento Floræ Prussicæ*, Hieracia recensita. Ibidem Plantæ sequentes iconibus adumbratæ. Coronilla herbacea flore vario seu Securidaca dumetorum major, siliquis articulatis. Muscus denticulatus minor, & Muscus densis foliis juniperinis. Veronica spicata longifolia spicis florum candidissimis, seu Lisimacha spicata, Pseudolisimachium *Dodonæi*, foliis profundè serratis. Muscus pulmonarius, terrestris coloris sangvinei, ut Alcis cornu, divisus, non procul ab Urbe Gedanensi observatus, qui autumno senescente arescens albicat. *Ephemerides Medico-Physicæ Germanica Naturæ Curiosorum.* Fucus marinus assimilis Fuco frondoso *Imperati*, è Balthico Mari depromptus prope Puckum. Alsine maritima, quibusdam Kali putata, albo flore. Fucus marinus ejectus è mari est subviridis, siccatus nigrorem induit horridum, circa littora Balthici Maris frequens. *Gottschedius in Flora Prussica.* Eruca maritima angustifolia ad littora ejusdem maris frequens. *Helwing in Supplemento Floræ Prussicæ.* Quercus marina *Lobelii, & Tabernæmontani*, Quercus marina vesiculas habens *C. B.* Germ. Meer-Eiche, chamarum testis, & lapidibus, quasi ferrumine quodam affirmatur, radice destituta, folia ejus sunt atro virore recenter è mari expulsa, siccata nigrescunt, & instar glutinis, splendent. Lapides barbati *à præfato Gottschedio in Flora Pruss.* appellantur, quibus adhærent plantæ. Frequentes sunt in Balthico Mari protenso ab Urbe Gedanensi, ad Zarnovecum, & ultra. Trifolium anti-arthriticum circa Torunium crescit, quod vires insignes, in morbo articulari exerit, si ejus folia coquantur in cerevisia, bibantur bis aut ter per diem. *Ephemerides Naturæ Curiosorum.* Laserpitium Daucoides Pruthenicum, semine viscoso,

à Jacobo Breynio, in Iconibus Exoticarum, minusque cognitarum Plantarum, est expressum. Herbarium Vivum Prussicum, id est Liber continens herbas exsiccatas, chartis affixas conservatur *Dresdæ in Musæo Sereniſſimi Regis Poloniarum, Augusti II.* secundus Regiomonti *in Bibliotheca Thammiana*, V. Tomis, Classibus XXII. absolutus, tertius Gedani *in Musæo Kleiniano*, cum appellationibus Latino-Germanico-Polonicis. In Cujavia vicina Prussiæ, non procul à Vistula, Asparagorum agrestium est proventus notabilis. In Masoviæ sylvis Varsaviæ proximis invenitur Orchis seu Satyrion non consvetæ figuræ, floribus albis odoratissimis. *Bernitz in Ephemeride Naturæ Curiosorum.* Orchitis species plures, *à Rajo in Hist. Plantarum*, *à Vallant in Botanico Parisiensi*, describuntur. Editum Dresdæ *ab Erndtel M. D. Viridarium Varsavienſe* sive Catalogus Plantarum, circa Varsaviam crescentium. Ibi, inter alias plantas ponitur Gramen Dactylon esculentum *C. Bauhini*, seu Gramen Mannnæ I *Dodonæi*, Pol. *Manna Polska*, *Manna Krupiata*, habens semen Milio minus, oblongum compressum, quod à glumis & utriculis repurgatur, in pratis, & locis udis nascitur.

XIII. In PODOLIA crescit Absinthium Ponticum, præ cæteris minimum, tenuifolium, etiam Romanum dictum, Germ. Pontiſcher Wermuth, Römiſcher Wermuth, nimis acre, magis efficax, quàm vulgare latifolium, stomachicum, hepaticum, spleneticum. Asparagus sylvestris frequens, altior, crassior, quàm alibi in Polonia. Alkekengi baccæ seu Halicacabi, Solani vesicarii, Cerasa Judæorum, Germ. Juden-Kirſchen. Bulbus esculentus *Sirenii.* Chamæcyparissus, seu Cyparissus pumila *Matthioli.* Dictamnus putatus, seu Pseudo-Dictamnus, Diptamus, Fraxinella à foliis Fraxini appellata, Germ. Weiſſer gemeiner Diptam, Pol. *Dyptan*, montibus sylvosis & rupibus gaudet, radicem albam, acrem, amaram habet, in foliis sapor instar Rutæ & Salviæ, in floribus odoratis paululùm jucundior, dulcis, semina magna, nigra, splendida. Eadem Fraxinella, *Gejero in Dictamni Descriptione*, calida est in secundo gradu, æquè utérina ac Dictamnus Creticus, resolvit

ob-

obstructiones, pellit fætum vivum ac mortuum, cephalagiæ, vermibus, epilepsiæ, affectibus capitis, medetur, in hydrope, arthritide, tussi, otalgia, prodest. Glycyrrhiza seu Liquiritia Officinarum, Polon. *Lukrecya*, *Słodki korzen*, Russis *Lokoryca*, plantarum numerum auget. Herba Russis *Dinderewo* profert grana similia piperis granis, amara, intensè calida. Myrrhis odorata bulbosa *J. B.* Myrrhis tuberosa, nodosa. Myrrhis cicutaris, bulbosa *C. B.* hujus radix inter acetaria, primo vere, comeditur. Rosa brevis seu humilis, nam altitudinem palmi recti sæpiùs non excedens campos implet, ornata flosculis dilutè & pallidè rubentibus, qui Italis sunt incarnati. Species variæ Rosarum parvarum, *à Dodonæo in Florum Historia*, sunt expositæ. Unifolium seu Monophyllum non deest.

XIV. In UKRAINA spectatur magna varietas herbarum insativarum sive sponte nascentium. Esula arborescens seu Tithymalus Dendroides, Pol. *Romanowe ziele*, in Campis Desertis *Janczaricha* vocatis. Euphrasia seu Herba ocularis, Luminella Ophthalmica. Glycyrrhiza seu Lucretia in sylvis Palatinatûs Braclaviensis, non procul à *Boh* flumine. Herba *Katran*, forsan à Turcis, aut Tartaris sic appellata, ad mensuram ulnarum semiduarum crescens, radicem habens similem cauli brassicæ capitatæ, protensam longissimè, folia ferens viridantia latiora, flores albos ac odoratos, in Campis desertis *Stepy* dictis. Radix præfata à Græcis, & Russis egentioribus in cibum assumitur. Spica Sarmatica seu Muscus corniculatus, Muscus bifurcatus *Sirenii*, Polon. *Woroniec*, *Widłak*, inter *Słucz* fluvium & Cudnovum. Rosa parva suprà descripta, in Campis *Janczaricha* nascitur, qui ab *Ostropol* Oppido Volhiniæ, ad Fortalitium *Białocerkiew*, per milliaria octodecim Ukrainensia, id est longa, una parte protenduntur, alterâ ad *Wasilkow* Oppidum tendunt, pagos nullos continentes, nisi ad latera tractus positos, eosque distantes à via publica, tribus vel quatuor milliaribus. Sylvis quoque carent, & aquis, exceptis puteis paucis, à Mercatoribus prætereuntibus ruditer efformatis, qui idiomate patrio *Kopanki* denominantur.

XV. In VOLHINIA, Urbi Oſtrogienſi propinquiora loca producunt plantas, ſub his vocabulis. Agrimonia ſeu Potentilla ſylveſtris. Althæa. Angelica ſylveſtris. Aſarum. Beccabunga ſeu Anagallis aquatica, Berula, Sium aquaticum. Alkekengi ſeu Solanum veſicarium. Betonica Officinalis, in pratis locisque umbroſis. Biſtorta ſive Serpentaria. Burſa paſtoris, Crispula *Sirenii.* Calendula ſeu Caltha, Chryſanthemum. Carlina vel Carolina, Cardopatium, in locis montoſis ſiccioribus. Cariophyllata ſylveſtris ſeu Sanamunda. Centaurium minus luteum, ſeu Planta febrifuga, Fel terræ, Leptophyllon, Lymneſium. Chamædrys. Chamæleon niger. Cerefolium. Cichoreum ſive Endivia. Conſilago ſeu Elleborum ferulaceum *Theophraſti*, Pol. *Gorzykwit*, Ruſſis *Horycwit*, *Spens.* Conſolida regalis ſeu Calcatrippa. Daucus agreſtis. Dens Leonis ſeu Dens caninus, Taraxacum. Enula Campana ſeu Helenium, Polon. *Oman.* Elleborum album. Eryngium ſeu Aſter Atticus. Farfara major *Matthioli* ſeu Tuſſilago major, Petaſites *Dioſcoridis*, Ungula equina. Filipendula ſeu Saxifraga rubra Offic. Flammula Jovis *Sirenii*, Ruſſis *Lominos.* Fumaria Offic. ſeu Fumus terræ. Hypericum ſeu Herba S. Joannis. Iris noſtras ſeu Gladiolus cæruleus major, Lilium cæleſte, Iris Germanica. Iris paluſtris lutea ſeu Pſeudo-Iris, Acorum vulgare, adulterinum. Lapathum acutum. Lilium convallium. Linaria ſeu Linum B. Mariæ, Pſeudolinum. Marrubium album ſeu Praſium. Mentaſtrum ſeu Menta caballina, Menta ſylveſtris. Palma Chriſti major *Matthioli*, Satyrium baſilicum *Urſini*, Serapias mas *Lobelii.* Paris herba ſeu Solanum quadrifolium bacciferum, Solanum monococcum, Sigillum Chriſti, Sigillum Veneris, Crux Chriſti, Uva lupina, creſcit in locis arenoſis campeſtribus, baccæ colliguntur, Auguſto menſe. Polygonatum latifolium ſeu Sigillum Salomonis Officinis. Prunella vulgaris. Pulmonaria *Matthioli* ſeu Hepatica. Quinquefolium ſeu Pentaphyllon. Sambucus pumila ſeu Ebulus ſtaturam hominis non rarò excedens. Scordium ſeu Scordon, Triſſago paluſtris,

Cha-

Chamædrys paluſtris. Scrofularia, Millemorbia *Sirenii.* Sempervivum minus ſeu Sedum minus. Serpillum ſylveſtre. Tormentilla ſeu Conſolida rubra, Heptaphyllum, Chryſogonum, Septifolium. Trifolium fibrinum ſeu aquaticum, cujus flores conſtant fibris albis, foliæ innatant aquis, flos tantùm emergit. Vires ejus fusè deſcriptæ *à Bartholino in Actis Mediceis Hafnienſibus, Vol.* 3. Valeriana ſylveſtris major & minor, ſeu Phu parvum, Nardus agreſtis, Herba genicularis, Marinella. Verbaſcum, Candelaria Officinis. Verbena ſeu Hierobotane, Periſtereon. Veronica recta mas, & Veronica minor fæmina. Ulmaria ſeu Barba caprina, Tragopogon. A Cremeneco Urbe non procul proveniunt ſpontè herbæ ſequentes. Aſphodelus ſeu Haſtula regia. Adiantum nigrum ſeu Capilli Veneris, Capilli terræ, Herba crinita, Collitrichon, Polytrichon nigrum, verum, Trichomanes, Pol. *Włoski Panny Maryi.* Adiantum album ſeu Ruta muraria *Sirenii*, Ruta parietum, Empetrum *Fuſchii*, Pol. *Ruta Skalna, murowa.* Bugloſſum agreſte ſeu Lingva Bovis. Polypodium ſeu Filicula provenit in vetuſtis arborum caudicibus, & in petris muſcoſis, Pol. *Paprotka*, quercina optima eſt. Petaſites ſeu Tuſſilago, Ungula equina, Farfara Offic. Scolopendrium vulgare ſeu majus, Lingva Cervina, in ſylvis, & locis umbroſis. Sunt, qui affirmant & Scolopendrium verum ſeu minus, Aſplenum *Matthioli*, Cetcrach Officinarum, German. Klein Miltz-Kraut, in locis petroſis, aſperis Territorii Cremenecenſis, naſci. Smilax aſpera *Plinii*, Hedera aculeata *Sirenii*, Hedera ſpinoſa *Urſini*, Pol. *Powoy kolący*, eundem effectum habens cum Salſaparilla. Radix Salſa-parillæ, ait *Schommerhoff in Lexico Pharmaceutico Chimico*, nomen accepit, à ſimilitudine, quam à Smilace aſpera habet, ex Americæ Provincia Quitto transportatur, guſtu ſubamara, odore prorſus nullo, eligenda, quæ coloris aliquantulùm nigri, non carioſa, gravis, flexilis, non frangibilis. Smilax aſpera Peruviana ſeu Salſa-parilla, cum cortice fusco, tenſa, non carioſa, flexilis, nec frangibilis. Vires ejus deſcriptæ *à Schrödero in Pharmacop. Medico-Chimica,*

adfertur ex Hiſpania Nova candidior. Planta multis radicibus nitens, duos cubitos aut ampliùs, longis, quæ interdum tam altè demittuntur, ut qui integras eruere vellet, ei profunda ſeſſione opus ſit. Præfata Smilax prope *Antonowce* vicum dicitur naſci, ſimilisque eſſe Salſa-parillæ. Circa Luceorienſem Civitatem colligitur Ariſtolochia rotunda vulgaris ſeu Fumaria altera, Fumaria bulboſa, Radix cava major *Dodonæi*, Pol. *Kokornak czczy*. Carlina ſeu Carolina, Cardopatium. Carophyllata ſeu Benedicta, Sanamunda, Oculus Leporis. Glycyrrhiſa propè Ołykam. Imperatoria ſeu Oſtrutium Offic. Meum Offic. ſeu Anethum ſylveſtre. Nardus ſylveſtris ſeu Aſarum. Solanum veſicarium, Helicacabum, ſeu Alkekengi baccæ. In Iſerniſenſi ſylva vicina Suraſio, & in aliis ſaltibus Volhiniæ, naſcitur gramen, Ruſſis *Skoroda*, hoc æſtate areſcit, in autumno vireſcit, per totam hyemem viride nutrit pecorum greges, ſi nivibus non tegatur deciduis.

XVI. In RUSSIA RUBRA ſeu Roxolania, circa Leopolim provenit herba, Iridis foliis latioribus, cubitum non excedentibus, mucronatis, radice ſimplici, unica, rufa, longa, nodoſa, inſtar Acori veri, unde Judæi, & alii commiſcens cum Acori radicibus: mihi Xyris eſſe videtur. *Author Catalogi quarundam Stirpium, Latinè & Polonicè conſcripti.* Viciniæ Urbis Stanislavoviæ, inter vegetabilia plurima alia, proferunt plantas à Botanicis denominatas, Capilli Veneris ſeu Capilli terræ. Heparica aurea ſeu nobilis. Herba Trinitatis, Trifolium aureum, Trifolium hepaticum. Ceterach Officinarum ſeu Scolopendrium verum, in rupibus Terræ Halicienſis. Idem provenit in Monte *Babia gora* Palatinatûs Cracovienſis. Polypodium quercinum. Scolopendrium majus ſeu ſylveſtre, Aſplenium majus, Lingva Cervina. Regio Submontana, Pol. *Podgorze*, largiſſimè edit Carum, Officinis Carvi ſemen, ſeu Cymini pratenſis, Polon. *Kmin polny*. Corona Imperialis ſeu Archithyrſus, Lilii ſpecies, cum caule erecto, procero, veſtito floribus mollibus, in pratis, & ſylvis pagi *Nizbork* Diſtrictûs, Trem-

Tremboulensis, quòd excrescat, plures mihi fecerè notum. Dubium oritur tamen an herba præfata (quæ ex Oriente allata, nostro orbi non pridem innotuit) non venit aliunde. Rosa pumila descripta suprà sub numero XIII. ibidem efflorescit. Solanum vesicarium, seu Alkekengi Officinis. Herba dicta vernaculè *Gniewosz*, Latinè in Provinciis nostris, Noli me tangere, cernitur propè Oppidum *Dukla*, illius apex leviſsimè si tangatur, subitò in partes aliquot dissilit. Muscus terrestris clavatus *C. B.* Licopodium *Dodonæi*, Chamæpeuce *Cordi*, hujus plantæ clavi, ait *Gottschedius in Flora Prussica*, pulverem dant elegantissimum, *Plaun* à Russis dictum, quem distrahunt vesicæ bubulæ inclusum. Clavos Augusto mense maturos copiosè colligunt, in furno siccatos tundunt, ac pulvisculum excutiunt, quo Russi ignes suos celebrant. In sylvis protensis ultra pagum *Łyczkowce*, Valachia fæmina dicitur legisse Zingiberem, alius in Majori Polonia idem feciſse, sed ego conformiter ad dicta *in Prima Parte*, existimo non esse Zinziberem verum, sed radicem aliquam illi assimilem. Calidissimæ plantæ succo calido vivunt, & plurimùm excocto à sole, qualis in regionibus frigidioribus nostris non reperitur. Arbitrium hoc adversatur *Balbino in Historia Naturali Bohemiæ, cap.* 50. sic affirmanti: Montes Bastini ferunt Zingiberem, & sylvæ in Teslin, herbarias vetulas vidimus plenis corbibus recentem, & primi vigoris, Boraunam, & Pragam adferre, villatim ac pagatim divendere inter rusticos. Planta aromatica Zinziber verus, Pol. *Imbier*, duos, aut tres palmos rectos longus, radicibus tuberosis, transversis, caulibus arundini similibus, foliis longis & angustis, Iridi, vel Gladiolo paribus. Icon illius in numerosis Botanicorum voluminibus, præsertim *in Stirpium Adversariis à de Lobel editis*, videri potest.

XVII. In LITVANIA, circa pagum *Duboia* Palatinatûs Brestensis, crescit Angelica, Elleborum album, & nigrum, Ros Solis seu Rorella, quæ tempore æstatis, dum Sol est ferventissimus, semper guttulam toti fermè flori æqualem exhibet. Herba enim hæc est naturæ calidissimæ, & propterea

extę-

exteriore frigore ambientem auram à Sole calefactam condenſat, & ſic aquam quaſi exprimit. Admirandæ laudes Rorellæ ejusdem, *in Joanne Iſaacio Hollando* leguntur. Securidica montana *Urſino*, aliis Lunaria minor, Sphæra caballina, Solea equina Offic. à ſeminis figura ſic dicta, Germ. Hufeiſen-Kraut, Pol. *Koniakowka*, *Podkowka*, equos qui hanc herbulam calcant ſoleis ferreis ſuis, privari aliqui tradunt, ait *Mentzelius in Lexico*, alii negant. Allium Urſinum *Bauhini*, *Fuſchii*, Allium Urſinum latifolium *Lobelii in Iconibus Plantarum*, hoc totum locò theriacæ ingerunt ori Litvani ruſtici, cum modico pane & ſale. *Flora Pruſſica.* Rhaponticum naſcitur in Moſchovia circa Bosphorum Cimmerium, ſed & circa flumina Litvaniæ reperitur, tunefactum tingit flavo inſtar Croci, ſanat contuſos aſthmaticos ſangvinem ſpuentes, tormina ventris lenit, jecur ſpecialiter reparat, æquivalet Rheubarbaro, ſed doſis duplicanda. Quæritur cur in aliquibus locis ſolet pluere, quando fænum defalcatur? reſpondet *Tylkowski in Phyſica Curioſa Parte* 9. quia ſunt in Regno noſtro quædam herbæ, quæ nonniſi humiditati innaſcuntur, ille verò locus aliam ob cauſam, veluti cortice eſt contectus, unde vaporem humor non poteſt emittere, ex quo deinde pluvia concreſceret, herbæ illæ valde poroſas habent radices, & per illas humor vaporat, ſed ab herbæ extremitatibus clauſis retinetur, ne in àérem procurrat, cum ergo ſecantur, aperitur via vapori, qui in àére collectus aliquam efficit pluviam. In CURLANDIA, herbas Pharmacopæorum, Officinis multas, & uſu ſaluberrimas terra largitur. *Roſinus Lentilius Oribaſius in Memorabilibus Ducatus ejusdem.* In MINORI POLONIA, ſuprà Montem *Babia gora* provenit Bugloſſum ſeu Lingva bubula, Elleborum nigrum, Glycyrrhiza craſſa, Plantago major latiſſima, Rhaponticum commune. In SCEPUSIO vicino Minori Poloniæ, adeſt Elleborum, Gentiana, Lunaria, Pimpinella, Polypodium, Tormentilla. Sunt, qui contendunt, etiam Zingiberem colligi à locorum peritis, in Carpatiis jugis, *Belii in Prodromo Hungariæ*, teſtimoniô.

XVIII.

XVIII. In MONTIBUS CARPATIIS colligitur Angelica, Carlina, Imperatoria, Geranium verum, Rhodia, Polymontanum, Gentiana alba & rubra, Gentianella, Squammaria, Origanum, Lingva Cervina, Trichomanes, Serpillum, Filix, Filicula, Polypodium, Meum, Doronicum, Ruta muraria, Acetosa latifolia, Saxifragia, Napellus flore cæruleo, Helleborus albus, Colchicum, Morsus Diaboli, Lilium convallium, Satyrium flore albo, Orchitis species variæ, Palmata, Rhaponticum, Tormentilla, Bistorta, Pimpinella, Chabaire Hungarorum, Ebulus, Rubus, Bellis Alpina, Pulsatilla, Viola Martia, flore albo & luteo, Chrysosplenium, Paris, Christophoriana, Scorzenera flore luteo, Calceolus Mariæ, Ribes sylvestris, Aucuparia, Ulmaria, Sedum vermiculare, Vincetoxicum, Myrtillus vulgaris, & Buxi folio, Asarum, Belladonna, Natragulya. *Ex Collectaneis Naturæ & Medicinæ aliquorum Academicorum Curiosorum Vratislaviensium, an.* 1725. *mense Aprili.* In Monte vetulæ, Cracoviam versùs provenit Gentiana, Pol. *Goryczka.* Iris, Pol. *Kosaciec*, cum radice crassissima æquante, vel superante partem manus à carpo adjuncturam cubiti, quæ radix, *Fiołkowy, Korzen* vernaculè denominatur. GRAMINUM SPECIES VARIÆ, eisque affinium edi posset elenchus exemplo *Scheuchzeri*, à quo publicæ luci edita est *Agrostographia Helvetia.*

XIX. PLANTÆ SATIVÆ seu quæ in hortis culturâ proveniunt. Amaracus seu Majorana. Amarantus purpureus major seu Flos amoris, Polon. *Szarlat.* Basilicum seu Ocymum. Carduus benedictus. Caryophillus. Coriandrum. Cuminum. Eupatorium. Faba alba, & rubra. Feniculum. Heliotropium à recentioribus dictum, in quo, ait insignis botanicus *Rajus in Historia Plantarum*, nulla ad Solem conversio observatur, ut nec in alia quavis specie plantæ nobis cognita. Hyacinthus. Lavendula. Lens. Lilium album, & rubens. Malva. Menta. Milium semine luteo, albo & nigro. Narcissus. Nigella. Papaver album, nigrum & patulum. Pæonia. Panicum seu Artumilium, *Junie* Mel frugum.

Parthenium. Pomum amoris ſive Pomum aureum. Rosmarinus ſeu Rosmarinum coronarium, Libanotis coronaria. Rubia tinctorum, Germ. Rothe Farbe, ejus radix rubrum colorem prodit, adfertur ex Germania, & Sileſia. Ruta, Roſa Jerichuntica *C. B.* fragrantiam noctu edens, de die odorem amittens. Salvia. Scoparia vel Linaria Officinis. Sinapi album & nigrum. Triticum Indicum, vulgò Turcicum. Zedoaria. Thee Romanum, *C. Bauhino* Ambroſioides, *Goritzio* Botrys Mexicana, de hac legatur *Hernandez in Hiſt. Nat. Mexicana, Rajus in Hiſt. Plantarum.* Thee nomen gerit, quòd folia ejus, Thee Chinitici ſimilitudinem habentia, cum aqua fervente infundantur, & infuſum hoc ad ſorbillandum exhibeatur. Dicitur Romanum, quia ſemen Româ in Germaniam translatum fuit. Prodeſt hoc Thee, in ſcorbuto, arthritide, calculo, & aliis morbis tartareis, in catharris, in ſcabie, &c. id referentibus *Ephemerid. Academiæ Leopoldinæ & Carolinæ Naturæ Curioſ. in Centuria VII.* Fert floſculos albos, & ſemen copioſum, ferituri in Cracovienſibus hortis, & alibi, à Germ. Thee-Kraut appellatur. Thee Sinenſium ſive Tſia Japonenſium eſt frutex, cum pluribus & denſis ramis, foliis obſcurè viridibus, ſerratis per circuitum, *à Wilhelmo Rhyne Magni Imperatoris Medico*, optimè deſcriptus. Ex China potiſſimùm ad nos venit, nam Japonenſis ab ipſis Japonibus tanti æſtimatur, ut eis rarò venalis exſtet. Eligenda ſunt folia ſiccata & convoluta, non admodum nigra, ſed obſcurè virentia, ac inſtar recentis fæni, odorata. Thea Japonenſis *Kæmphero in Amœnitatibus Exoticis*, eſt frutex folio Ceraſi, flore Roſæ ſylveſtris, fructu unicocco, bicocco, & ut plurimùm tricocco. Pſeudothea ſeu Thea medicamentoſa vocatur infuſum aquæ calidæ Europæorum, cum foliis Veronicæ, Betonicæ, Teucrii veri, Salviæ, Chamæpytidis, & multis aliis herbis, foliis, radicibus, ſeminibus, ſub Europæorum climate natis, non minoris efficaciæ & virtutis, immò ſæpiſſimè exoticæ Chinenſium Theæ anteferendum. Ita *Bruckmann in Catalogo Omnium Potûs Generum*, *Acta Berolinenſia Medica Tomo I.* Ad-

duntur

duntur Theæ medicamentosæ & Radices Glycyrrhizæ, semen Anisi simplicis & stellati, quod *Badian* multi vocant.

XX. PLANTÆ CULINARIÆ seu Olera abundanter mensis inferuntur. Apium latifolium seu Apium sativum *Rivini*, Apium dulce, Germ. Zeler, Polon. *Selery*. Beta rubra, German. Rothe Rüben, Pol. *Cwikła czerwona*, alia est coloris albi. Betæ folia tenuiora, Pol. *Botwina*. Brassica alba capitata seu Caulis capitatus, German. in Prussia, Weisser Kombst. Brassica capitata rubra, Rother Kombst ibidem. Brassica viridis latifolia, seu Brassica capite oblongo non penitus clauso, seu Brassica Sabauda, Germ. Savoyer-Kombst. Brassica Cypria seu Cauliflora *Dodonæi*, Caulifior olitoribus, Germ. Blumen-Kohl, Cariffiol, Pol. *Kalefior*, *Jarmuż kwiatecżny*. Brassica crispa seu fimbriata, Germ. Krauser Kohl, Pol. *Jarmusz*, coloris viridis, purpureo-violacei, & albicantis. Brassica raposa seu Rapocaulis, Caulcrapum *Matthioli*, id est Brassica caule Rapum gerens, Germ. Keltrüben, Pol. *Kaulorapy*, ex Græcia, ad Europæ hortos translata. Cardui aculeati seu Cinaræ spinosæ, Scolymi aculeati, Germ. Artischocken, Pol. *Karczochy*, in hortis Cracovienſibus suburbanis tam numerosi, ut anno fertili, Germanicis grossis tribus veneat sexegena, id est Carduus unus Polonico solido comparetur. Cepis in Masovia propè Vissogrodum integri campi conserebantur, proventu magno. Occupant Cepæ & agros Russiæ Rubræ circa Jaroslaviam; Polesiæ Litvanæ hortos ad *Turow*, *Pererow*, *Kolno*, *Siemuradce*, &c. in Prussia non procul ab Urbe Graudento, in Gedanensi pago *Ceblowo*, extraordinariæ sunt magnitudinis. Cnicus seu Cnecus flore croceo, Cartamus sativus *Ruellii*, Germ. Wilder Saffran, Pol. *Krokos*, colitur in hortis. Citrullus, Anguria *Matthioli*, Melo Indus aliorum, Germ. Wasser-Melone, Pol. *Harbuz*, non quia crescit in aquis, sed quia aquosus, seu intùs aquæ aliquid habet, species Cucumeris est, figuræ rotundæ, vel oblongæ. Semina nigra Citruli, Tetranguræ *Officin.* Germ. Angurien, Citrullen, advehuntur ex Italia, seruntur in hortis & viridariis. Idem Citrullus ab extrà viridis est

& ſulcatus, caro rubeſcens, vel alba, cum ſaccaro ſumitur. Creſcit in Podoliæ, Ruſſiæ Rubræ, aliisque pluribus hortis. Cucumeres virides, tenues, & oblongi, allati ex Valachia, proveniunt in Ruſſia, & alibi. Cucumeres candidi, Germ. Weiſſe Gurcken, Pol. *Ogorki białe*, magis ſapidi, quàm virentes vulgares. Cucurbitæ longæ ſeu perticales, camerariæ, folio molli, & albo *J. Bauhini*, Germ. Kürbſen, Kürbiſen, Pol. *Dynie*, *Banie*, *Korbale*, in inſignem adoleſcunt magnitudinem, præcipuè circa Gedanum, in ſolo fæcundo & humido, nam plures ex illis, Stoffos viginti, hoc eſt ollas decem liquoris capere poſſent, ſi excavarentur. Cucurbitæ Hollandicæ, albeſcentes, rotundæ, dulces. Aliæ ſunt Cucurbitæ lagenariæ, German. Flaſchen-Kürbiſen, Polon. *Tykwy*, collo anguſto, ventre craſſo, lagenas & phialas repræſentantes. Cyclamini rotundi, ſeu Panis porcini, Rapi porcini, Mali terreſtris radix, Germ. Erd-Aepfel, Schwein-Brod, Italis *Bulve*, Pol. *Bulwa*, eſt frequens. Alia ſunt Tubera à Gallis *Tartufes*, ab Italis *Tartufi* dicta, infrà deſcribenda. Lactucæ capitatæ, Lactucæ criſpæ, Lactucæ latæ, ſeruntur in hortis. Paſtinaca ſeu Corruda, Polon. *Paſternak*, inventa eſt fere tricubitalis in Pruſſia, oblata Præſidi Gedanenſi à colono. Piſum majus, Pruſſis Schabel-Bone, à ſiliqua incurva ſeu falcata appellatum, Pol. *Groch tyczny*, *Wielogroch*, unum album, ſecundum ex purpureo variegatum, tertium candidum, maculis fuſcis diſtinctum. Piſum cum ſiliquis magnis, duriore tunica ſeu membrana deſtitutis, quæ integræ mandi poſſunt, Germ. Zucker-Erbſen, Polon. *Groch cukrowy*, propter ſaporem ſingularem. Piſum minus arvenſe rotundum, Germ. Fri-Erbſen, Pol. *Groch ſwoyski*, eſt album, fuſcum, viride, & nigricans. Porrum, Germ. Lauch, Pol. *Pory*, *Łuczek*, odore ferè ſimile Allio, & Cepæ, radix ejus bulboſa, tunicis albis compactilis, fibrata, ſapore mitiore, quàm Cepæ. Rapa rotunda punicca, German. Runde Rüben, Pol. *Rzepa okrągła czerwona*. Rapa rotunda alba, Germ. Weiſſe Rüben, Pol. *Rzepa okrągła biała*. Rapa oblonga, ſeu Napus, Germ. Lange Rüben, Polon. *Rzepa podługowata*. In villa Novitiatus Vilnenſis Patrum

trum Societatis Jesu erant admirandæ magnitudinis Rapæ, nam septem numerô, Collegialibus Personis nonaginta abundè suffecerant. Visa Rapa lapidi molari consimilis amplitudine, sub umbra seri debet, atque in spatio seminibus concesso latiori. Raphanus major, Germ. Merrettig, Polon. *Chrzan*, Raphanus minor, Germ. Rettig, Pol. *Rzodkiew*, hic est vel totus albus, vel nigricantem tunicam habens, carnem candidam succo plenam non fistulosam. Siser, Pol. *Marchew*, Gelmeren, luteum, rubeum, & albidum. Spinachia seu Lapathum hortense, à Germ. Spinat, à Pol. *Szpinak*, vocatur.

XXI. COCCUS POLONICUS seu Chermes, nobis *Czerwiec*, sunt radicibus herbæ adnata granula succum coloris sangvinei continentia. Hæc *Ettmullerus in Schrödero Dilucidato*, Polypono attribuit, Pimpinellæ majori *Schröderus in Pharmacopœia*, vocatque grana rubea, quibus utuntur tinctores ad colorem carmesinum. Polygonum cocciferum Polonicum, juxta *Rajum Hist. Plantarum Tomo I.* foliis tenuissimis, mucronatis, caulicosis, nodosis, albibis, prodit, flosculis in summitate candidis, inter squamas viresçentes. Usus Cocci Polonici in tingendis sericis purpurei coloris, pro colorandis lanis, pro componendis confectionibus, tincturis, laccis pictoriis & cosmeticis exstat *in Ephemerid. Germanicis An. 3. Observat. 104.* Edita in lucem publicam Gedani, *à Peritissimo J. Breynio Medic. Doct. Historia Naturalis Cocci Radicum Tinctorii, quod Polonicum vulgò audit*, ex hac deprompta sequentia: grana ex Polygono coccifero *C. Bauhini* collecta, mensibus Junio & Julio, immisi vitris, ita tamen ut liber aëri pateret ingressus, & radiis expositi solaribus. Circa Solstitium æstivum, & diebus sequentibus, usque ad diem 24. Julii circiter, successivè ex Cocco quovis excludebatur vermis coloris obsoletè purpurei, pilis raris, ex fusco griseis præditus, qui circa meridiem, radiis solaribus expositus movebatur, cælo nebuloso & frigido existente, contractus & immotus jacebat. Post dies quatuordecim, & ultra, idem vermis nonnihil contractus dedit se quieti, brevi inquietus, & se mirè contorquens, ac instar

purpuræ rubens, candidissima lanugine, instar gossypii, sed longè subtiliore tectus apparuit, in hoc statu per dies quinque, vel octo, vel plures remanet, quibus elapsis ova emittit numero quinquaginta, aut centum, immò aliquando plura, partim chartæ incumbentia, partim lanugini intricata, ope microscopii visa, quæ nudo oculo nonnisi puncta apparent oblonga & rubicunda. Ex his ovis, solaribus radiis expositis, circa 24. Augusti, vermiculi excluduntur, ut puncta pariter oblonga & rubicunda apparentes, se se moventes, elapsis quatuor circiter septimanis, nullum planè motum exhibentes, quod nutrimenti defectui adscribendum reor, &c. Censurâ dignos videri Polonos, & omnes, qui ejusmodi thesaurum, quem benigna nobis natura largitur, negligimus, atque ex dissitis terris, non sine magno vitæ discrimine, multisque laboribus, & impensis, res tales petimus, quales quotidiè pedibus calcamus, &c. Quantus ex diligenti cultura, & abundanti collectione non redundaret fructus, terrarum Cocci feracium possessoribus, reditusque eorum augerentur annui. Neque est quod aliquis pejorem Cocci nostri conditionem, præ eo ex Ilice, & altero Americano, nobis objiciat, neque quantitatem ejus modicam adeò, & vix consideratione dignam, nam si convenienti tempore colligatur, & ritè tractetur, neque quod ad virtutes medicas, ut *à Bernitz* expertus docet, neque quod ad illas, quas in Arte tinctoria præbet, ut plures testantur, ullo modo cedere crediderim, nec copia modica est, in campis Ukrainæ, & Podoliæ. Labor, & industria hîc requiruntur. Coccus Americanus sive Cochinilla, magnam habens affinitatem, cum hoc nostro, ab Hispanis in Mexicano Regno, magna solicitudine colitur, & colligitur. Idem author corrigenda quædam circa generationem Insecti ejusdem exposuit, *Actisque Eruditorum Lipsiæ publicatis*, anno 1733. in Aprili inseruit, hisce verbis: exeunte Junio mense prodeunt vermes, hi circa initium Julii subsequentis, quieti, nunc lanugine candida, sed leviſſimè tecti, nunc sine omni lanugine, subtilissimis exuviis depositis abeunt in Nym-

phas

phas purpureas, motus, ut videtur, expertes. Nymphæ hæ capitis antennis, thoracibus, alis, & cruribus muniti, ventrisque circulis multis distincti, oculo imprimis lentè Opticâ armato, vestigia haud obscura ostendunt, & immotæ ad medium circiter Julii permanent, ubi depositis subtilibus exuviis, perfectæ evadunt muscæ, &c. In Palatinatu Kiovienſi, qui pars est Ukrainæ, nascuntur copiosè præfata granula, circa Oppida, *Cudnow*, *Piatka*, *Stobodyszcze*, & alia plurima Urbi Kioviensi propinquiora, adhærentque radicibus plantarum quatuor, à Russis, *Potonicznik*, *Piatyperstica*, *Smotka*, *Kukulka*, nominatarum. Colliguntur grana à villanis circa Festum S. Joannis Baptistæ, siccantur in patellis argillaceis, super prunas, tinguntur illis vestimenta linea atque lanea. Sub Sigismundo III. Rege, pro Cocco isto vectigal persolvebatur à Mercatoribus, *testante Constitutione Regni, an.* 1601. *formata* in Comitiis Generalibus.

XXII. FASCICULUS PLANTARUM RARIORUM, & EXOTICARUM, in Horto *Jacobi Klein Secretarii Gedanenſis*, excellentis indagatoris naturæ, acuti interpretis, collectus, impressus anno 1724. transfertur ad hanc paginam, Prussicis curiositatibus annumeratur. Hortum præfatum *Helwingius in Dedicatione Supplementi Floræ Prussicæ*, ita dilaudat: miratur patria tellus novas frondes, & non suos flores, miratur Europa tot terrarum plantis Prussiam præbere succum, successu feliciſſimo. Exples cupiditatem curiosam Botanophilorum in tuo viridario exquisitissimo, &c. Abelmosch. *H. L. Fl. Mai.* Absynthium arborescens. *M. H.* 3. 7. Abras *Alpini Ægypt.* Abutilon *Avicennæ H. Eust.* Acacia vera. *J. B.* Acacia Ægyptiaca floribus albis. *Alp. Ægypt.* Acacia Americana spinis longis, albis, crassioribus. *Boerh. I. alt.* Acacia Tamarindi foliis. Acatia glorioſa, folio Lentisci spinoso, flore spicato, luteo, siliqua magna muricata. *Plukn. Phyt.* Lobus echinatus fructu cæsio, foliis longioribus. *Par. Bat. Prodromus.* Acacia glorioſa, Lobus echinatus, fructu cæsio, foliis brevioribus. Acacia glorioſa, Lobus echinatus, fructu flavo, foliis rotundioribus:

oribus. Acaciæ ſimilis Mexicana, ſpinis cornu ſimilibus. *H. A.* 109. *Muntinus fig.* 10. Acacia latifolia ſpinis ſpinoſis. *Commel.* Acacia major *Muntingii pag.* 51. *fig.* 8. Acacia foliis cordiformibus, an Species Mimoſæ. Acer Virginianum odoratum. *H. L. App.* Liquidambar *C. B. P.* Afra arbor Acaciæ ſimilis, foliis Myrti aculeatis, ſplendentibus, pinnatis, absque impari extremo, flore coccineo, tetrapoloide, *ut videtur* ſiliqua lata, ſemine rotundo magno. *Boerh. I. alt.* Acetoſa arboreſcens, ſubrotundo folio, ex Inſulis Fortunatis. *Pluk. Phyt.* 252. 3. Acriviola vid. *Naſturtium.* Achatoda Zeylanenſium. *H. L. App.* 642. Achatoda Indica folio ſaligno, flore albo. *Boerh. I. alt.* Ageratum foliis ſerratis. *C. B. P.* Agnus ſeu Vitex flore albido. *H. R. Par.* Alcea utriusque Indiæ, Carpini folio, ſemine duplici ariſtâ donato. *Flor.* 2. Alcea maxima Malvæ roſeæ folio, fructu hexagono. Ketmia Americana folio Papaijæ, flore magno flaveſcente, fundo purpureo, fructu erecto, pyramidali, hepagono, ſemine rotundulo, ſapore fatuo. *Boerh. I. alt.* Aloe folio in oblongum aculeum exeunte. *C. B. P.* Aloe Americana folio glauco, ſpinoſo, anguſtiore, quàm quartæ. *Boerh. I. alt.* Aloe Americana Draconis folio ſerrato. *Commel. Præl.* Aloe Africana folio triangulo, longiſſimo & anguſtiſſimo, floribus luteis fætidis. *H. L. & A. H.* vulgò Iris uvaria, flore luteo. *Breyn. Prodr.* 2. Aloe Africana humilis ſpinis inermibus, & verrucis obſita. *Comm. Rar.* 46. Aloe Africana cauleſcens perfoliata glauca & non ſpinoſa. *Comm. Præl.* 74. Aloe Africana flore rubro, maculis albicantibus, ab utraque parte notato. *H. A.* Aloe Africana cauleſcens, foliis glaucis brevioribus, caulem amplectentibus, foliorum parte interna & externa nonnihil ſpinoſa. *Comm. Præl.* 72. Aloe Africana caulescens, foliis glaucis breviſſimis, foliorum ſummitate interna & externa nonnihil ſpinoſa. *Comm. Præl.* 73. Aloe Africana flore rubro, fol. triang. & verrucis albicantibus ab utraque parte notatis. *H. A.* 2. 17. Aloe Africana humilis, folio ex albo & viridi variegato. *Commel Præl.* 79. *& rar.* 45. Aloe Africana margaritifera minor. *H. A.*

Aloe

Aloe Africana margaritifera minor, foliis multò longioribus. *Boerh. I. alt.* Aloe Africana erecta rotunda, folio parvo, & in acumen rigidiſſimum exeunte. *Commel. Præl.* 83. Aloe Africana caulescens, folio craſſo, obſcurè viridi, ſpinis ad latera, & in dorſo armata. *Boerh. I. alt.* Aloe Africana humilis Arachnoidea. *Commel. Præl.* 78. Aloe Africana folio breviſſimo, craſſiſſimo, flore ſubviridi. *H. A.* Aloe Africana caulescens, foliis magnis glaucis caulem amplectentibus, & in mucronem obtuſiorem deſinentibus. *Commel. Præl.* 68. Aloe Africana arborescens, montana, non ſpinoſa, folio longiſſimo plicabili, flore rubro. *H. A.* 2. 5. Aloe Zeylanica pumila, foliis variegatis. *Par. Bat. Prodr.* Aloe Guineenſis radice geniculata, foliis ex viridi & atro undulatim variegatis. *Commel. Præl.* 84. Aloe vulgaris. *C. B. P.* Amaranthus Indicus ſpinoſus, Spica herbacea. *H. L.* Kathutampaia Zeylanenſibus. Amaranthus tricolor. *H. Eyſt.* Amaranthi criſtati, ſpicati, & ſerici elegantiſſimæ differentiæ. Amarantho affinis altera ſpecies Indiæ Orientalis, floribus glomeratis, Ocymoidis folio. *H. A.* flore purpureo. *Breyn. Cent.* Amaronthoides floribus albis glomeratis, Ocymoidis folio. Amaranthus baccifer. *H. L.* 1672. Amaranthus Indicus argenteus, folio Salicis. Amomum *Plinii*, vulgò Pſeudocapſicum. *Dod. p.* 718. Ananas aculeatus fructu ovato, carne albida. *T. & Plum.* fructus tulit an. 1722, ſequenti, & 1725. Ananas ſylveſtris Braſiliana, Kerbita vulgò. *Par. Bat. Prodr.* Ananas non aculeatus, Pitta dictus. *T. & Plum.* Anemonoſpermos Africana, folio Cardui Benedicti, florum radiis intus albicantibus. *H. A.* 2. 43. Anemonoſpermos Afra, folio Jacobeæ, tenuiter laciniato flore aurantio pulcherrimo. *Boerh. I. alt.* Angelica lucida Canadenſis. *M. H.* Anil ſive Indigo Americana, ſiliquis, in faculæ modum, contortis. *M.* 1718. *p.* 92. vide Ernithopodium. Apocynum Curaſſavicum fibroſa radice, floribus aurantiis, Chamæ, floribus latioribus. *Par. Bat. Prodr.* Apocynum Africanum erectum Salicis folio lato, item anguſto, glabro, fructu villoſo. *Par. Bat. Prodr.*

Apocynum Americanum, Canadenſis Cornutiani ſimili folio glabriari, flore Coccineo umbellato. *Boerh. I. alt.* Apocynum, *vide* Periploea. Aquifolium foliis ex luteo variegatis. *H. R. Par.* Aquifolium foliis ex albo variegatis. *H. L.* Arbor vitæ ſive Thuya. *T.* Arbor ex Carolina, de ſemine ſub nomine Toxicodendron ſpurium. *Plukenetii tab.* 145. Arbor Virginiana, Citri folo, Amaranthus arborescens dicta. *Catal. Have.* Arbutus arbor, folio ſerrato. *C. B. P.* Arum, *vide* Colocaſia. Asclepias Africana aizoides, *T.* Asclepias Africana aizoides, folio compreſſo digitato & criſtato. *Boerh. I. alt.* Asclepias Africana aizoides, flore pulchrè fimbriato. *Commel. Rar.* 19. Asparagus aculeatus, ſpinis horridus. *C. B. P.* Asphodelus luteus, & flore & radice. *C. B. P.* Aſteriſcus maritimus perennis patulus. *T.* 498. Aſtragalus Canadenſis flore viridi flavescente. *H. R. Par.* Aſtragalus folio tenui, apice exciſo flosculis luteis, ſiliquâ incurvâ. *Boerh. I. alt.* Aſtragalus Alpinus procerior Alopecuroides. *T.* 416. Balſamina fœmina. Variæ ſpecies. Balſamina Indica, flore ex albo, & ſvavè purpurascente colore elegantiſſimè variegato. *Breyn. Prodr.* 2. 22. Balſamina flore pleno carneo. Barba Jovis pulchrè lucens. *J. B.* Benzoia. *Boerh. I. alt.* Berberis latiſſimo folio Canadenſis. *H. R. Par.* Bignonia Americana, Fraxini folio, flore amplo phæniceo. *T.* Botrys Ambroſioides Mexicana. *C. B. P. Joanni Adamo Garitio in Obſervat. XV. Cent. VII. Ephemer. Acad. Cæs.* Thee Romanum dicta. Bryonia Zeylanica, foliis profundè laciniatis. *H. L.* Bugloſſum Hiſpanicum, foliô Borraginis. *J. B.* Caffe, *vide* Jasminum. Camphorifera arbor Japonica, foliis laurinis, fructu parvo, globoſo, calice breviſſimo, *Breyn. Prodr.* 2. *& Cent. p.* 11. *H. A.* 1. 185. Canna Indica rubra. *H. Eyſt.* Canna Indica, flore luteo punctato. *T.* Capnoides, *T.* Capparis Fabaginea ſive Peplios Lutetianorum. *J. B.* 2. 66. Capſicum. 13. differentiæ. Capſicum ſiliquis teretibus erectis, minimis, rubris, perenne: an Capſicum minutis ſiliquis. *Dod.* 717. Capſicum, ſiliqua teretiaurea, perenne, Ephemo *Breyn.* Caracalla, *vide* Phaſeolus.

olus. Caryophillus Sinenſis ſupinus, leucolii folio, flore rubro. *Boerh. I. alt.* Caryophillus Sinenſis ſupinus, leucolii folio, flore vario. *T. A. Reg.* 1705. *pag.* 264. *in edit. Par.* Caſſia fiſtula Alexandrina. *C. B. P.* Caſſia Americana, *vide* Senna Occidentalis. Cedrus Virginiana vulgò, Juniperus Virginiana. *H. L. Boerh. Ind. alt.* Ceratonia. *Dod. p.* 787. ſive ſiliqua edulis. *C. B. P.* Cereus erectus altiſſimus Syrinamenſis. *Par. Bat.* ſpinis albis. *Boerh. I. alt.* Cereus erectus Syrinamenſis, *Par. Bat.* ſpinis ſulcis. *Boerh. I. alt.* Cereus ſcandens minor Polyganus articulatus. *Par. Bat.* bis floruit anno 1724. Chryſanthemum ramoſum, flore minimo. *Scher.* Ciſtus Ledon, foliis laurinis. *C. B. P.* Ciſtus mas, folio oblongo incano. *C. B. P.* Ciſtus mas, foliis undulatis & crispis. *T.* 259. Ciſtus mas, folio breviore. *C. B. P.* Ciſtus mas ſecundus, folio longiore. *J. B.* Ciſtus fœmina, foliis Salviæ, flore Ochræ colore. *C. B. P.* Ciſtus Luſitanicus, folio ampliſſimo incano. *T.* Clematitis, flore purpureo. *C. B. P.* Colocaſſia. *J. B.* 2. 790. Colocaſſia ſtrangylorhiza Zeylanica, pediculis & limbis foliorum atro puniceis. *Par. Bat.* 15. Coluthea Æthiopica, flore phœniceo, Barbæ Jovis folio, veſiculis tumeſcentibus. *Breyn. Cent.* Coluthea Africana annua, foliis parvis mucronatis veſiculis compreſſis *H. A.* 2. 87. Coluthea veſicaria. *C. B. P.* Convolvolus cæruleus hederaceus ſeu trifolius. *M. H.* 2. 13. *vide* Quamoclit. Convolvolus Zeylanicus hirſutus, foliis, pedis Tygridis in modum, diviſis. Corallodendron, Triphillon Americanum minus, ſpinis, & ſeminibus nigricantibus. *T.* Corindum, *vide* Piſum. Coronilla Zeylanica argentea tota. *T.* Coronilla ſive Coluthea minima. *Lob. Ic.* Coluthea ſive Polygala, 1. Valentina *Cluſii M. H.* Cotyledon Africana frutescens flore umbellato coccineo. *Comm. Rar.* 24. Cotyledon Afra arborescens major, foliis glaucis oblongioribus, flore luteo. *Boerh. I. alt.* Cotyledon major arboreſcens Afra, foliis orbiculatis, glaucis, limbo purpureo, & maculis viridibus notatis. *Boerh. I. alt.* Cotyledon Afra, folio craſſo, lato, laciniato, floſculo aureo. *Boerh. I. alt.* Cotyledon Afra arbo-

rea, crasso caudice, folio Auriculæ Ursi angustiore. *Boerh. I. alt.* Crista Pavonis. *Breyn. Cent.* Crotalaria Asiatica folio argenteo, villoso, flore luteo, siliquis pendulis in spica. *Boerh. I. alt.* Crotalaria Asiatica, folio singulari, cordiformi, floribus luteis. *H. L. Deser. & Ic.* Cupressus. *Dod.* 856. Cyclamen Aleppicum, flore albo, odorato, basi purpurea. *H. R. P.* Cyclamen Aleppicum, flore carneo, odorato, basi purpurea. *H. R. P.* Cyclamen Aleppicum, flore toto albo. *J. B.* Cupressus Virginiana, foliis Acaciæ deciduis. *H. L. H. A.* 1. 113. Ex semine, sub nomine Cupressus Americana. Cylisus Zeylanicus, folio molli, incano, flore lutescente, fructu rubro. *Boerh.* Datura Turcarum. *H. Eyst.* sive Stramonium, fructu spinoso, rotundo, flore albo simplici. *T.* Datyra sive Stramonia Ægyptiaca fætida, semine pallido, pomo spinoso, rotundo, flore violaceo, duplici triplicive. *Fl.* 2. 118. Doria, quæ Jacobæa Africana frutescens, folio rigido, & hirsuto major. *H.* A. 2. 149. Doria, quæ Jacobæa Orientalis, Limonii folio. *T. C.* Doria Africana arborescens, crassis & succulentis foliis, Atriplicem referentibus. *Boerh. I. alt.* Dorycnium Zeylanicum, folio minutissimo, oblongo, flore ex purpureo rubescente. *Boerh. I. alt.* Echino Melocactos minor lactescens, absque tomento, cylindris strictioribus. *Par. Bat.* 135. Elichryso affinis arbor Africana, flore purpureo violaceo, folio Salviæ, odore Rosmarini. *H. L.* Elichryso affinis Peruviana frutescens. Eryngium montanum cæruleum, capitulis Dipsaci. *C. B. P.* Euphorbium verum antiquorum, Scadida Calli Horti Malabarici. *H. A.* 1. 23. sive Euphorbium Trigonum, spinosum, rotundifolium. *M.* 1720. *p.* 385. Euphorbium Afrum polygonum, spinosum, caule tuberibus ornato. *Boerh. I. alt.* sive Tithymalus aizoides Africanus, validissimis spinis, ex tuberculorum internodiis, provenientibus. *Comm. Pral.* 59. Euphorbium Afrum, caule squamoso, tuberoso, minus. *H. Beaumont.* Euphorbium Cerei effigie, caulibus crassioribus, spinis validioribus armatum. *Breyn Prodr.* 2. sive Euphorbium Polygonum spinosum, Cerei effigie. *M.* 1720. *p.* 385.

385. Euphorbium, quod Anteuphorbum. *Dod. p.* 378. *Boerh. I. alt.* Ficoides Africana folio Plantaginis undulato, micis argenteis asperso. *T. ac Reg.* Ficoides Africana, folio variegato, aspero, ad apicem stellâ spinosâ ornato, flore violaceo. *Boerh. Ind.* 124. sive Ficoides Capensis frutescens, folio tumido, extremitate stellata, flore purpureo. *Bradley Dec.* 1. *fig.* 5. Ficoides Capensis humilis, folio tereti, pilis in extremitate stellatis, flore purpureo. *Bradley fig.* 5. Ficoides Afra, foliis latissimis, crassis, lucidis, cruciatim positis. *Boerh. I. alt.* Ficoides Capensis frutescens, foliis teretibus, confertis, glaucis, flore albo. *Bradley fig.* 7. Ficoides Afra, folio triangulari, glauco, perfoliato, brevissimo, apice spinoso. *Boerh. I. alt.* Ficoides Africana major, procumbens, triangulari folio, fructu maximo eduli. Ficus Hottentotorum vulgò. *H. L.* Ficoides Africana erecta, folio triangulari, breviusculo, fimbriato, floribus roseis odoratis. *H. M. Folck.* Ficoides Africana, folio triangulari minori, viridi, flore albo striato. Ficoides frutescens, folio glauco triangulari. Ficoides Africana, folio triangulari majori, glauco & denticulato. Ficoides Afra, folio triangulari, securis formâ, flore aureo stellato. *Boerh. I. alt.* Ficoides Africana, folio triangulari longiori & crassiori, novaculæ formâ. An Ficoides Africana fruteſcens perfoliata, folio triangulari glauco, punctato, cortice lignoso, candido, tenui. *T. ac Reg.* Ficus Benghalensis, folio subrotundo, fructu orbiculato. *H. A.* Ficus Indica seu Opuntia maxima, folio spinoso, longissimo & latissimo. *H. L.* Ficus Indica, folio oblongo, media. *H. R. Par.* Ficus Indica, folio spinoso, fructu majore. *C. B. P.* sive Opuntia vulgò Herbariorum. *J. B.* Ficus Indica sive Opuntia Curassavica minima. *H. Beaumont.* Flos Cardinalis. *Mexx. Lex.* Flos Clitorius, flore albo. Flos Clitorius. *Breyn.* Phaseolus Indicus, Glycyrrhizæ foliis, flore amplo cæruleo, pleno. *H. A.* 1. 47. Flos mirabilis, *vide* Jalapa. Flos Passionis, sive Granadilla pentaphyllos angustifolia, flore albo. *Boerh. I. alt.* Flos Passionis, sive Granadilla pentaphyllos, flore cæruleo magno. *Boerh. I. alt.*

Flos Paſſionis ſive Granadilla triphyllos, flore roſeo. *Boerh. I. alt.* Frutex Æthiopicus, Portulacæ folio, flore ex albido viresſcente. *H. A.* 1. 177. Frutex Americanus pulcher, an Barbæ Jovis ſpecies? *Scher. Boerh.* nondum deſcriptus. Frutex trifolius. *Scher.* nondum floruit. Galanga major. C. B. *P.* Galega Africana, floribus majoribus, & ſiliquis albis. *T.* Geniſta Hiſpanica, floribus candidis. *H. L.* Geniſta Hiſpanica, floribus luteis, amplis, ſeminibus lenti ſimilibus. *H. L.* Geniſta, floribus luteis, plenis, odoratis. Geniſta, Spartium cæruleum Africanum, foliis pinnatis. *Breyn. Prodr.* Geranium Africanum arborescens, Alchimillæ folio hirſuto, elegantiſſimè variegato, floribus rubicundis. *Boerh. I. alt.* Geranium Africanum, noctu olens, radice tuberoſa, foliis anguſtioribus. *Breyn. Cent.* Geranium Africanum, noctu olens, radice tuberoſa, foliis latioribus. *Breyn. Cent.* Geranium Africanum, Alchimillæ hirſuto folio, floribus albidis. *H. L.* Geranium Africanum arborescens, Malvæ folio plano, lucido, flore elegantiſſimo Kermeſino. *Boerh. I. alt.* Geranium, folio Altheæ, Africanum, odore Meliſſæ. *H. L.* Geranium Africanum, folio Alceæ, flore coccineo fulgidiſſimo. *Boerh. I. alt.* Geranium Africanum, folio Malvæ craſſo, molli, odoratiſſimo, flosculo pentapetalo albo. *Boerh. I. alt.* Goſſipium Herbaceum, ſeu Xylon. *I.* B. Guajacana Americana, Pishamin Virginianum. *Park. Th.* 1523. Guajava Alba Dulcis. *H. L.* Guajava Rubra, Acida, fructu rotundiore. *H. L.* Hedyſarum annuum Zeylanicum, Mimoſæ folio, minus. *Boerh.* ſiliquis articulatis, majus. an Hedyſarum Americanum triphyllum canescens, floribus albis ſpicatis. *Boerh. I. alt.* Hedyſarum clypeatum, flore ſvaviter rubente. *H. Eyſt.* Hedyſarum clypeatum, flore albido. *T.* Horminum Syriacum glutinoſum, Æthiopidis folio. *H. Maurocc.* Horminum foliis alatis, flore violaceo. *Scher.* Hyacinthus Africanus, tuberoſus, flore cæruleo, umbellato. *Breyn. Prodr.* 1. Jacobæa maritima. *C. B. P.* Cineraria *Dod.* Jacobæa Africana frutescens, flore amplo, purpureo, elegantiſſimo, Senecionis folio. *Volk. Fl. Norib.*

Ja-

Jalapa, flore flavo. *T.* Mirabilis Peruviana, flore flavo. H. *L.* Jalapa, flore purpureo. *T.* Jalapa, flore ex luteo, albo, & rubro mixto. *T.* Jalapa ex albo & rubro elegantissimè variegato. *Boerh. I. alt.* Jasminum Hispanicum, flore majore externè rubente. J. B. Jasminum Arabicum, Castaneæ folio, flore albo odoratissimo, cujus fructus Caffe in Officinis dicuntur nobis. *Comm. Pl. Us.* 12. Jasminum Arabicum, Lauri folio, cujus semen apud nos Caffe dicitur. *Juss.* 1723. *p.* 292. *in Edit. Par.* Prima vice floruit, an. 1724. fructusque dat uberrimos. Arbor 9. ped. alta. Jasminum Arabicum, foliis Limonii conjugatis, flore albo, pleno, odoratissimo. *Boerh. I. alt.* Jasminum Azoricum trifoliatum, flore albo odoratissimo. *H. A.* 2. 159. Jasminum Indicum, flavum odoratissimum. *Ferr. Fl. cult.* Indigo, *vide* Anil. Indigo sylvestris. *Boerh. I. alt. vide* Indigo *Sher* Iva Moschata sive Chamæpytis Monspelienſium. J. B. Ketmia Brasilienſis, folio Ficûs, fructu pyramidato sulcato. *T.* Ketmia Syrorum, flore purpureo-violaceo. *T.* Ketmia, Populi folio. *Scher.* flore magno, sulphurascente, fundo purpureo. Laburnum arbor trifolia, Anagyridi similis. J. B. Lapathum præstantissimum, Rhabarbarum Officinarum dictum. *M. H.* Lavendula foliis dissectis. C. B. *P.* Laurus Americana. *Sterb. Citric.* Laurus Indica. *Hort. Farn. Ald.* Laurus Americana minor, quercûs foliô. *H. A.* 2. 161. Candle Berrias. *Scher.* Laurus Alexandrina ramosa, fructu summis ramulis innascente. *H. R. P.* Laurus Alexandrina, fructu pediculis insidente. *C. B. P.* Laurus Alexandrina. J. B. Ruscus latifolius, fructu folio insidente. *T.* Lauro Cerasus. *T.* Laurus vulgaris. *C. B. P.* Laurus vulgaris, folio elegantissimè variegato aureo. *Boerh. I. alt.* Laurus vulgaris, folio undulato. H. *R. Par.* Laurus Tinus sive sylvestris prior, J. B. Leonurus Africanus Capitis Bonæ Spei. *Breyn. Cent.* Leucojum maritimum, foliis & siliqua, hirsutis, eaque tribus in summo apicibus donata. H. *M.* Ligustri species ex Nova Anglia. Lilium Zeylanicum superbum. H. *A.* 1. 79. Liquidambar, *vide* Acer, Lotus tetragonobolus Cretica,

tica, flore ſaturatè rubro ſeu holoſerico coccineo. *M.* H. Lotus rubra, ſiliquâ angulosâ. *C.* B. *P.* Lotus anguſtifolia, flore luteo, purpureo, ex Inſula S. Jacobi. H. *A.* Lycoperſicon, vulgò Poma Amoris. Quatuor ſpecies. Majorana rotundifolia, cochleata radice perenni. *Joncq. Hort.* Malva arboreſcens. *H. Eyſt.* Marum Syriacum vel Creticum. *Boerh. I. alt.* Medica. *T.* Species 7. Medicago trifolia, fruteſcens, incana. *T.* Melilotus Cretica, fructu maximo. *R. H.* Melongena ſive Solanum pomiferum, inſtar mali rotundi albi. *C. B. P.* Melongena, fructu oblongo, violaceo. *T.* 151. Meliſſa Moldavica flore cæruleo. *H. Eyſt. & Comm. rar.* 28. Mimoſa Americana, ſiliquis gracilibus, longis, hirſutis. *Boerh.* Mimoſa ſpinoſa prima ſive Braſiliana latifolia, ſiliquis radiatis. *Breyn. Cent.* Mimoſa ſpinoſa ſecunda, ſeu foliolis Acaciæ latioribus, ſiliquis longis hirſutis. *Breyn. Cent.* Mimoſa ſpinoſa tertia, ſeu foliolis Acaciæ anguſtioribus, ſiliquis parvis echinatis. *Breyn. Cent.* Mimoſa maximè ſenſibilis, ſpinoſa, foliis latioribus & longioribus. Mimoſa non ſpinoſa major Zeylanica. *Breyn. Cent.* Mimoſa Zeylanica aquatica ſpinoſa potiùs verrucoſa, flore luteo plumoſo. Rara ſpecies, humida amans. *Boerh. major & minor.* Mimoſa ſpuria de Pernambuco, dicta Mimoſa Italica. *Zanon.* Mitella Americana maxima, tinctoria. *T.* 142. ſive Orleana ſeu Orellana, folliculis lappaceis. *H. L.* Momordica Americana, fructu reticulato ſicco. *Comm. rar.* 22. Momordica, fructu luteo rubescente. *H. Eyſt.* Momordica vulgaris. *T.* Muſa fructu cucumerino longiori. *Plum.* 24. Palma humilis, longis latisque foliis. *C. B. P.* Myrtus communis Italica. *C. B. P.* Myrtus balſamica, foliis Mali granati. *H. L.* Myrtus, folio Buxi. *H. L.* Myrtus minor vulgaris. *C. B. P.* Myrtus anguſtifolia Bætica. *C. B. P.* Myrtus foliis Rosmarini. *H. L.* Myrtus Zeylanica. *Boerh. I. alt.* Myrtus, foliis mucronatis, ex albo, & viridi variegatis, flosculis rubro-candidis. *Boerh. I. alt.* Narciſſus Indicus, flore rutilo, ſcintillis aureis aſperſo. Naſturtium Indicum, flore variegato pleno, ſive Acriviola, flore pleno, altera. *Lochn.*

Ne-

Negunda, *vide* Vitex. Nerion floribus rubentibus. *C. B. P.* Nerion, floribus albis. *C. B. P.* Nerion latifolium Indicum, flore variegato, odorato, pleno. *H. A.* Nerion Indicum angustifolium, floribus odoratis simplicibus. *H. L.* Nux juglans Virginiana nigra. *H. L.* Ocymum Zeylanicum perenne frutescens, folio Calaminthæ nonnihil simili. *Par. Bat. Prodr.* Olea sativa. *C. B. P.* Orleana, *vide* Mitella. Ornithopodium Indicum herbaceum, Coronillæ foliis, ex quo Indigo *Boerh. vide* Anil. Orobus Indicus, flore ex albo purpurascente, siliquâ hirsutâ. *Boerh.* Paliurus. *Dod.* 756. Palma dactylifera. *Plum. N. Pl. g.* 1. 2. Papaver Orientale hirsutissimum, flore magno. *Comm. Rar.* 34. Papaya, fructu Melopeponis effigie. *Plum.* 659. sive Papayamaram. *H. Mal.* 1. 13. *fig.* 15. Parros. *Burr. Scher.* Periploca, foliis oblongis. *T.* Apocynum sive Periploca scandens, folio oblongo, flore purpurante. *J. B.* Periploca scandens, flore rotato viridi, in medio, purpurante. Persicaria Orientalis, Nicotianæ folio, calice florum purpureo. *T. Comm. Rar.* Phaseolus, Americanus, floris vexillo ampliſſimo, siliquis rectis teretibus. *Plum.* Phaseolus minor, siliqua sursum rigente, fructu albo. *T.* 413. Phaseolus peregrinus, fructu minore albo, nigrâ maculâ insignito. *C. B. P.* Phaseolus Americanus perennis, flore cochleato odorato, seminibus fuscis orbiculatis, Caracalla dictus. *H. L.* Phaseoli duæ species perennes, ex Carolina, quarum flores nondum vidi. Phaseolus Zeylanicus, semine Corallodendri. Phalangium Americanum, foliis cepaciis, floribus spicatis aureis. *H. L.* Phlomis fruticosa, Salviæ folio, latiore & rotundiore. *T.* Pinus sativa. *C. B. P.* Pinus ex Carolina, foliis tenuissimis subluteis, ex semine, sub nomine *Yellow Pine.* Pishamia, *vide* Guajacana. Pisum cordatum. *H. Eyst.* Corindum folio ampliori, fructu majore. *T.* folio & fructu minore. *Boerh. I. alt.* Poinciana, flore pulcherrimo. Frutex Pavonius sive Crista Pavonis. *Breyn Cent.* Portulaca Africana semper virens, flore rubicundo. *H. A.* Portulaca Curassavica lanuginosa procumbens. *Par. Bat.* Punica, quæ Malum granatum fert. *Cæsalp.*

141. Punica flore pleno majore. *T.* 636. Quamoclit Americana, Hederæ folio, flore coccineo. *Comm. Rar.* 21. Quamoclit, foliis tenuiter incisis & pennatis. *T.* 116. Ricinus frutescens, Phylli folio. *Scher.* Ricinus Americanus perennis. *Boerh. I. alt.* Rosa Sinensis. *Ferr. Fl. Cult.* Rosmarinus striatus sive aureus. *Park. Th.* 47. Rubia Zeylanica sylvestris, quadrifolia major. an Rubia quadrifolia, asperrima, lucida, peregrina? *H. L.* Rus sive Sumach. *J. B.* Ruscus, *vide* Laurus Americana. Salvia Africana frutescens, folio subrotundo glauco, flore aureo magno. *H. A.* Satureia Virginiana. *Par. Bat.* Sedum majus arborescens. *J. B.* Sedum minus teretifolium album. *C. B. P.* Senna Florentina sive foliis per extremum latis, pene cordatis. *J. B.* Senna Occidentalis, foliis Orobi Pannonici mucronatis, odore Opii viroso. *Boerh. I. alt.* Cassia Americana, foliis oblongis glabris. *T.* Senecio Africanus arborescens, Ficoidis folio & facie. *Comm. Rar.* 40. Solanum Americanum tomentosum, folio Verbasci, fructu parvo flavescente. *Plum.* Solanum Indicum pomiferum spinosum, Borraginis flore, fructu croceo. *H. L.* 573. Solanum, Indis Timanke. Solanum, Indis Turi dictum. Solanum spinosissimum arborescens, Æthiopicum *Muntingii Fig.* 112. Stachys Canariensis frutescens, Verbasci folio. *T.* Staphylodendron Africanum, folio singulari lucido. *Par. Bat.* Stæchas Arabica vulgò dicta. *J. B.* Thee Romanum, *vide* Botrys. Tithymalus arborescens, aizoides spinosus, caule angulari, folio Nerii. *Comm. Prael.* 56. an Tithymaloides frutescens, foliis Nerii. *Plum.* non latescit. *Plukn.* floruit 1726. Tithymalus ramosissimus frutescens pene aphyllos. *Boerh. I. alt.* Tithymalus Indicus frutescens. *Raj. H.* Tirucalli Horti Malabarici. *H. A.* 1. 27. Tithymalus aizoides Africanus simplici squamato caule. *Comm. Prael.* floruit 1726. Toxicodendron, *vide* Arbor ex Carolina. Tragacanta vera. *Park.* Tribulus terrestris, folio Ciceris, fructu aculeato. *C. B. P.* Tulipifera arbor Virginiana. *H. L.* Viburnum Americanum odoratum, Urticæ foliis latioribus, spinosum, floribus miniatis. *Par. Bat. Prodr.*

Prodr. Vitex trifoliana minor Indica ſerrata. *Breyn. Prodr.* 2. Negunda mas *Acoſtæ H. A.* 1. 179. vide tamen obſervationes ibidem. Yucca glorioſa, foliis Aloe. *C. B. P.* Zedoaria Zeylanica Camphoram redolens. Zingiber latifolium ſylveſtre. *H. L.* Zerumbeth. *Garz. ab Horto.*

CITATI AUTHORES.

Alp. Ægypt. Proſper Alpinus de Plantis Ægypti.

Boerh. I. alt. Hermanni Boerhave Index alter Plantarum in Horto Lugduno-Batavo.

Bradley. Richardi Bradley Hiſtoriæ Succulentarum Plantarum Decades Londini.

Breyn. Cent. Jacobi Breynii Exoticarum Plantarum Centuria I.

Breyn. Prodr. I. & II. Ejusdem Prodromus Fasciculi Rariorum Plantarum primus & ſecundus.

C. B. P. Caſpari Bauhini Pinax Theatri Botanici.

Comm. Præl. Caſpari Commelini Præludia Botanica.

Comm. Rar. Ejusdem, Horti Medici Amſtel. Plantæ rariores & exoticæ.

Comm. Pl. Us. Ejusdem, Horti Medici Plantarum uſualium Catalogus.

Comm. Fl. Mal. Caſpari Commelini Flora Malabarica.

Dod. P. Remberti Dodonæi Pemtades ſex.

Flora 2. Flora Lugduno-Batava Hermanni.

Ferr. Fl. Cult. Joannes Baptiſta Ferrarius de Florum cultura.

H. A. Hortus Amſtelodamenſis Joannis & Caſpari Commelini.

H. Beaumont. Horti Beaumontani Catalogus Plantarum exoticarum.

H. Eyſt. Hortus Eyſtenenſis.

H. Farn. Ald. Deſcriptio Plantarum Horti Farneſiani, Tobiæ Aldini.

H. L. Hortus Academicus Lugduno-Batavus, authore Paulo Hermanno.

H. L. App. Ejusdem Appendix.

H. M. Volck. Hortus Medicus Volckammeri, in Hesperidibus Noribergensibus citatus.

H. Mal. Hortus Malabaricus.

H. Mauroc. Catalogus Plantarum Illustrissimi Mauroceni.

H. R. Par. Hortus Regius Parisiensis.

J. B. Joannis Bauhini Historia Plantarum.

Juss. De Jussien dans l' Historie del Academie Royale des Sciences.

Lob. Ic. Lobelii Icones Stirpium.

Lochn. Lochnerus in Appendice Ephemeridum Acad. Cæs. Leopold. Carol. Cent. VII. & VIII. p. 177.

M. Memoires del Academiæ royale des Sciences Edit. Par.

Menz. Lex. Christiani Menzelii Index nominum Plantarum multilingvi.

M. H. Roberti Morisson Plantarum Historia universalis.

Par. Bat. Paradisus Batavus Pauli Hermanni.

Par. Bat. Prodr. Paradisi Batavi Prodromus ejusdem.

Park. Theat. Parchinsonis Theatrum Botanicum.

Plukn. Amaltheum Botanicum Pluknetii.

Plukn. Phyt. Ejusdem Phytographia.

Plum. Descriptio Plantarum Americæ Caroli Plumier.

Plum. N. Pl. genera. Ejusd. nova Plantarum American. genera.

R. H. Joannis Raji Historia Plantarum.

Sterb. Citr. Sterbeeck Citricultura.

Scher. Gulielmus Scherard.

T. Josephi Pitton Tournefort Institutiones Rei Herbariæ.

T. Ac. Reg. Tournefort in Academiæ Regiæ Scientiarum Historia.

Zanon. Historia Botanica di Giacomo Zanoni.

Et Hortus *Joannis Breynii Medicinæ Doctoris, Academ. Curiosorum Collegæ*, peregrinis plantis Gedani est ornatus. Varsaviæ non parvus numerus exoticorum vegetabilium alitur.

PUN-

PUNCTUM V.

DE MONTIBVS, FONTIBVS, AQVIS BITVMINOSIS, SVLPHVRATIS, PETRIFICANTIBVS, EBVLLENTIBVS, MEDICATIS, NOXIIS, SALSIS.

I.

MONS est terra prominentior, & altitudine sua conspectior. Collis est minor mons, seu exigua terræ eminentia. Opinione *S. Basilii*, *& Eugubini*, terra cum montibus est creata, quia montes conferunt multùm ad regionum salubritatem, ad cohibendum ventorum impetum, ad arcendos maris, fluviorumque incursus, ad terræ fertilitatem, ferè enim fontes, amnes, rivuli, è montibus oriuntur, arbores quædam amant colles. In montis excelsi cacumine, sæpe eodem tempore ningit, quo, in valle pluit, nam superior regio àéris frigidior est inferiore. Mirantur multi, inquit *Kircherus Mundi Subterr. lib.* 5. cur montium apices, pluviæ imminentis tempore, fere semper nubibus obvelentur, hi rationem aliam non esse sciant, quàm vapores, qui mox, ac per montium rimas exspiraverint, ad circumambientis àéris frigidi contactum, in nubes condensati consistunt, & ne difflentur à frigidis àérnæ regionis vaporibus, aliunde in àérem elatis, velut obstaculis impediuntur. Prodit *Adolphi Dissertatio Physico-Medica de Incolatus Montani Salubritate.*

II. CARPATII MONTES, *à Ptolemæo* Alpes Bastarnicæ vocantur, à Pol. varia habent nomina, *Tatry*, *Krepak*, *Biesciady*. Secundùm *Kircherum Mundi Subterr. Part. 1. lib. 4.* est ingens Montium Carpaticorum catena, ex Occidente, longo terrarum tractu, in Ortum, ad Euxinum usque Mare extensa. Iidem montes in quatuor regiones dividuntur *à Bruckmanno, in Specimine Botanico-Medico exhibente Kosodrzewinæ fruticem.* Prima est infima, pes montium dici solita, sylvis vulgaribus, pinu, abiete, larice, &c. horret, secunda vastæ proceritatis arborem, Libanus Carpaticus dictam profert, tertia falcati quodam ligni genere, quod Slavi *Kosodrzewinæ* vocant, impedita & invia est, quarta, & suprema perpetuis nivibus verminosis, glacieque annosa est obruta, in præruptas petras, hinc inde subitaneum casum minitantes, stupenda altitudine in nubes assurgit. Eminent maximè, sensu *Szentivanyi in Dissertat. Paralip. Rerum Memorabilium Hungariæ*, in Comitatu Lipsovienſi, ex quorum cacumine, ferè nunquam nix decidit. Nullibi horribilioribus jugis assurgunt, quàm ea regione, quâ Scepusium ornant, an onerant. Albitudinis argumentum inde capit *Belius in Prodromo Hungariæ*, quòd sudo cælo, Agria, & Varsavia, conspici queant. Peculiaria essent, ait author præfatus, quæ Carpatus suppeditaret, si reperirentur, quibus ea curæ forent, puta Aurum obryzum, Lapides pretiosos, Adamantes, Smaragdos, Sapphiros, Rubinos, Granatellos, & reliqua. Cinnabaris nativa passim à locorum gnaris reperitur, Lithogala in specubus stillat, Terram Sigillatam rivi vehunt, deponuntque instar limi, Naphtam incendium prodidit. Singulari naturæ opificio, inter altissimas istas rupes, complures lacus, atque in his limpidissimæ aquæ, piscium saxatilium bene patientes reperiuntur. Confirmat dicta *Froelichius in Medulla Geographiæ Practicæ cap. 9.* dum asserit, Carpatus Scepusienſis gaudet multis stagnis amplissimis, limpidissimis, piscosissimis, & in primis Auratis, vulgò Truttis, intrà summa montium juga locatis, ad quæ difficilis aditus patet. Præcipua habent nomina à coloribus indita sibi, quædam

dam enim apparent viridia, quædam rubra, quædam alba, &c. Pars Montium Carpatiorum, ad Germanicum milliare protensa *Krępak* vocatur, per eam fluvius minor decurrens est flexuosissimus, numerosèque ab agentibus iter superandus. Plura nosse desiderans, *Csiba Dissertationem Historico-Physicam de Montibus Hungariæ* evolvat. Rupes ex lusu naturæ figuratæ & formatæ advenis excitant admirationem. Labinæ, Alpicolis *Louwinen*, sunt conglomerationes maximæ nivium, ortæ in supremis montium cacuminibus, vernali tempore. Vento vehementiore, transvolatu avium, vel alia de causa, nivis particula mota, cadendo, multis provolutionibus semper majus capit incrementum, & in montem ferè nivosum, cum magno damno incolarum, viatorum excrescit, descendendoque, saxa, arbores, & quidquid obvium est, involvit, ac secum rapit, tandem se in vallem aliquam, ac ad montium pedes demittit. Descriptio Labinarum harum ponitur *in Smileri Commentar. de Alpibus, & in Scheuchzeri Itineribus Alpinis.* Talia, vel similia volumina nivium, an in Carpatiis montibus exstent, destituor certitudine. Montes, qui ab Urbe Leopoliensi, in Volhiniam usque protenduntur, Peucinos *à Ptolemæo* vocari, *Sarnicki in Descript. Poloniæ*, existimat.

III. MONS VETULÆ, Polon. *Babia gora*, Cracoviâ distans decem milliaribus, arduus, in altitudinem magnam porrectus, ex lacu, quem in se continet, præter lapides albos, & nigros ignis feraces, etiam Succinum interdum eiicit, pisces squamas atras ferentes alere traditur. Idem lacus, certis temporibus, dum in fluctus attollitur, monticolæ tunc mare ludere afferunt, insinuantes aquarum harum communicationem cum mari. Ex præfati Montis cavitate quadam ad latus posita, continuò ventos erumpere, sunt qui affirmant. Aqua ex lacu dicto, per meatus subterraneos, ad radicem montis ejusdem descendit. LAC LUNÆ seu Agaricum petræum, saxatile, minerale, metallicum, Germ. Monden-Milch. Vocatur Lac propter candorem & mollitiem, Agaricum, quia levitate, raritate, albedine, prorsus est simile Agarico arboreo.

Mine-

Minerale, nam multorum ſententiâ, à vaporibus metallicis (præſertim Argenti, quod Luna Chimicis) continentibus exhalationes ſubtiles, oritur, quæ ubi per ſaxa in cavitates exſudaverint, humido evacuato, manet quod ſiccum eſt, concreſcitque in medullam raram atque friabilem, ſpecuum fornicibus, inſtar fungi, adhærentem. Secundùm alios naturæ indagatores, aquæ in compagem generis certi ſaxorum penetrantes abluunt illam, & ſecum vehunt tenerrimam ſubſtantiam lapidum, eamque poſtea in ſpeluncis deponunt. Terra calcaria vel lapis calcarius infrà terram, ab accedentibus continuis aquis in pollinem levem ſolutus, & quaſi præparatus, eſt *Bruckmanno in Epiſt. Itineraria III. de Bellariis Lapidibus Liptovienſibus*, idem Lac Lunæ, quod in Officinis pharmaceuticis Hungariæ Nihilum album appellatur, & pro eo publicè venditur. De Montis Vetulæ petris, Junio menſe effluit hoc Lac ſaxatile, Montanis *Mlecżko kamienne*, quod concreſcit ſponté ſucceſſu temporis, aut ſi tempus debitum non expectetur, igni appoſitum condenſatur in maſſam candidam, levem, fibroſi aliquid præferentem. Effertur & ex Carpatico monte petroſo, *Mientuſia* dicto, milliaribus aliquot diſſito à *Nowytarg* Oppido, reperibile interdum in cavernis Ruſſiæ Rubræ. Durat in igne, nec ab eo funditur, nec colorem alienum acquirere traditur *à Majore in Diſſertatione Medica*, nullus odor, & ſapor, *à Gesnero in Deſcriptione Montis Fracti & Pilati*, attribuitur. Commendatur in rejectionibus ſangvinis, per os, ventriculum corroborare, oculis prodeſſe, aquâ purâ dilutum ſiſtere dicitur dyſenteriam, ſi ſumatur mane & veſperi, cum lacte calido. Ex *Langii relatione in Idea Hiſt. Natur. Lapidum Figurat. Helvetiæ*, internè prodeſt in ſoda, & ructu nidoroſo, in ſtranguria, in dolore nephritico, in colica, diarrhæa, dyſenteria, præſentaneum eſt remedium, quod nonnulli etiam in febribus malignis cum fructu exhibent, arenulas quoque è renibus pellit, & earum impedit generationem. Externè ad ulcera exſiccanda adhibetur, collyria ingreditur, & loco Nihil albi uſurpatur. Opinione *Chiocci in Muſæo Calceolarii*,

ocolarii, ad ea omnia applicatur, quibus Samia terra est conducibilis. MONS PILSKO excelsus, arboribus obsitus, in Palatinatu Cracovienſi distans milliari à *Jeleśnia* pago, parte altera pertinens ad Comitatum Arvenſem (Polonis Orawa,) fert in ſummitate lacum protenſum ad jugeri medietatem, profundiſſimum, nam frigore maximo non congelatum.

IV. MONTES, & COLLES CONCHIFERI ſeu continentes congeriem magnam Conchyliorum foſſilium, figurâ, &c. Conchyliis marinis exactè reſpondentium, hos montes antequam indicavero, præmitto varias deſcriptiones, cauſâ notitiæ exactioris. CONCHYLIUM apud authores eſt nomen commune Conchis, & Cochleis. A Conchis ſtriatis denominantur Conchitæ ſtriati, qui ex valvarum vertice, ſtrias rectè prodeuntes obtinent, propter quas, ſiquidem ſunt elatiores, ac inſtar radiorum pectinis, ſeu inſtrumenti capillis pectendis apti, Pectinitæ vocati. PECTINES, *Langio in Methodo*, *Teſtacea Marina in Claſſes diſtribuendi*, ſunt Conchæ valvis æqualibus æquilateræ, mediocriter vel leviter umbonatæ, & rectà incurvatæ, ſubrotundæ magis vel minùs, rugoſæ ſtriis canaliculatis, cardine aurito. Pectines *Scheuchzero in Muſæo Diluviano*, ſunt Conchæ auritæ valvis diſſimilibus unâ planâ, alterâ convexâ. PECTUNCULI apud *Langium eundem*, ſunt Pectines, teſta teneriore, & ſtriis tenuioribus, ſed longè copioſioribus inæquiauriti, ſive auribus inæqualibus, compreſſi, à cardine ad oram magis elongati, una aure admodum brevi, & quandoque omnimodè ſpoliati. Aliis, Pectunculi ſeu Pectunculitæ, ſunt Conchæ, auribus deſtitutæ, valvas utrinque convexas, æqualiter concavas habentes, lineis rectis, rarioribus, vel denſioribus, vel capillaribus ſtriatæ. Varietatem Pectinitarum, & Pectunculitarum, ſi quis noſſe deſiderat, *Luidii Lithophylacium Britannicum*, *Scheuchzeri Muſæum Diluvianum*, *Aldrovandi Librum de Teſtaceis*, conſulat, quæ Teſtacea dividuntur in Univalvia, ſeu ex unica teſta conſtantia, & Bivalvia, ſeu quorum cortex teſtaceus ordinariè ex duabus partibus contiguis componitur. Terebratulæ è Pectunculitarum

ſpecie, habent apicem teſtæ alterius ſeu roſtrum perforatum. Differentiæ Terebratularum *à Scheuchzero in Oryctographia Helvetica*, *à Langio in Hiſtor. Lapid. Figur. Helvetiæ*, ſunt expoſitæ. CONCHA *Eximio Studii Lithologici Cultori Breynio in Diſſertat. Phyſica de Polythalamiis*, eſt teſta vasculoſa, compoſita, bivalvis, id eſt, quæ ex duabus componitur valvis, ſive vasculis, magis minùsque concavis, in cardine, articulatione quadam inter ſe junctis, ut aperiri, & claudi queant. CONCHÆ ANOMIÆ illæ vocatæ, quarum valvæ ſeu teſtæ ſunt inæquales, id eſt tales, ut una alteri magnitudine, vel forma, vel cavitate, exiſtat diſſimilis. CONCHÆ VOLUTÆ à volvendo ſeu revolutione ſpirali dictæ. CHAMÆ majores, mediæ & minimæ, *ab Aldrovando*, *Bellonio*, *Rondeletio*, diviſæ ſunt in læves, rugatas ſeu aſperas, *à Rumphio in Muſæo Amboinico*, etiam ſtriatæ exhibentur, & ad Concharum genus reducuntur. Apud *Scheuchzerum in Muſæo Diluviano*, dantur Chamæ, transverſim, & in longum ſtriatæ, roſtro recurvo, Chamæ rariſſimæ transverſim ſtriatæ, & rugis protuberantibus asperæ, Chamæ curviroſtræ transverſim rugatæ, & in longum ſtriatæ, Chamæ cordiformes, Chamæ læves ſubrotundæ, rotundæ ſeu circinatæ, aliæ faſciatæ. CHAMÆ GLYCYMERIS, ſunt *Aldrovando* teſtæ oblongæ, Mytulorum fluviatilium modo, rugoſæ, non tamen aſperæ. COCHLEÆ ſunt turbinatæ, ſed breviores atque rotundiores, nec exeuntes turbine ſuo in mucronem. Cochleas marinas *Langius* ponit pyramidales ſeu longas, cylindroidæas, canaliculatas rectas, caſſidiformes, umbilicatas. COCHLEÆ VALVATÆ LÆVES & STRIATÆ, ab aliis NERITÆ dictæ, ex deſcriptione *Scheuchzeri in Muſæo Diluviano*, ſunt plano ore, operculo teſtaceo ſemilunari, paucis ſpiris, mucrone vel umbone parùm vel nihil eminente. Nerita à Nereo Deo marino in tali Cochlea picto, denominatur, juxta *Scheuchzerum in Specimine Lithographiæ Helveticæ*, infrà duas fermè ſpiras finitur & è tenui mucrone, in amplum primum orbem ſe expandit planus, vel leviter ſtriatus. COCHLITÆ à BUCCINITIS differunt, quòd more Cochlearum,

learum, ampli brevisque sint ventris ac turbine in se reducto, quàm longiùs emisso constent. BALANI *Moscardo in Musæo*, sunt è genere testaceorum, etiam Glandes vocati, à similitudine cum glandibus fructibus. Nascuntur super saxis, sed sibi conjuncti, coloris deflectentis ad violaceum, vertex cujusque est perforatus. BUCCINA è genere turbinatorum, alia magna, parva alia, seu Buccinula, utraque sunt Turbines insigniter & acutè elongati, ex ventre amplo & globoso. Eadem Buccina, *Scheuchzero in Musæo Diluviano*, sunt figura longiore, capite seu primo orbe plerumque minore, quàm reliquum est corpus, superficie plerumque aspera rugis, vel striis. Ex descriptione *Langii*, *in Methodo Testacea Marina in Classes distribuendi*, Buccinæ sunt Cochleæ marinæ, ore & mucrone simul elongatis, primâque spirâ notabiliter ventricosâ. Parva sunt curviroſtra, sulcata, & canaliculata, ore perpendiculari, vel obliquo, &c. Majora, sunt roſtrata, ore simplici, vel labioso, canaticulata, sulcata, &c. Buccinorum, cuidam *in M.SS.* character est primus, ut venter sit globosus, secundus, ut mucro sit insigniter elongatus, tertius, os rotundum, quartus, labium exertum. Dividuntur trifariam, in lævia, striata, & scalaria. BUCARDITÆ sunt Conchitæ insigniter ventricati, quia assimilantur figurâ suâ Conchæ Bucardiæ ita dictæ, quòd cor bovis præseferat, hæc descripta est *à Bonanno*. STROMBI sunt testacea turbinata longiora, multis voluminibus constantia, pro corporis proportione, ex ampliori basi seu orificio, paulatim in apicem tenuem desinentia, magis, vel minùs aspera, vel lævia, vel striata, vel tuberosa. Cochleæ marinæ Strombi sunt *Langio*, ore & mucrone simul insigniter elongatis, ac prima spira notabiliter angustiore, quàm in Bucconis. A Zoographis Strombi & Turbines passim confunduntur, *Langius in Hist. Lapid. Figur. Helvetiæ*, ita distinguit: Turbines sunt ore rotundo, in mucronem elongatum & acuminatum abeuntes, Strombi verò præter mucronem elongatum & acuminatum, etiam ore angusto, elongato, & in acumen desinente sunt instructi. STROM-

BITES, *Lachmundo* similis est Cochleæ aquatili, ex amplo enim in tenue instar turbinis deficit, in spiram à dextra tortus, interdum brevis, interdum longus, intus candidus, extrinsecùs terræ, quæ eum circumstat, colorem assumit. MUSCULI *Scheuchzero in Musæo Diluviano*, sunt conchæ oblongæ, setiferæ, figura fere rhomboide. NAUTILI sunt testacea marina univalvia, ita in se transversim contorta, ut eorum circumvolutiones nulla ex parte promineant, vel vix appareant, inquit *Langius in Methodo Testacea Marina in Classes distribuendi*; idem addit, Nautili testa naviculam præsefert, eminente puppe, in se ipsam aliquantulùm transversim contortam, lævem vel striatam. Nautilorum orbes, *Scheuchzero in Musæo Diluviano*, sunt in se convoluti, ampli seu valde ventricosi, & concamerationes sive articuli internè hemicyclici, quà notâ in specie distingvi debent à Cornibus Ammonis, LEPADES Græcè, PATELLÆ Latinè dictæ, à vasis escariis similitudine Tetheæ quibusdam, *Rondeletio in Hist. Aquatilium*, sunt ex testaceorum univalvium genere, quarum partem unam testa integit, secundam saxum, cui inhæret. Testa non exquisitè rotunda est, sed inæqualis, intus lævis, foris parùm aspera, in ambitu striata. SOLENES, ex Concharum longarum genere sunt *Rondeletio in Hist. Aquatilium*, à canalis sive tubi similitudine, denominati. Donaces à figura arundinis concavæ, apud omnes nascentis etiam dicti, dodrantalis longitudinis, pollicis crassitudine, arundinis modo, cavi, extremis duobus semper apertis. Testa cæruleo est colore, vel cinereo, lineas evidentes habet per transversum ductas, qua parte colligatur, crassior est, aliis partibus in tenuem substantiam desinit. Solen *Rumphii in Musæo Amboinico*, constat tubulo longo, geniculato, sensim gracilescente, & in novas fistulas similes, diviso. TELLINÆ, *Bellonio* sunt testæ læves, candidæ, nequaquam striatæ, crenulis tenuissimis denticulatæ, in longum diffusæ. Eædem Tellinæ, *Scheuchzero in Musæo Diluviano*, sunt Conchæ tenuioris testæ, minùs concavæ, ab una cardinis parte, longiores, ab altera, breviores,

figura

figura ferè rhomboide, læves aliæ, ſtriatæ aliæ. TROCHI, *Langio* ſunt Cochleæ marinæ, ore admodum brevi ſeu parvo, è bali lata & quaſi plana, in mucronem, quaſi rectilinium conoideum inſigniter elongatum abeuntes, à ſimilitudine inſtrumenti, quo pueri luſitant, appellati, coloris varii. Trochitæ figurâ ſuâ Cochleas turbinatas ſeu Trochos præſeferunt, ſuntque læves, aut ſtriati. TURBINES, *Bonanno in Recreatione Mentis & Oculi*, ex ore lato paulatim producti, in acutiſſimum mucronem deſinentes, magis longi, quàm lati, læves, vel tuberoſi. Apud *Langii Methodum præfatam*, proponuntur Turbines integri vulgares læves, & ſtriati, Turbines integri acuminati, alii fimbriati, Turbines aperti lati, alii læves, alii ſtriati, Turbines aperti canaliculati, rectiroſtri, Turbines aperti canaliculati, obliquè incurvati, Turbines aperti ſulcati. TURBINITÆ propriè, eidem authori, ſunt lapides Turbinem exprimentes, in mucronem longiorem deſinentes, os planum & ſubrotundum ferentes, ſpiræ ſenſim ſine ſenſu gracilescunt, & ipſum corpus lapidum deficit. Dantur Turbinitæ læves, à ſiniſtra ad dextram convoluti, trium, vel quatuor, vel quinque ſpirarum. TUBULITÆ ſunt lapides omnes ii, qui figurâ ſuâ, teſtacea concava & tubuloſa præſeferunt, & neque ad Cochlitas, neque ad Echinitas, multò minùs ad Conchitas referri poſſunt; in Dentales, & Vermiculares, dividuntur. Tubuli *Breynio in Diſſertatione Phyſica de Polythalamiis*, ſunt teſtæ tubuloſæ, monothalamiæ, in lineam rectam extenſæ vel contortæ, aliquando ad ſpiram, ſed irregulariter accedentes. Huc pertinent Dentaſia, Entalia, Solones univalves. Conchylia præfata, id eſt Conchæ, Chamæ, &c. non aliter *à Cnapio in Theſauro Polono-Latino Græco*, idiomate petrio vocantur, quàm *Ptawy, Ruchy morskie, skorupiaſte, gładko-skorupe, oſtro skorupe, twardo-skorupe, konczato-kręte*, &c. Icones numeroſiſſimæ Conchyliorum Terreſtrium, Fluviatilium, & Marinorum, *in Liſteri Hiſtoria Conchyliorum, libris tribus comprehenſa*, exhibentur avido ſpectatori. His præmiſſis, deſcendo ad Conchylia in particulari, è noſtro eruta ſolo.

In Volhinia, Collis pagi *Moszenica* vicini Ostrogio, fert Arcem novam formatam de vallis, in cujus fossa, inter strata seu seriatim posita compages terræ, arenæ, &c. continent Saxa calcaria, myriades Concharum & Conchularum albidarum, striatarum, de genere Pectinum, inter quas reperiuntur rarissimæ ambabus valvis invicem cohærentibus, sed nonnisi singulæ & separatæ, aliæ friabiles, sic, ut levissimè digitis contrectatæ vertantur in pulverem, aliæ spiritu lapidescente imbutæ, paulò puriores, ac veluti calcinatæ, aliæ lapideæ totæ seu Litho-conchæ. Adest ibidem & Pecten virgineus *Rumphii in Musæo Amboinico*, qui est testa crassa, striata, sinu cordiformi utrinque, sed inæquali & irregulari. Pectunculus vulgaris ejusdem *Rumphii* rarè striatus & imbricatus. Fragum album *Rumphii*, *pag.* 142. propositum. Præter Conchas iisdem saxis, in loco mollioribus, expositis àéri durioribus includuntur Chamæ, & Chamulæ læves, & lineis transversis insignitæ, Buccina parva seu Buccinula, Strombi majores, & minores, &c. Multa ex his Conchylia è saxorum medio excuti atque eximi possunt, plura sic concluduntur, ut in frusta citiùs dissiliant, quàm separentur, omnia, admoto igne in calcem abeunt, simul cum lapidibus. Alibi, inquit *Mentzelius in Lapide Bononiensi*, ex Conchyliis talibus in pollinem contusis, & cum paucula argilla tenaciore mistis, figuli conficiunt tigilla optima, ad Metalla fundenda. Inter Collem pagi *Wierzchow* Volhiniæ, proximum viæ publicæ, & inter Stagnum, terra nigricans & arenosa offert visui Conchulas Pectinem referentes, Chamulas, Cochleas, Buccinula, Strombos, & Ammitem. Montes ad *Kunin* pagum ejusdem Palatinatus abundant Conchis & Chamis Saxo calcario firmissimè inhærentibus. In sylva, *à Narajow* villa non multùm remota, per montem fossa longa & lata ducta, vel potiùs ab aquis defluentibus facta, vernaculè dicta *Row kamienny*, Concharum, & Chamarum minutarum multitudinem ingentem saxis durioribus cinereis inclusam tenet. Similis congeries Conchyliorum etiam aliis collibus tegitur, in fundo vici *Ostrow*, in

monte

monte *Lysa gora*, dimidio milliari sejuncto à Civitate *Dubno*, in *Taykury* Oppido, in Cremenecensibus, Zaslavienſibus, aliisque pluribus montibus, reperitur. Ad *Zaurow* pagum, Chamæ permiscentur terræ, arenæ, lapillis, ibidem, & *Boczanicæ*, saxis immersæ, propè villam *Mikuty*, & alibi, viæ Conchyliis minutis plenæ, quæ confringuntur digitorum compressu. In Podolia, è fossa Urbis Camenecensis, Chamæ albidæ, crassæ, petrificatæ efferuntur, rupes ejusdem loci, Cochleas compressas ita, ut Cornua Ammonis tenuia mentiantur, & Chamas, quæ *Bellonio* glycymeris sunt, offerunt curiosis. In vicinis locis Oppido *Felsztyn*, lapides Conchiliis variis, & in Monte Kitaigrodensi, dicuntur esse referti. In eadem Podolia, & in Volhinia depromuntur Conchæ assimiles Conchis literatis Xulanensibus *Rumphii*, quæ ab Hollandis *Japansche Matten* denominatæ, & Nucibus pilosis Tarentinorum, *à Bonanno in Recreatione Mentis & Oculi*, expressis. In fossa Camenecensi collecti Neritæ albi, fasciati seu cum fascia spirali nigra. Accepi dono tabulas saxeas duas coloris cinerei, excisas de petra Podolicæ villæ *Mukaiow*, cum ita ubere proventu Conchyliorum multiplicium, ut substantia lapidum tota ex eis quasi compacta videatur. Hæ elegantes tabulæ, *à Joanne Breynio Medi. Doctore*, non solùm additæ rariorum lapidum numero, *in Musæo Gedani* depositio, sed etiam deductæ ad icones, in lucem publicam prodierunt. Tales ab *Imperato in Historia Naturali*, Conchosi, *à Lachmund in Oryctographia Hildesheimensi*, *à Jonstono in Notitia Regni Mineralis*, Lapides Megarici appellati, nam similes lapides olim Megaræ effossi, ex quibus, *Pausania* teste, Monumentum *Phoronei* exstructum fuerat, præter alia opera, in Urbe Megarensium. Circa pagos *Zagolkiew*, *Lasyczow*, *Niemienice*, Terræ Chelmensis, saxa subalbida referta sunt Conchitis. In viciniis Urbis Grodnensis, Pectines magni quasi Selenitici, Pectines rariores saxo calcario inhærentes inventi, missique in Saxoniam. TESTACEA BIVALVIA & UNIVALVIA circa Gedanum in montibus, collibus, locisque aliis remotioribus inventa, *Musæo Kleiniano* illata, hîc ad elenchum

chum reducuntur. Concha anomia rotunda in saxo arenario. Concha anomia rostrata, utrinque convexa, rotunda, in lapide arenaceo. Concha anomia rugata, aduncô rostrô, saxo sabuloso immersa. Concha anomia rostrata, rotunda, circulis notata. Concha anomia rostrata, vertice obtusangulo, dorso convexo, lævi, insignito circulis, in lapide sabuloso. Hæ omnes Conchæ anomiæ, eisque similes, *Columnæ, Lynceo in Opusculo de Purpura*, sunt tales, quarum altera pars cohærens aliquomodo, ab altera, effigie, vel magnitudine, aut utroque, differt. Concha tenuis aurita, plana, rotunda, lævis, coloris ex hepatico pallentis. Concha aurita, plana, rotunda, subtilissimè striata seu echini-formis, ex fusco varia, in lapide arenario. Concha oblonga, densè striata & imbricata, apice terete. Conchulæ auritæ, rotundæ, læves, ex fusco albæ. Pecten magnus speciosissimus, valvis contiguis constans, profundè striatus, firmiter lapidi duro cinereo inhærens. Pecten mutilus densè acutèque striatus, in lapide arenaceo. Pecten mutilus cum striis, ac strigis magnis & lævibus, in lapide arenario. Pectines albi elegantes in lapide. Pectinis subtilissimè & densè striati apex barbatus in saxo. Pectinis convexi auritique testa inferior elegans, in concavitate rugosè striata, saxo inclusa. Pectinis auriti testa concava duplex, sed sibi non congrua, cum vertice acutissimo, dorso leviter convexo, minutissimè striato & imbricato, in saxo. Pectinis utrinque auriti, convexo-plani, testa inferior striis minutissimis signata, & ex apice acutangulari, circulariter circumscripta, in lapide lutoso. Pectinis membranacei, densè striati testa. Pectinis auriti testa, vertice acuto, adeò tenuis & nitida, ut ferè oppositum corpus appareat. Pectinis auriti testa concava, cujus dorsum striatum est circinatum, cavitas lævis & transparens. Pectunculus quasi Seleniticus, in saxo calcario. Pectunculi candidissimi, in lapide simili marmori, alii in lapide arenario, alii in saxo coloris cinerei. Pectunculites rostratus in lapide coloris cinerei. Pectunculites semicircularis, utrinque convexus, striis elatioribus notatus. Pectun-

ſtunculites aliquatenus rotundus, quaſi Seleniticus, intrà cryſtalliſatus, in lapide calcario. Lapis arenarius cum numeroſis Conchis anomiis, cum Conchis auritis, rotundis, &c. Lapis cum teſtis quaſi Seleniticis convexis, & concavis Pectinum ſtriatorum & imbricatorum. Trinucleus fimbriatus *Luidii, pag.* 96. in lapide Conchas, Corallia continente. Trinucleus in medio ſtriatus, in lateribus lævis, totus albus, in lapide calcario. Trinuclei *Luidiani* teſtacea cavitas & velut eburnea, in qua conus perpendiculariter punctatus, & lateraliter ſerratus conſpicitur. Chama alba, altera lutea rugata in lapidibus arenariis, tertia rugata in ſaxo calcario. Chama lævis ex hepatis colore lutea, albis zonis ſignata. Chama ſtriata & imbricata. Chama ſtriata ſubrotunda in lapide. Chamæ cardiformis nucleus imbricatus. Chamæ cardoidis alicujus nucleus dimidius, lævis. Chamæ bucardoidis lævis nucleus in lapide arenario. Nucleus *Bajero in Oryctographia Norica*, eſt materia quondam incluſa teſtæ, quæ jam evanuit. Cochlea galeiformis à figura galeæ ſic dicta, quam aliquomodo exprimit, ſimilis Cochleæ galeiformi *à Bonanno in Recreatione Mentis & Oculi*, expreſſæ. Buccinorum, & Buccinulorum nuclei notabiles in lapide, ex agro Pucenſi. Lapillus *Rumphii in Muſæo Amboinico*, allatus, incluſus ſaxo, hic eſt exigua teſta ſpiralis, plana, varii generis, & coloris. Sequuntur Conchylia lapidibus cretaceis & arenaceis incluſa, è Territorio Varſavienſi, *ad Idem Muſæum Kleinianum* translata. Pectinis auriti & irregulariter ſtriati teſta convexa ſuperior. Pectinis auriti albi, in concavitate radiantis, teſta convexa, vertice acuto circulari & dentato, dorſo ſtriato & imbricato. Pectinis auriti ex vertice acuto altè ſtriati teſta ſuperior. Pectinis auriti & obliquè rotundi teſta ſuperior convexa, ſtriata & imbricata. Pectunculorum ſplendentium congeries. Buccinula ſpoliata. Buccini minoris & compreſſi nucleus. Prope Montem Hagelsberg ad Gedanum, effoſſi lapides arenoſi, Pectines, Conchas leves, Conchas ſtriis circularibus ornatas, continentes. In fundo villæ *Angowice* vicinæ

Urbi Conecenſi, dum pararetur puteus ad octodecim orgyias profundus, deprompti ſunt Cochlitæ plures affixi uni lapidi coloris cinerei. Hi à Cochleis, quæ ſunt teſtacea univalvia turbinata traxerunt nomen, Germ. Schnecken-Steine, *à Langio in Hiſt. Lapid. Figur. Helvetiæ* obſervati, mucrone elongato, ore elongato, mucrone, & ore ſimul elongatis, cylindroidæi ſeu pyramidales, læves, & ſtriati. Non procul à pago *Luzin* Caſſubiæ in Calcario ſaxo effoſſi lapides, qui judiciô *D. Kleinii*, non ad Tubulos, vel Alveolos, vel lapides Caudæ Cancri pertinent, ſed ad Entrochos, ſeu partes Stellarum marinarum, potius ad ſingularem ſpeciem Capitum Meduſæ. Ingens theſaurus Conchyliorum petrefactorum, & aliorum reperitur in ripa utraque Viſtulæ fluvii, potiſſimùm autem in ea, quæ à Soleko ad Czerniakoviam, & Villanovam, extenditur, prope Varſaviam. Notitiam horum foſſilium debemus *Heuchero Reg. Polon. Majeſtatis Conſiliario & Archiatro*, ſingulari ſtudio, illa Muſæo Regio Dresdæ inferenti, ait *Erndtel in Varſavia Phyſicè Illuſtrata.* Sunt autem Petrefactorum dictorum præcipua ferè ſequentia. Ex Lithophytis Fungoſis: Corallopetra catenaria foliis irregulariter cancellatis. Silex obſcurus glaber, in quo Reticuli Tophacei Maritimi *J. Bauhini*, folia detrita quidem cernuntur, quibusdam in locis expanſa in catenulam, à qua nota vulgò dici ſolet Lapis Catenarius. Reticuli Tophacei folia, à latere diſtinctè videnda, rarum exemplum. Fungus lamellatus per ſtrata, ſibi invicem incumbentibus lamellis. Fungus lamellatus Aſtroiticus. Fungus fibroſus papillaris. Fungus fibroſus in reticularem ſuperficiem terminatus. Fungus fiſtularis ſeu Calamiticus. Fungus Calamiticus tubulis intus radiantibus: an Porus Matronalis ramoſus *Imperati p.* 819. vel Coralliis affinis. Madrepora ramoſa *J. Bauhini.* Lithocalamus Cylindricus intus radians, fiſtulis minoribus. Lithocalamus Conicus intus radians, fiſtulis egregiè à ſe invicem diſtinctis. Fungus tubularis. Tubularia erecta, tubulis maximis, elegantiſſimum ſpecimen. Tubularia erecta tota ſaxea, coloris griſei, tubulis albis. Lithocalamus Cylindricus

Kleinii,

Kleinii, Millepora *Imperati*, *pag.* 817. Tubularia Villosa seu Vellus Lapideum. Tubularia Vermicularis; Alcyonium Vermiculare *Imperati*. Fungi Pyxidati. Lithopyxides fimbriatæ, Corallium ramulis pyxidatis, limbo radiante, vel Cornicula Marina. Fungi favaginosi, celluloſi, cancellati. Fungus favaginosus totus farctus. Corallofavus regularis, cellulis non farctis. Corallofungus regularis, cellulis farctis. Fungus Astroiticus, stellulis intrà circulum densè radiantibus. Fungus Astroiticus Milleporus. Fungus Astroiticus Rhodizon, rosulis limbo subtiliter radiante & prominulo intercepti. Fungi Caliculati, aliorum Hippuripetræ. Hippurites inversè Conicus, irregulariter geniculatus, cum Isocardia. Calyces Hippuritici simplices, substantiæ tophaceæ candidissimæ. Virgultum Hippuriticum grandiusculum, tophaceum. Calyx Hippuriticus duplex seu Columellus prolifer *Luidii*, Hippuriditis & Millepori connubium. Hippuritidis Cylindris truncus ingens, specimen rarum. Hippuris cylindra, Radix Bryoniæ lapidea: Columellus major *Luidii*. Ex Lithophytis Ramosis: Corallites, Corallio rubello dives. Cruor seu Sangvis Corallinus, vide *Marsigli*. Adarce, in qua Corallium rubellum varii generis germinat, unde & nonnullis est Saxum Corallisferum. Adarce glareosa, egregiis ramis Corallii punctati. Congeries Corallii punctati egregia. Lapis Cæmentarius grandiusculis Corallii punctati ramulis, reticulo tophaceo *Bauhini*, & nonnullis Calycibus Corallinis, obsitus. Corallii fragmentum cortice reticulato *Scheuchzeri*, in lapide polymorpho cæmentario. Corallium cortice reticulato obductum *Scheuchzeri*. Massa ditissima ramis granulatæ ramosæ. Ex Marinis dubiis. An Alcyonium durum fistulosum *Imperati?* An Branchiale ferruginosum *Luidii*, in lapide tophaceo & limoso deturpatum? Ex Marinis Tophaceis. Tophus Encephaloides. Tophus Pyriformis *Wormii*. Ex Keratophytis: Corallium nigrum. Ex Plantis Marinis Herbaceis: Lapis Conchosus, in quo Fuci Linteiformis vestigia. Lapis Muscum Corallinum subtilem includens, in superficie ex ramorum extremi-

tremitatibus, velut papillis, aſper. Alga marina J. B. in pyrimacho albo, in Chalcedonium granulatum degenerans. Fucus, Madreporus Cervinus *Imperati.* Ex Stellis Marinis: Ingens fragmentum Capitis Meduſæ ſeu Stellæ ramoſæ, ramis in perpetuas lamellas tenuiſſimas diviſis, & ſubtiliſſimis ſurculis lateralibus invicem connexis, rubelli coloris. Ex Cruſtaceis Marinis. Stylus Marinus, olim Cancri cauda. Ex Belemnitis, & Alveolis Belemniticis: Belemnites Varſavienſis. Alveolus *Luidii.* Ex Echinitis, & Aculeis Echiniticis: Aciculæ Echiniticæ minimorum Echinorum. Lapis Judaicus irregularis. Solenes Vermiculares, aliis Alcyonium Vermiculare. Lapis margaceus eroſus. Ex Lapidibus Verminoſis, à vermibus eroſis, Lumbricariis *Imperati:* Lapis punctatim eroſus, Vermiculari Lapidi *Bajeri* aſſimilandus, conferendus cum *Luidii* Forulagine. Forulago ſaxea. Pſeudo-Pumex. Ex Petrefactis aliis Regni Animalis: Spina piſcis in Lapide Calcario. Silex Odontites. Ex Oolithis: Meconites albus ad Oolithos referendus. Oolithus rariſſimus eburneus, ſeu lentè Margariticus, duriſſimus, ex ſeminibus Conchatum maximarum & fragmentis teſtarum ejusmodi compactus, forte ad Ova Concharum Noachicarum ſeu Chamarum aſperarum ſquamatarum *Rumphii* referendus. Ex Cochlitibus Petrefactis: Lapis Cretaceus, in quo nitida teſta Nautili ſtriati rarioris. Strombitæ. Cochlea terreſtris. Serpentulus dorſo acuto. Buccinum undatum & ſtriatum. Urceus, ſpecies Turbinis. Cochlea Lunaris. Nerita in Polymorpho Cretaceo. Cornu Ammonis. Serpenticlus *Rumphii.* Ex Bivalvibus Petrefactis: Pectines profundè & densè ſtriati, margine imbricato. Pectinipetræ. Pecten ſemicircularis planus *Liſteri, in Append. Teſtac. Petrefactorum.* Pecten ſemicircularis ſulcatus ſeu in dorſo ſinuoſus, forſan *à Liſtero* nondum deſcriptus. Conchæ Anomiæ exiguæ, trilobis, *F. Columnæ*, comparandæ. Conchæ Anomiæ craſſiùs ſtriatæ, ſpecies *à Fab. Columnæ* deſcripta. Lapis Conchulis trilobis farctus in Soleco Varſavienſi ſuburbio repertus. Anomalocardites ſub nomine Conchæ Anomiæ trilobis

Sele-

Seleniticæ. Concha Anomia lævis & rotunda *Kleinio* & *Fischero* Bursula. Chama Circinnata. Chama rugosa an Tædebaja? Chama super Solenem. Ostreum Saxatile. Ostracites *Listeri*. Cnetoides. Triquetra. Nux Maris. Scutula seu Clypeola bifida, & trifida. Anomalo-Cardium striatum. Solen bivalvis seu Cappa longa, an Concha rostro adunco *Listeri*? Conchites incognitus. Conchæ striatæ vix definiendæ fragmenta, substantiæ Agathinæ. Ex Polymorphis Petrefactis: Polymorphus Calcarius. Marmor Polymorphum puniceum: Polymorphus substantiæ cæmentitiæ elegans, bracteis cribrosis, inter alia, notabilis. Ex Lithoxylis: Lignum stupposum, pumicea raritate leviſſimum. Lithoxylum Faginum seu Phegites. *Ex aliis:* Dendritæ varii. Ammites Sphæroides. Ammites Martialis. Pisolithum referens lapis. Osteocolla Martialis. Stalactites. Hoplites polylobus seu lapis velut ferro indutus, & per profundos sulcos divisus. Quare autem Conchyliorum genera varia, in montibus, collibus, aliisque locis reperiantur, quærit *Aldrovandus in Testaceis*, adducit authores in diversam sententiam abeuntes, idem præstat *de Laet Gemmarum & Lapid. lib. 2. Langius in Tractatu de Origine Lapidum Figuratorum.* A creatione Mundi illa continere terræ visceribus nonnulli existimant, intrà terram efformari volunt, naturæ lusu, *Gassendus*, *Quirinus*, *Listerus*, *Luidius*, cæterique numerosi, vim quandam plasticam eidem solo adscribentes. Nec mirum *Goropio Becano* in iis locis Conchas inveniri, in quibus salsugo aliqua est, marinæ salsugini compar. Meatibus subterraneis liquor quidam communicatur, qui Conchyliorum figuras induit, facilè vitam etiam accepturus, si locus vivum pisciculum alere posset. Ex opinione aliorum, origo Conchytarum &c. sunt semina Testaceorum, vaporibus ab Oceano ascendentibus immixta, & cum pluviis in terram dispersa: vel eorundem Testaceorum semina per canales subterraneos è mari in montes diffusa, ac ibidem cum materia lapidescente, aut sale lapidifico commixta, quæ in hujusmodi corpora lapidea conchis marinis simillima abeunt. Non de-

sunt, qui Conchylia è mari, in terræ gremium, per meatus subterraneos advecta esse affirmant; quidam ex eo deducunt, quod mare hic vel ibi deseruit suos alveos. Contrariæ sententiæ sequaci *Mortono in Histor. Naturali Northamtoniæ*, Conchylia petrefacta, vera esse Conchylia, & earundem specierum, quales nunc in mari degunt, ex diligenti utrorumque comparatione, probatum est. Et secundùm *Woodwardum in Naturali Historia Telluris*, testæ Ostreorum, Concharum, Pectinum, aliorumque bivalvium passim effossorum, certa quædam tendinum vestigia, aliaque indicia retinent, unde eas animalia aliquando in se continuisse constet. Idem celebris author, *in Specimine Geographiæ Physicæ* censet, corpora hæc marina, ab ipso mari delata esse in Diluvio universali, & redeuntibus in sinus, vel alveos suos aquis, in terra relicta. Exposuit & *Liebknechi in Hassia Subterranea Specimine, Clarissima Testimonia Diluvii Universalis*, ex Triplici Regno, *Animali, Vegetabili, & Minerali*, petita. Subscribit *Columna Lynceus in Purpura*, *Scilla in Vana Speculatione*, *&c. Bajerus in Oryctographia Norica*, *Scheuchzerus in Herbario Diluviano*, his verbis: in summis montium cacuminibus, rupes è Conchis, Cochleisque marinis constant, in perpetuum veritatis monimentum, quòd aquis operti fuerint omnes montes, & surrexerunt aquæ ad quindecim cubitos, supra montium altissimorum vertices. Sensus ejusdem *Menzel in Lapide Bononiensi* refert, in montium cacumina Conchylia delata à Diluvio, ut sint ad ultimum usque judicium, Divinæ ultionis testimonium. Descripto Statu Terræ Antediluvianæ, & Postdiluvianæ, *Monti in Libello, cui præfixus est titulus, De Monumento Diluviano nuper in Agro Bononiensi detecto*, ponit sequentia: in Terraquei globi universi revolutione, ac ingenti aquarum agitatione, inter strata, locata fuerunt omnia illa marina crustacea, nec ipsis pelagiacis exceptis, pisces, ligna, cæterorumque animalium, & vegetabilium partes, quibus montes referti. Hæc autem fossilia sicuti fortuitò in materias varias inciderunt, ita eisdem saturata resederunt in stratis, in quibus quoque multas perpessa alte-

alterationes, præcipuè à natura particularum salinarum ibi latentium, ea de causa, spectantur tum integra & servata, tum rupta, ac stratorum pondere compressa, tum in calcem fere redacta, aliqua lapidefacta ex materia tum silicea, tum marmorea, tum selenitica, aliqua metallis, bituminibus, oppleta, alia Crystallo, Achate, Onyche, &c. inferta. Veritatem hanc patefaciunt omnes res minerales, quibus tot curiosorum Musæa exornantur. Ne autem hypothesim hanc aliquis conetur evertere, instando, quòd per plures montium tractus, ne una quidem diluviana reliquia apparet, particulæ salinæ sulphureæque in quibusdam stratis existentes destruere valuerunt, quidquid ex crustaceis, testaceis, &c. in eis relictum fuerat. Ad extremum quòd Testacea, è loco natali suo, nimirùm mari, in terram magnâ copiâ pervenerunt, referunturque ad Cataclysmum seu inundationem generalem, sententia ista, præterito & præsenti sæculo se evolvente invaluit maximè, non minùs placuit, plurimis se tuetur authoribus, & rationibus, optimè sopire difficultates, controversias, videtur de origine Lapidum figuratorum, v. g. Ammitum, Astroitarum, Belemnitarum, Bufonitarum, Corallitarum, Cornuum Ammonis, Echinitarum, Entrochorum, Glossopetrarum, Ostreitarum, &c. *in Puncto II.* descriptorum. Conchylia varia, eaque numerosissima descripta sunt Anglicè, ac tabulis æneis reddita egregiè *à Montavo in Historia Naturali Northamptoniæ*, Londini 1712. anno.

V. MONS ÆTITAS CONCLUDENS situs est *Skała* pagum versùs, in Palatinatu Sandomirienſi, in latifundio Episcopatus Cracovienſis, tectus sylva habente arbores humiles, quercus, betulas, populos nigras, & pinus. In eodem monte spectatur pars concava terræ, Polonis *Ztobowina*, latitudinis hîc orgyiarum trium, alibi quatuor, per hanc, temporibus pluviosis, defluunt aquæ. Dum autem fossio, in loco præfato depresso instituitur, strata apparent sequentia. Primò sub arboribus pumilis, & terra vestita gramine parvo, reperitur arena alba, in profundum ad ulnæ mensuram descendens,

dens, complexa Ætitas figuræ globosæ, pentagonæ, quadratæ oblongæ, &c. crustâ coloris lutei, aut rubricæ fabrorum similis, tectos, Minerâ Ferri circumdatos. Secundò, sub arena alba, jacet argilla lutea, plus quàm ulnaris crassitudinis. Tertiò, argillæ luteæ contigua est argilla grisea orgyiæ unius & dimidiæ. Quartò, sequitur terra arida, argillæ adustæ in fornacibus assimilis, crassa ad ulnas quinque. Quintò, apparet argilla pingvis, coloris cinerei, contegens Ætitas Mineræ Ferri inclusos, habentes nucleos lapideos albescentes, cortici firmiter adhærentes, in ordines tres dispositos, argillæ eidem permistos, cujus series transversa prima, Pol. *Warsta*, ulnarum novem non attingit crassitudinem, secunda quartæ partis cubiti, tertia longè tenuior primâ. A fossoribus iidem lapides martiales appellantur lingvâ vernaculâ *Wybieraki*, id est selecti, *Plaskury*, id est plani, simulque illorum cortices & nuclei traduntur igni, ut Ferrum prodeat in Officinis. Quòd agitati non edant sonum, nihil obest, ut Ætitæ denominentur, nam in *Aldrovandi Musæo Metallico*, species prima Ætitarum ovalis figuræ, lapillum interiorem ita arctè complectitur, ut sonus non percipiatur. Distinctam Ætitarum speciem constituunt nucleo à cortice non separato, aut si placet dicere, inchoatos seu imperfectos, nondum planè maturos Ætitas esse. Nec enim Geodæ propriè possunt vocari, quorum characteristica est *Boetio de Boot*, *de Laet*, *Baccio in Gemmis*, non nucleus lapideus, sed ex terra, vel argilla, vel arena, vel marga constans. Contrarium tenet *Kircherus Mundi Subterr. lib.* 8. *sect.* 3. *cap.* 6. dum ait, terra si fuerit intus mobilis & sonans in lapide, jam non Geodes, sed Ætites vocatur. Appono alterum locum continentem Ætitas, in fundo pagi *Stara-ruda* Palatinatûs Sandomiriensîs, ibi eruuntur hi lapides oblongi, alii pyramidati ex basi latiore tendentes in apicem, sonantes si agitentur.

VI. MONS SITUS ad *Gregorzowice* pagum, vicinus Oppido *Stupia*, & Monti Sacræ Crucis, in Palatinatu Sandomiriensi, operitur arbusculis variis, mineram tegit, ex qua sola

sola, Chalybs modicus prodit, si igni tradatur, si verò alteri deteriori mineræ permisceatur, Ferrum copiosum, præstans, flexile, prodit, in Officinis pluribus. In ejusdem metalli venis, post decem, plùs, vel minùs orgyias reperibilibus, est terra lutea, rubra, & alba, Ceruſſæ similis, quæ à nobis *Bleiwas* denominatur. Includunt mineræ Geodas grandes, habentesque nucleum argillaceum immobilem seu non sonantem, ad speciem tertiam referibiles, authorum plurium opinione, id *Aldrovando in Musæo Metallico* innuente.

VII. MONS DICTUS KAMINSKA GORA, seu *Pieprzowa* impendens Vistulæ prope Sandomiriam, fert terram ponderosam ac fissilem, in ejus montis superficie, Auditores Eloquentiæ duo, Auri indagandi cupiditate ducti, invenerunt anno 1729. mineram tenuissimam assimilem capillis coloris lutei, hanc dum artificio rudi ollæ iniecerant, applicuerant igni, prodiit Æris particula, missa est mihi Sandomiriâ, Veneris flos dicenda. Ex occasione ejusdem montis gramine modico tecti, observationem pono *Scheuchzeri in Itinere Alpino II.* expositam: pascua montibus nonnullis metalliferis superiecta sunt fertilia admodùm, & herbarum proventu ditissima, quæ, in Saxonia, & Hungaria, sæpenumerò sterilia, torrefacta à metallicis exhalationibus, apud nos autem non ita videntur abundare metalla in imis visceribus montium, & qui sursùm vehuntur halitus, ob interiecta crassissimorum saxorum strata, retineri, ne incremento vegetabilium obsint. Mons ad Haliciam, in Russiæ Palatinatu, inopinatò delapsus, Templum, & quadraginta ligneas domos, unà cum incolis, traditur quondam involvisse ruinis. De montium plurium casibus, *Wagnerus in Hist. Naturali Helvetiæ* videatur. Mons Palatinatus Kiovienſis, in fundo pagi pertinentis ad Capitulum Vilnense, dat aliquando lapillos cæruleos cum venis colorem auri referentibus. Mons Cergovienſis vicinus Oppido *Dukla*, in Terra Sanocenſi, observatur edere sonitus in cavitatibus, fumos emittere, pluvia imminente, dicitur & ventos emittere ex profundissima fovea.

VIII. FONS, Pol. *Zrzodło*, *Zdroy*, est origo aquæ perpetuò scaturientis & prodeuntis in apertum. Salubritas fontium ex puritate, pelluciditate, levitate, agnoscitur. Si fontem spectes pellucidum, nec musco, nec junco circumseptum, sordibus non inquinatum, certa exstant indicia tenuitatis atque salubritatis. Aquæ sinceræ, simplices, hæ dicuntur, quæ carent omni sapore & odore, quæ valde leves, ac ad naturam aquæ pluvialis, vel destillatæ accedentes, potui in primis idoneæ. In toto Regno Poloniæ, fontium dulcium, salubrium, gelidorum, magna est copia. Singularem continere fontem pagus *Starzyska* in Terra Leopolienſi traditur, qui ex hiatu petræ erumpens, Truttas fert secum, easque gustui multùm svaves, in piscina deponit. Alter fons, in *Białobrzegi* villa Russiæ Palatinatus, abundat Cobitibus seu Mustelis minimis fluviatilibus, (quæ Polon. *Slize*, *Slizyki*) vere, æstate, & autumno. Utrique fonti fluvius aut rivus suppeditat dictos piscículos, per meatus subterraneos.

IX. FONS ACCENSIBILIS, unâ & dimidiâ leucâ dissitus à Civitate Crosna, descriptus *à Tylkowski Physica Curiosa Part. 9. cap. 34.* continet aquam talis coloris, qualem pluvia diutiùs in vase detenta exhibet. Dicitur, in balneo contravenire his morbis, qui oriuntur ex oppilatione, uti sunt spasmi, epilepsiæ, apoplexiæ. Dum distillatur, fit purissima, supernatans aliquod habens simile oleo, odor manet, & ingravescit. Post distillationem, dum fæcum fit evaporatio, exhalant gratam aciditatem, ipsæ verò quasi squamosam exhibent ferruginem, quæ ubi est calcinata, rubeum quid profert. Eadem aqua in sua cisterna accenditur quacunque flamma, quæ quidem diebus ante lunam plenam, rapitur fundum versùs, inde per aquam erumpit, post plenilunium, fere solùm in iis locis spectatur, in quibus aqua bullit, & in altitudinem duorum, vel trium pedum, flamma attollitur, neque exstingvi potest, nisi tota aqua turbetur. Fons propè Crosnam præfatam, inter pagos *Turaszowka*, & *Potok*, instar piscinæ parvæ, ad ulnas quinque aut sex in longum & latum protensus

tenſus continet aquam bullis ſalientem, non effluentem, illi pinguedo nulla ſupernatat, ſed ſpumæ accenduntur, brevi exſtingvuntur accenſæ. Si verò limus infixo baculo moveatur in fundo, erumpunt bullæ, ſupra aquam, promptiùs ignem concipientes. Plenilunii tempore, fons idem attollitur, in Novilunio diminuitur, odorem quaſi ſulphureum ſpargit; ſi aſſumatur ad potum, ulceribus corpora deturpare traditur à villanis. Fons ignem concipiens, formam lebetis exhibens, attollens ſe in bullas ſemper, effluens nunquam, agenti iter Crosnâ ad *Fryſztak* Oppidum, offert ſe in planitie, non procul à via publica. In Palatinatu Cracovienſi eſt fons, cujus aqua maximè frigida, huic ſi fax accenſa admoveatur, ingens flamma excitatur, ut ſolet è ſpiritu vini, quæ ſcopis ſuper aquæ ſuperficiem celeriter ductis exſtingvitur, relicta viſa eſt per annos integros perſeverare. Ejusmodi fontes fæti ſunt tenuiſſimis purioris bituminis partibus, quæ propter ſummam tenuitatem, facilè in àérem evolant, & mirùm non fit, ſi quoties ignis admovetur, tam facilè inflammentur, ut ſolent lucernæ, & faces recenter exſtinctæ, & adhuc fumum fundentes. Miſtione bituminis illæ aquæ ad variorum morborum curationem ſunt utiles. Halitus bituminis in illis aquis contineri convincitur, quia ſi evaporentur, in fundo bituminoſum corpus relinquunt, qui in fundo illorum fontium reperitur, eſt bituminoſus. *Bayle Tomo II. Inſtitutionum Thyſicarum.* Præmonet *Reinzer in Meteorologia*, ſi ab Hiſtoricis traduntur fontes arſiſſe, non aquas ardere exiſtima, ſed materiam aquis mixtam, in ſe ignem fovere, quem exſtingvere non valent undæ, quia ſpiſſitudinem materiæ ignem recipientis nequeunt penetrare. Sic camphora ſupra aquam ſparſa, quovis candelæ ardentis igne poterit inflammari.

X. FONTES PROCELLOSI ſeu qui commoti excitant pluvias an dentur? quærit *Kircherus Mundi Subterr. Part.* 1. *lib.* 5. & reſpondet ibidem: non omnia vera eſſe, quæ vulgò narrantur, nec facilè fides adhibenda. Quòd lacus in Bohemia, propè pagum *Volpako*, alter non procul a villa Schittenhof,

hof, ad injecta quævis mire efferveſcit, in Epiſcopatu Tridentino pluvias accerſit, prope Lucernam Helvetiorum, eosdem effectus præſtat, ad exhalationes immiſtas aquis copiosè, quieſcentes priùs, motu autem illo excitatas, ſunt, qui devolvunt. Fons æſtate frigidiſſimus, milliari medio diſtans à pago *Htumcza wielka* Poleſiæ Polonæ, in ſiccitate impediente ubertatem agrorum, vehementiùs dum commovetur, pluviam dicitur provocare. Idem mihi teſtati incolæ illius loci, experientiam crebram allegantes, pro ratione.

XI. FONTES TEMPORARII vocantur illi, qui certis anni temporibus copiosè proſiliunt, aliis, fluere ceſſant. Tales in Podolia dari, adſunt, qui referunt. FONTES PRÆNUNTII SERENITATIS, & TEMPESTATIS, in pago *Sklo* vicino Javoroviæ, inter Leopolim & Jarosloviam. Ibi fons unus medicatus, odorem ſulphuris à longè ſpargens, ex collis radice defluit, alter inferior qualitatis ejusdem, è terra exſilit, uterque dum cælum minatur pluvias ſtagnat, dum àer ſerenus imminet, bullit, & aquas ejaculatur. Iidem fontes, ante annos non multos, aquam omnem amiſerant, per biduum. Hæc ex relatione curam habentis aquarum illarum, per quadraginta annos, & ultrà.

XII. AQUÆ BITUMINOSÆ participant de Bitumine, quod eſt ſuccus quidam pingvis, tenax, & terreſtris, *Charletoni in Foſſilibus*, eſt pix terreſtris, German. Erd-Pech. Bituminis vocabulo intelligit *Caſius in Mineralogia*, ſuccum admodum pingvem & calidum humoris oleacei, alendo igni aptiſſimum, cujus natura ſulphuri eſt vicina. Triplex Bitumen *Bauhino in Hiſtoria Fontis Bollenſis*, primum liquidum, ut oleum, ſecundum craſſum, & quaſi limi ſpeciem referens, tertium durum, ac ſolidum. Bitumen liquidum, Malta aliis, Germ. Berg-Theer, inquit *Valentini in Prodromo Hiſtoriæ Nat. Haſſiæ*, è montibus profluit, carpentarii eâ, locò axungiæ, rotas inungunt. Fontes bituminoſi emittentes bitumina liquida, *Teichmeyero in Elementis Philoſoph. Natur. Experimentalis*, ſunt duplicis generis, aut enim tantùm Olea vehunt, aut

Oleum

Oleum simul cum aqua ad fontium exitus defertur. Dum enim ab igne subterraneo Petroleum distillatur, vel funditur, hoc insimul postea cum aqua miscetur. PETROLEUM seu Oleum petræ, *Blancardo in Lexico* Axungia Macrocosmi, juxta *Werdries in Physica*, sub terra fluit, per saxa & petras transsudat, atque inde in fontes defluit. Ejusdem sensus est *Ramazzinus*, vi ignium subterraneorum, Petrolei generationem adscribens, qui in rupis ventre, tanquam in furno chimico, bituminosam materiam, quâ solum illud abundat, fundunt & colliquant, hæc postmodum unà cum aqua, sub olei forma, defluit. Et *Bayle in Institutionibus Physicis*, idem Petroleum, Germ. Stein-Oel, appellat bitumen liquidum effluens vel solum, vel cum aqua fontium, à qua deinde separatur A *Wedelio in Dissertatione Medica*, dicitur esse Oleum minerale bituminosum, inflammabile, flavum, vel rubellum supernatans aquis, in doloribus ac contracturis articulorum à frigida intemperie juvans. Est usus quoque illius, in strumis, scrophulis, tumoribus, subluxationibus, & similibus. Candidum Petroleum, *Sennerto in Epitome Naturalis Scientiæ*, præstantissimum est, flavum, rubrum, nigrum vilius. Lithantraces seu massæ lapidosæ Petroleo concreto refertissimæ, quod ex illis etiam destillatione, in forma liquida obtineri, & Petroleum factitium vocari solet, *Werdries in Physica* testimoniô. Eidem Naphtha est species Petrolei purior, in Regno Babyloniæ, cum rivis subterraneis in fontes magnâ copiâ confluens, cum autem valde subtilis & halituosa sit, effluvia inflammabilia latè dispergit, quæ si accendantur, instar pulveris pyrii dispersa, ignem ad Naphtham satis adhuc remotam deferunt, ut Naphtha è longinquo flammam quasi attrahere videatur. OLEUM TERRÆ est pellucido-rubicundum, odoris fortis, Petroleum æmulantis, sed gratioris. Idem Oleum *Valentino in Aurif. Medica*, non de saxis, sed è terra scaturit, indeque in rivos se effundit, gratum odorem habens. Ante paucos annos, ex India est allatum, ubi ex monte quodam, teste *Blancard in Lexico*, effluit. Bitumen in Pokutia innatans aquis,

vernaculè *Ropa* vocatum, ex verbis authorum supra adductorum, infero esse Petroleum, vel ejus speciem, sensu *Fernelii in Methodo medendi*, calidum, penetrantem, siccantem, materiam frigidam omnem, in quavis corporis parte absumentem, paralysim, spasmum, nervorum, articulorum, renum, vesicæ, dolores submoventem, uteri frigidioris affectus solventem. Colligitur in aquis ad radices montium se protendentium longè *à Kałuszą* Oppido Russiæ Palatinatus. Inter Crosnam & *Odrzykon* Arcem, aquæ stagnantes, nec profundæ ferunt subnigram pingvedinem, quæ assumitur à sutoribus ad coria emollienda. Aquæ bituminosæ potæ noxiæ sunt, *Conringio in Disputatione Philosophico-Medica de Aquis*, externè usurpatæ pollent vi exsiccandi humores superfluos, ideoque morbis, ab intemperie humida ortis, commodè adhibentur, nihilominus tamen oculis nocent exhalationibus suis.

XIII. AQUÆ SULFURATÆ non omnes sunt salubres, multarum enim sapor horrendus, & odor gravissimus, indicant illorum usum noxium esse, sive bibantur, sive sumantur in usum balnei. Plurimi tamen sulphurati fontes corpori prosunt calefaciendo, & exurendo humores vitiosos. Falsum est *Fallopio de Thermis* ajenti, quòd omnes Thermarum aquæ saporem Sulfuris habeant, id tamen verum, quòd ubicunque sunt Thermarum aquæ, adsunt vapores fuliginosi & exusti ferentes odorem Sulfuris, sed hoc non indicat, in aquis illis contineri Sulfur, provenit odor ab exustis vaporibus, cujus rei signum est illud, quod arbores fulmine ictæ edunt odorem Sulfuris. Aquæ sulfuratæ calefaciunt, nervos emolliunt, resolutis, convulsis, tremulis, contractis peridoneæ, scabiem, ulcera, sanant, lentigines tollunt, vitiligines emendant, &c. Non procul à Salisfodinis Bochnensibus & Vieliscensibus effluunt Fontes Sulfurei. *Broscius in Præfat. ad Salinas Vieliscenses.* Ropa fluvius Civitatem *Biecz*, in Palatinatu Cracovienſi præterfluit, in eo spumæ, ex quibus Sulfur conficitur, colliguntur. *Guagninus Rerum Polonicarum Tomo II. Sarnicki in Descript. Poloniæ, &c. Froelichius in Medulla Geographiæ, Zeilerus in Nova De-*

Descript. Regni Poloniæ. In Regione montana, *Humenne* Urbs spectat ad Regnum Hungariæ, ejus Suburbium sub jurisdictione Polona manet, ibi de fonte profluens rivus, traditur multùm Sulfuris continere nigricantis coloris, post vim ignis admotam albescentis. Ex talibus, & similibus fontibus limus depromitur, cujus præstans est usus ad roboranda membra, si illi immergantur. Qui, in Polonia, sæpe occurrentes fontes & scaturigines Sulfur olentes, Sulfure vero abundant, aut nonnisi vapores seu halitus adustos, odoris sulfurei ferunt, relinquo experimentis. AQVÆ NITROSÆ, juxta *Agricolam*, pituitam trahunt, strumarum tumores minuunt, nervorum vitiis prosunt, juxta *Conringium in Disputatione de Aquis*, renum malo medentur, calculos atterunt, scabiosos mundant. In Camenecensi Urbe Podoliæ, prope Contubernium Musicorum, nitrosa aqua extrahitur, opinione aliquorum. In Litvania sunt Aquæ nitrosæ, quæ facilè apparent, nam si Oleum tartari per deliquium, aquæ ejusmodi immittatur, statim Nitrum præcipitabit, quod ex fundo vasis collectum gustu suam præsentiam prodit. *Helwing Lithographiæ Angerburgicæ Parte 2. pag. 73.* AQVÆ ALUMINOSÆ valde adstringunt, disenteriâ correptis optimè medentur, inflammationes, & ulcera sanant.

XIV. AQVÆ LAPIDESCENTES, quæ sensu *Schirlæi in Dissert. Philosophica, Causas lapidum in Macrocosmo, explicante*, virtute atque operatione seminis petrifici convertuntur in lapides, in Scepusio etiam *à Sturmio* ad Rauschenbach Oppidum, ubi fonti parvo injecta ligna lapideo cortice obducuntur, effluens aqua mutatur in lapidem album & durum. Meminit ejusdem fontis & *Behamb in Notitia Hungariæ Antiquo-moderna.* Alter fons propè Kirchdrauff Oppidum, in monticulo adjacente viæ, ebullit quasi igne appositò agitatus, vix tamen ad passus viginti currens, statim penitus lapidescit. Ex aqua lapides facti, ait *Froelichius in Memorabilium Rerum Hungariæ Calendario*, sunt meré Tophi, raritate non dissimiles Pumicibus, qui sunt lapides erosi, spongiosi, cavernulis

nulis seu foraminibus pleni. In eodem Scepusiensi Tractu, *referente* Reinzer *Meteorologiæ authore*, domus amplæ è lapidibus aqueis sunt erectæ. Ibidem pavimenta parantur ex aquis in lapidem durescentibus. De Fontibus lapidescentibus *ab Heer in Spadaer. cap. 2. pag. 9.* videatur, & *Scheideri Dissertatio de Fontium Lapidescentium natura.* Ad *Suprunkowce* villam Podoliæ, aqua ut in soliditatem lapidum abeat, antea mihi facta relatio à veritate est aliena. Existimo tamen aquas plurimas verè inveniri, in nostris regionibus, sed non notari, in quibus immersa ligna, ramenta, &c. crustam tartaream lapideam acquirunt.

XV. AQUÆ PETRIFICANTES seu infectæ petrifico succo, (qui *Kirchero* est humor quidam optimè elaboratus & coctus, ex lapidosa materia genitus) in lapides ligna, cæteraque indurant, forma manente eadem. Oppidum *Zywiec* versùs, non procul à *Malawa* pago Palatinatus Cracoviensîs, ligna Aceris albi sive Orni, soliditatem, gravitatem, duritiem, & durationem lapideam in aquis assumere, cotisque vices obire, traduntur. Et in aliis locis impetrita ligna sæpius reperiuntur, petrefactio autem corporum, juxta *Morton in Hist. Naturali Northamtoniæ*, non fit à virtute aliqua petrifica, quæ aquæ insit, sed quod aqua permeans strata terræ, hinc inde dispersa corpuscula lapidosa secum abripit, quæ simul cum aqua in fontes, vel cavernas delata innatant aquæ, usque dum corpora offendant, quibus vel intimè immiscentur, vel in quorum exterioribus poris & meatibus hæreant. Fluviorum & lacuum lapidifacientium historiæ *à Majolo lib. 4. pag. 437. à Sachs in Dissertat. de Miranda Lapidum Natura*, recensentur. Selectiores quasdam Petrificationis historias *Schirlæus in Dissertat. explicante Causas Lapidum in Macrocosmo* enarrat, naturam petrificationis exponit, saxeo seu petrifico semini in aquis contento, quòd vapor est ad invisibilitatem usque subtilis & purus, eam attribuendo.

XVI. AQUÆ BULLIENTES seu quæ etsi frigidæ sunt, tamen veluti in aheno succenso moventur, propter erum-

erumpentes ſub illis halitus, vel cauſam aliam. Præter alios alibi plurimos, ſpectatur fons bulliens *in Komorsk* pago Culmenſis Palatinatus, in fundo villæ *Bobrowo*, proximè lacum, qui & lapillos ejicit, & confeſtim reſorbet, in Caſſubia ad pagos *Reda*, *Kartoszyn*, prædium *Nowodwor*, in Palatinatu Pomeraniæ, ad *Kleszczewo*, prope Civitatem Conecum, Portam molendinariam versùs, in Roxolonia, non procul *à Bilgoray* Oppido, in Volhinia ad *Miedzyrzÿc* vicinum Oſtrogio, ad *Hulcza* villam, & *Andruszowka*, ubi non ſolùm arenas propellit turbidus, aſt & injecta ſaxa, cæteraque gravia, reddit. Fontes accenſibiles, vicinique Crosnenſi Urbi, ſupra ſub numero IX. deſcripti, aquas bullientes, quæ ſunt inſanæ dictæ, continent, nam cum ſint frigidæ fervere videntur, neque extra marginem profluunt.

XVII. AQUÆ MEDICATÆ ſeu variis affectionibus corporum remedium efficax adhibentes, aliæ calidæ, frigidæ aliæ, inter has mediæ ſeu tepidæ. Thermæ vocantur propriè calidæ aquæ minerales è terra proſilientes, natæ ad ſanitatem tuendam, aut amiſſam recuperandam. Frigidæ ſi calefiant, uſurpenturque in balneis, ægris medicinam propinant. Cauſa caloris in Thermis obſcura eſt, ſunt, qui eam lapidi cuidam calcario attribuunt, qui aquæ affluxu perfuſus, perpetuò candescens calorem aquæ jugiter transeunti inducit, ſed calor inde ſi fieret, non eſſet perennis. Opinione *Woodwardi in Specimine Geograph. Phyſicæ*, Thermæ ſeu fontes calidi non oriuntur ex lucta & effervescentia mineralium, uti existimârunt nonnulli naturæ ſcrutatores, verùm debent calorem ſuum ipſi igni ſubterraneo, nec aquæ hæ ſolùm, ſed fontes quivis alii certum quendam continent caloris gradum, non enim rigidiſſimo licet frigore perdurante congelaſcunt. Hujus rei luculenti teſtes ſunt, tot calidarum aquarum ſcaturigines, propè Ætnam, Veſuvium, Heclam, & omnes reliquos ignivomos montes. Sulfur Thermis focum, & nutrimentum præbere, *Valentini in Prodromo Hiſt. Natur. Haſſiæ*, affirmat, alii aliter ſentiunt. Notitia Aquarum medicamentoſarum, haberi

potest *ex Fallopio*, *Baccio*, *Sebizio*, *Bauhini Fonte Bollensi*, *Listeri Dissertatione*, *Vicarii Hydrophilacio Novo*, *ab Heers Fonte Spadano*, *du Clos Observationibus*, *Hoffmanni Opusculis Physico-Medicis*, *de viribus*, *utilitate*, *usu*, *Fontium Medicatorum*, cæterisque multis scriptoribus. Aqua mineralis *C. Bartholino in Tractatu de Aquis*, est, quæ à simplici & vulgari differens, cum aliqua minera subterranea conspiravit, tinctaque est vel spiritualiter, vel mista corporaliter, & utriusque commercii consors. Aqua metallica dicitur, quæ est infecta metallicis venis, Auri, vel Argenti, vel Plumbi, &c. De modis probandi Chimicè Aquas minerales, præter *C. Bartholinum*, non pauci edidere Tractatus. De modo, quô mineralium virtutes aquis subterraneis communicantur, *Horstius in Tractatu de Natura Thermarum*, quæstionem resolvit. Ante alios *Plinius* ait: tales sunt aquæ, qualis terra, per quam fluunt. Ad vim medicam fontium, multùm conferunt & herbæ, per quas aquæ labuntur. In Scepusio Polonæ dominationi subjecto, vicus *Felso Rusbach* seu Ober-Rusbach fontem habet salutarem, hic svavi, eoque perenni murmure tantùm aquæ tepidæ fundit, ut infinitis cadis sufficiat. Calefacta transfunditur in vasa balnearia, propter illos, qui morbos volunt depellere, & id plerumque efficacitate præsentanea advertes fieri; propterea frequens hîc peregrinorum numerus. In eodem Scepusio Fons Leibitzensium, vi medendi pollet, perperam à vulgo dictus sulfureus. Ita *Belius in Prodromo Hungariæ*. Fons, non magno spatio distans à *Podrac* Slavis, *Podogrodzie* Polonis, tenet limpidam aquam, quæ dum lebetem æneum intrat per canales, ibique calefit, lactis colorem sumit, in fundo vasis relinquit massam quasi lapideam, spinæ dolores aufert, phthisicis prodest, labefactatum appetitum restaurat, aliosque morbos corporum curat, si assumatur ad balneum. Propinquus fons pago *Rapka* Palatinatûs Cracoviensis, in loco *Stone* nuncupato, strumas seu gulæ tumores minuere traditur, si ex eo haustæ aquæ bibantur, tempore definito. Fons villæ *Zwierniki*, in Sandomirienſi regione, fert contra morbos varios opem.

Flu-

Fluvius *Smerdynia* in Bonis *Principum Radziviliorum* positis per Litvaniam, originem habet à Fonte olente Sulfur, ad quem, antiquis temporibus, homines accurrebant, morbos tollendi causâ, succeſſu temporis, neglectæ ſunt iſtæ aquæ, nunc interdum viſitantur ab aliquibus. Ad *Czarnyoſtrow* Palatinatus Volhiniæ, fons unus potus dicitur movere alvum, alter vicinus ſiſtere. Podoliæ pagus *Ladyczyn* continet aquas fontanales, quæ ſolvunt obſtructiones, vomitus cient, pedum dolores amovent. Fontes, oculorum nebulas & caliginem detergentes, vigorem reſtituentes, exſtant non pauci, inter quos celebris in Maſovia, prope Viſſogrodum. Lacus exiguus à Ruſſis *Woſzowoboloto* denominatus, eſt in tractu Pokutienſi, *Tłumaczo Gwozdcium*, cui, ſi quis laborant phthiriaſi ſeu morbo pediculari immergatur, pediculis totus circumdatur, & ſanatur. In Curlandiæ pago diſtante milliaribus tribus à Mitava Urbe, ad Reſidentiam Patrum Soc. Jeſu ibidem ſubſiſtentium ſpectante, ſunt fontes duo qualitatis diverſæ, in uno ſi laventur pedes, vel aliæ corporis partes, exulcerantur, ſanantur in alio

XVIII. ACIDVLÆ ſeu Fontes ſoterii, Pol. *Kwasne wody*, ad Aquas medicas referuntur. Pervulgata, & per manus quaſi tradita, aſt erronea opinio inhæret mentibus, inquit *Hofmannus in Tractatu de Convenientia Elementorum, ac virium in Thermis, & Acidulis*, dici Acidulas ab acido, quod ipſis inſit, quum tamen nullus fons ullibi reperiatur, qui more acidorum, cum alcali ebulliat, lac coagulet, & ſulfuris ſolutionem præcipitem det, ſed omnes potiùs Acidulæ, quod nemo ante nos obſervavit, ſal alcalinum è diametro oppoſitum acido, obtinent. Idem, *in Opusculo de Aquis Medicatis per artificium parandis*, repetit eandem ſententiam: ex Acidulis ubicunque ſcaturiant, non vitriolicum ſal, ſed alcalicum educitur arte phyſico-chimica. Fontium talium magna diverſitas eſt, quare ſeriò perpendendum, ait *ab Heers in Spadaer.* ex quali fonte, quantùm, quo tempore anni, quâ hora bibere debeas, necniſi conſulto Medico, Acidularum perito. De Acidulis,

præter alios plures, scripsit *Sebinus*, arcanum *Giurus* prodidit, Principiorum Chimicorum disquisitionis auxiliô, in quo communis opinio de Aquarum mineralium aciditate convellitur. Magnus est numerus earundem aquarum in Polono Scepusio. Prope Arcem *Lubownia*, *in Krompach* tractu, judicio aliquorum, Acidulæ bonitatis mediocris, in Sylva Lubounienſi utilitatis magnæ, penes *Kamionka* pagum, laudantur à plurimis. Leckovienſes Acidulæ quàm ſint præſtantes, teſtatur Sacellum *à Splinio Generali Militiæ Cæſareæ* exſtructum, & inſcriptio inciſa lapidi, ibi enim viſum amiſſum ille receperat. A Sacello præfato, paſſibus quingentis aut ſexcentis diſſitæ aliæ Acidulæ, multùm celebrantur. Extra Oppidum *Druzbak* Acidulæ ſunt in uſu frequenti, *in Muſzyna*, *& Krynica* pagis Epiſcopatûs Cracoviensîs, proſunt potantibus, inter Crosnam Urbem, & Hungariæ confinium, ad *Hołoszyce* villam, commodo ſunt accedentibus.

XIX. AQUÆ NOXIÆ STRUMAS EFFICIENTES hîc exponuntur. Struma ſeu Scrofula, Bronchocele, eſt tumor magnus in gutturibus. Cur autem hæ aquæ à Germanis Kropf-Waſſer dictæ hos effectus præſtant, aſſignantur cauſæ *à Bartholino lib. 1. de Aquis*, *à Fabro Hydrograph. Spagyr. cap.* 18. & aliis. Aquas Alpium, ait *Langius Epiſtol. Medicarum lib.* 1. non propter nivem, ſed propter admixta metalla, per quorum venas, aquarum ſcaturigines emanant, in primis Mercurium, tumores in gutture excitare. Hydrargyrum enim non modò pituitam ab infernis partibus ad colli glandulas & caput regerere, ſed etiam congeſtam in capite, ad partes capiti ſubjectas, cervicem, guttur præcipitare. Hinc etiam artifices inauratores, qui Mercurium tractant, hoc morbi vitium paſſos, fidem facit *Severinus lib.* 4. *de Recond. Abſceſſ. Nat. cap.* 6. Scrupulum movet *Sennertus Prax. lib.* 2. eumque ſecutus *Beverovicius in Theſauro Sanitatis*, quòd in Hungaria & Tranſylvania, atque alibi, in magna copia Mercurius proveniat, ubi morbus ille non eſt. Generans aqua ſtrumas ſubjecta eſt examini in Sileſia, inventaque eſt limpida, ſaporis & odoris

ferè

ferè nullius, referente *Adolphi in Disceptat. Physico-Medica de Incolatus Montani Salubritate*, ex decoctione verò & evaporatione, pingvis, & ex nigricante flavescens limus est relictus, acrem constringentemque lingvæ relinquens saporem. Affirmat *Scheuchzerus in Hydrographia Helvetica*, quòd ii podagra, & calculo nunquam laborant, qui vescuntur ferculis incoctis simili aquæ seu causanti tumores. In Montanis, fluviorum *Raba* & *Zołna* accolæ plurimi monstrosi gutturones. Pagum *Jelesnia* versùs, in Palatinatu Cracovienſi, multorum guttura, aquarum, quas bibunt viliô, adeò protenduntur, ut instar sacci pendeant. Lacus *Przeroste* villæ in Pokutia, aquam limpidam continet, sed in bibentibus hernias gutturis producentem. Similem aquam crebrò invenies, in regione eadem, circa *Nadworne* Oppidum, in Palatinatu Cracovienſi circa *Sonez*, & alibi ad radices montium. Quòd è Christianis parentibus filii serie non inetrrupta, hoc est, nullo fæmineo fætu intercedente, septimo loco nati strumas contactu curant, *Delrius in Disquisitionibus Magicis*, *Schottus Parte 4. Magiæ*, existimant, virtutem hanc supernaturalem, gratiamque gratis datam esse, vel ob honorem conjugii inter Sacramenta septem relati, vel ut ait *Fullonius*, ob pretium Septenarii numeri, quem in Testamento veteri Septem Sancti Fratres Machabæi virtutibus suis consecrarunt, præsertim natu minimus seu septimus, cujus specialem in sustinendo martyrio generositatem, DEUS hac prærogativa in omnes septimogenitos diffusa præmiasse credi potest. Tradit *Author Compendii Medici Lublini impressi*, quòd in Pokutia, etiam plicas seu capillorum complicationes aquæ nonnullæ generant in potum sumptæ. Si quando carnes aquis elixantur, rubescunt valde, tinctura inde contracta indicio est, multorum opinione, lymphas illas Vitriolo, aut alius generis Sale, nonnihil imbutas esse.

XX. AQUÆ SANGVINEÆ vulgi opinione, seu proversis in sangvinem habitæ, interdum visæ. Piscinæ duæ in colorem sangvinis mutatæ, in Prussia, una *Tesemdorfii*, altera

Muntavia, quæ major dicitur, non procul à Civitate Mariæburgensi, tertia in Nidau pago. *Holstius Miscellaneis Berolinensibus insertus.* Origo aquæ ejusmodi, ab eodem *Holstio* & *Neumanno* refertur ad putredinem, vi cujus colores omnes, imprimis verò rubicundus, generari possunt, & in putrefactis Metallifodinarum lacunis, idem color conspicitur, &c. Licet *Munsterus in Cosmographia* referat sequentia: Vistula, an. 1572. per triduum sangvinis rubore tinctus fuerat, & postquam ad consvetum colorem rediit, horribilis terræ motus Torunii in Prussia, hora nona vespertina est ortus, cum procella, grando ponderosissimè decidit, cum strage multorum hominum, tamen *Zernecke in Historia Torunensi*, se *in M.SS. Torunensibus*, rei istius memoriâ dignissimæ, ne ullum quidem vestigium reperisse testatur. Aquis sangvinem repræsentantibus, (nam locus non est commodus alius in hoc Auctario) pono sequentia: in Nova Civitate, prope Neo-Corcinum panis siligineus scissus, aut manu compressus emittebat succum coloris sangvinei, buccellæ plures ejusmodi Cracoviam sunt delatæ ad spectaculum. Ratio naturalis assignatur *in Opere I. pag.* 367.

XXI. AQUÆ SALSÆ seu Salsulæ fontanales, lacustres, & puteales, sententiâ nonnullorum, à terræ salsugine, quam decurrunt, & ab exhalationibus adustis, quas recipiunt, salsedinem trahunt; harum quædam largiùs, quædam parciùs salsilagine sunt imbutæ, inde major, vel minor proventus Salis factitii. *Snellen in Dissertat. Physico-Chimica de Sale communi*, ex salsis fontibus, hi acrius, hi debilius Sal edunt, hi plùs materiæ terrestris, hi minùs coctione deponunt, hi cum additionibus, hi absque eis se excoqui sinunt. Modum conficiendi Salem exponit *Agricola de Re Metallica, lib.* 12. edocent alii, qua arte est exploranda salsuginis copia. Aquæ salsæ, Germ. die wilde Wasser, hoc est Aquæ feræ, Pol. *Surowice*, extractæ saccis de coriis boum paratis, per canales ad Officinas salinarias *Wieze* nuncupatas decurrunt, cortinas ferreas aut æneas, Germ. Pfannen, Pol. *Panwie*, non profundas, nec latas, sed

ſed longas implent, coquuntur tamdiu, donec materiâ aqueâ conſumptâ, ſalſugo ſeſe colligat, atque condenſet in ſalem candidum, mollem, externa ſpecie ſaccharo ſimilem, ad culinarem uſum aptiſſimum. In *Stara-Sol & Drohobycz* Oppidis, Terræ Premislienſis, locisque aliis, aquæ ſalſedine multa ſunt imbutæ, denſæ, coloris albeſcentis, quibus aqua ſimplex affunditur, in ordine ad coctu̇ram. In Terra Sanocenſi Palatinatus Ruſſiæ, eſt pagus *Krecow*, in eo aqua ſubrubra ſalſedinem continens dum excoquitur in grumos abit, vocarique *Gradowka* poteſt. In Terra eadem aqua purpuraſcens in ſalem abit coloris ſimilis, talis ne erumpat, ovis injectis dicitur adimi. Excoctus Sal in Oeconomia Samborienſi, mittitur etiam Varſaviam, Torunium, Bidgoſtiam, diſtribuitur Nobilitati. In fundo vaſis illius, in quo vi ignis Sal præparatur, maſſa quædam ſubſidet, ibique in lapidem quaſi indureſcit, animalibus proponitur ut inde ſalſuginem lambant, argentarii fabri ejusdem ope, vaſa argentaria excoquunt, atque purgant. Invenitur idem Sal ad Oppidum *Katuszа*, in pagis, *Petranka*, *Wierzbie*, *Bohoroczany*, *Laſzki*, *Potoczek*, &c. ab operariis Ruſſicè *Zwaryczе* vocatis elaboratur. Tonna Salis emitur ibi, & alibi, Germanicis groſſis quinque, Polonico floreno uno, ſi non eſt emptorum copia: centum portiones efformatæ in columellas (Ruſſis *Huſek ſotce*) comparantur Germanico ſemigroſſo, vehuntur in Poleſiam, Litvaniam, Volhiniam, & Ukrainam. Scaturigines, Salis particulas continentes obſervatæ in Litvania, & examinatæ, *Helwing Lithograph. Angerburgica Parte* 2. teſtimoniô. Ad *Stokliszki* Oppidum Palatinatûs Trocenſis, Sal ex puteali aqua olim excoquebatur, hodie negligitur. De aqua ſalſa, quaſi puteo incluſa, ad *Koło* Oppidum Palatinatûs Caliſſienſis, de altera dicta *Słoniawy*, in vicinia Oppidi *Szubin*, aliisque aquis ſimilibus, an coctione Sal poteſt extrahi, eſt mihi incompertum, ſunt enim fontes, parùm habentes Salis in ſubſtantia, ſed ut ait *Tabernamontanus in Theſauro Aquario*, Salem ſpiritualem continentes, ventriculo pituitoſo ſubvenientem, concoctionem adjuvantem, ob-

obstructiones renum, & vesicæ tollentem, pellentem calculos, & arenam.

XXII. AQUÆ SALSÆ LACUSTRES, *ab Herodoto lib. 4. à Cromero, Pol. lib. 1. à Thuano lib. 55.* memoratæ, fusius hic describuntur, gratiâ notitiæ plenioris. Hæ extra Regnum Poloniæ, non procul ab *Ilmen* lacu Geographis, Russis *Liman*, & Ponto Euxino, in lacubus minoribus aliquot, universaliter appellatis *Probnoi*, particulariter *Czerwonenke*, *Skatkowate*, *Rosochowate &c.* æstibus Solis, mense Junio, Julio, & Augusto, in Salem, vernaculè *Probnoika* dictum, concrescunt. Superficies Salis istius pura & candicans, medium minùs nitidum, pars inferior nigricans, & arenis commista. Pondo Salis præfati quadraginta librarum, Cosacis *Pud*, Polonicali floreno emitur. Æstate serena & torrida, proventus magnus percipitur, pluviosis temporibus, nullus. In Moschovitico solo, ex Lacubus *Mołoczne*, *Berda*, Sole Sal concretus depromitur, appellaturque *Mołoczanka*, *Berdanka* sive *Curka*. In Tartaria Minori, Lacus Chami Crimensis, Russis *Jezero Hanskoie*, milliaribus aliquot à loco *Or*, aliis *Perekop*, æstate abit in Salem, à Crimea vulgò *Krymka* denominatum, qui securibus, ligonibus, in partes divisus, in acervos magnos componitur, antequam verò secetur, tanquam glacies firmissima fert operarios numerosissimos, aliaque onera varia. Meretur fidem relatio, nam cum mihi esset allata massa candida istius Salis, crassitudine digitos transversos tres excedebat, externè lapidem solidum repræsentabat, internè continebat micas coloris argentei. Sal sole elaboratus in lacubus, prope Astracan, & in Siberia colligitur. *Commercium Literarium Anni 1733. Hebdomada 29.* In Salinis Fontibus Bochniæ ad Cracoviam, ait *Reinzer in Meteorologia Quæst. VIII.* cum audiuntur latrantes canes, vel galli cantantes, vel etiam aliorum quorumlibet animalium clamores, infortunium imminens prænuntiant. An dentur etiam alii Fontes, Lacus, &c. præsagiis malorum memorabiles, multa, quæ de his dicuntur & scribuntur, existimat Author idem esse fabulosa.

PUN-

PUNCTUM VI.

DE FLUMINIBUS, LACUBUS, PISCIBUS, FLUVIATILIBUS, INSULIS NATANTIBUS, STAGNIS, MARI BALTHICO, PISCIBUS MARINIS, SUCCINO.

I.

FLUMEN & RIVUS, sola magnitudine differunt, si enim copiosior fuerit aqua, dicitur flumen, si minor, rivus. Decurrit aqua in fluviis non tantùm ob fundi declivitatem continuam, sed etiam quòd inferior prematur à superiore, illaque est celerior, cujus alveus declivior & profundior. Qui celerrimè feruntur fluvii ex altis montium jugis, ut plurimùm aqua subtili, levi, minùsque corruptibili constant, pisces saluberrimos & sapidissimos fovent, sed minùs piscosi deprehenduntur, qui verò lapsu lento procedunt, minùs salubres sunt, ast ingenti piscium multitudini generandæ ac nutriendæ apti, si ex parte maxima defluant per terras pingves & lutosas, unde piscibus alimonia abundè suppeditatur. Dantur fluvii supernatantes lacus, & fluvios, aqua enim purior superiorem semper occupat locum, hac de causa fit, ut per longa spatia terræ, non prorsùs permistæ aquæ fluant, colore ipso id indicante. Præterea, fluvii variè sunt colorati, saporis diversi, sentiunt id maximè Salmones & Trutæ delicatissimi pisces. Regio Polonorum, multis magnisque fluminibus, ad fertilitatem, & mercaturam commodissimis irrigua, rebus ad victum necessariis, usque ad abun-

dantiam, dives. *Muretus in Oratione ad Pium V. pro Sigismundo Augusto Rege.* Poloniæ Regnum, fluviis, lacubus, piscinis, stagnis, supra modum abundat. *Starowolski in Polonia.* Majores fluvii seu navigabiles deferunt merces Gedanensi, Regiomontano, & Rigensi Emporio. In fluminibus Magni Ducatus Litvaniæ, Officinæ numerosæ exstructæ, patriâ lingvâ *Trochownie* dictæ, ad parandum pulverem pyrium ex Salnitro, Sulfure, carbonibus Frangulæ, aut Coryli: in Prussia, Polonia, Officinæ chartariæ, Serræ ad præcidenda ligna, Pilæ fullonicæ, Officinæ metallicæ non paucæ, *Hamry* dictæ, in eis, ex Ære, & Lapide Calaminari paratur Aurichalcum, ex Ferro Chalybs.

II. BORYSTHENES, antiquis multis Danapris, Græcis nonnullis Hellespontium, Pol. *Dniepr*, quondam naves magnas & classes sustinere potuerat, ut referente *Sarnicki*, testantur historiæ de Ducibus Kiovienſibus, Olha, & aliis, qui apparatu ingenti oppugnaverant Constantinopolim. Præter Danubium, & Volgam (cujus tantùm fontes in Europa sunt, ideoque non Europæ, sed Asiæ fluvius esse videtur) inquit *Ortelius in Appendice Theatri*, longiorem & majorem Europa non habet. A Cosacis *Porohy*, à Polonis *Progi* dicti sunt angustiæ Borysthenis ob rupes, quibus coarctatur aqua profluentis, & ideo veluti per limen ex alto decidit, cum tanto sonitu & fragore, ut ad tria milliaria exaudiri nonnunquam queat. *Idem Ortelius ibidem.* Pontum Euxinum cum Borysthene Africus validissimus protrusit usque Kioviam, antiquis temporibus, ait *Czechura in Mari Philosophico*, innixus traditioni vulgi, *à Blau in Atlante*, ita expositæ: diluvium Sarmaticum particulare non parvum fuit, quando Pontus Euxinus Kioviam versùs sese provolvit, & eò etiam delatis ac mersis anchoris, navibus, signa suæ crudelitatis post se reliquit. Antacæi incolæ Borysthenis icon *in Bousfveti Libro de Naturâ Aquatilium, pag.* 99. exponitur, *in Epistola ad Gesnerum, Dernschwam* suspicatur, quòd iste piscis non alius sit, quàm Huso, *Isidoro* Suillus, Germ. Hausen, Pol. *Wyz*, non solùm in

Danu-

Danubii aquis, & in fluentibus in eum, sed etiam in Borysthene reperibilis, contra *Alberti* opinionem. E Ponto Euxino, Danubium subit, in Pannonia inferiore, & per spatium decem milliarium infra Viennam & Posonium capitur. Copiosissima autem piscatio fit in Valachia, juxta Kiliam, non procul ab ostiis Danubii, quibus in mare se exonerat. Inde advehuntur Husones è Cetorum genere cartilaginei, sine squamis, ab Armenis Camenecum Stanislavoviam, Leopolim, gratumque præbent edulium. Antacæus, Borysthenis *Rondeletii*, Sturionem pariter tam internis, quàm externis partibus refert, inquit *Charleton in Exercitationibus de Differentiis Animalium*, hoc dempto, quòd pro eminentioribus, ac callosis tuberculis, quibus Sturio præditus est, hic stigmatis tantùm lividis, sessilibusque maculis, in cute minùs aspera, ad latera sit distinctus. Præterea unicam duntaxat pinnam, ab ano ad caudam gerit, Sturio autem duas habet. Albula grandis, Ukrainensibus *Bieluha* capitur prope pagos *Tołokon*, *Ruchtycze*, *Domantow*, &c. Palatinatûs Kiovienſis, & ad *Hronoſtaypol* Oppidum distans milliaribus duodecim Kioviâ. Dubito eundem esse hunc piscem, cum illo, qui in Volga flumine & Kuma retibus concluditur, cartilaginibus constans, à Moschovitis *Bieluga* denominatus. Acipenseri *Piſtruha* similis, rostro longo instructa, item *Seuruha*, *Szpaba*, ultra Cataractas, Russis *Porohy*, concluditur retibus piscatoriis. Siluri plurimi ad ulnas sex protenduntur, sale conspersi ac arefacti, per Ukrainam, Volhiniam, Russiam, distrahuntur à Cosacis. De fluvii ejusdem Cataracta, *Herbinius in Cataractis Mundi admirandis*, legatur. Eluvius vastus *Sosz* dictus in Borysthenem se exonerat.

III. BOHUS, Hypanis nonnullis, Russis *Boh*, piscosus, præcipuè abundans Sturionibus minoribus, Pol. *Czeczugi*, Siluris, Thryssis, quæ Pol. *Cyrty*, Cosacis *Rybce*, Wirozubis, & Skubnis pingvissimis. Utimur hîc & alibi vocabulis vernaculis, Latinè conformatis. Influit hoc flumen in Lacum *Ilmien*, quem nonnulli Sinum Carcinitum appellant. Ad *Probitę* Insulam, Russis *Ostrow*, centena aliquot hominum struunt

excipulos ſive ſepta de lignis, & virgultis, quæ piſces cogunt ad retia. Piſcatio maximè dives, vento flante à Ponto Euxino; piſces indurati componuntur in cumulos, ad ripas ejusdem fluminis.

IV. BUGUS, Pol. *Bug*, oritur in *Wierzchobuz* pago Ruſſiæ Palatinatus, ex fonte ſufficiente ad molam circumagendam. Non procul à *Branczyk* Oppido tortuoſiſſimus naviganti in eo, à Civitate Breſta, Novodworum, ubi *Narew* fluvium intrat, molendina natantia centum octoginta, præter antiquos aggeres viginti & aliquot, ſuperanda. Per cataractam, ſub Breſtenſi ponte ſtructam, transeunt non ſinè periculo naves oneratæ frumentis; ibidem retia poſita ad capturam Anguillarum multarum. BYSTRZYCA, id eſt fluvius rapidus in Terra Halicienſi, præter piſces vulgares continens alveô Peros, Poduſtas, Czopos epiſtomio ſimiles. Truttarum pingviſſimarum copia ingens in eadem Terra Halicienſi ſeu Pokutia, pretium vile.

V. DUNA, Turuntus aliis, Germ. Düne, Pol. *Dzwina*, præterfluit Vitepscum & Polockum Civitates Magni Ducatus Litvaniæ. In eo fluvio ait *Aldrovandus de Piſcibus lib.* 4. Salmones capti indurantur fumo. Nutrit Anguillas focile majus æquantes craſſitudine; ſimiles tenet & Driſſa flumen in Palatinatu Polocenſi. DONAJECIUS *Cromero*, Pol. *Dunaiec*, ex Carpati jugis Septentrionalibus, quæ Poloniam proſpectant, in agro vici *Hechelowa*, atque in valle, quam Slavi *Jaworowa dolina* vocant, eſt ortus. Duplex fons ejus, alter, ex quo Donajecius albus, alter, ex quo Donajecius niger ſalit. Ille ex valle *Jaworowa* profluens ingentes aquas ex perennibus montium rivis colligit, hic ſiniſtram versùs, ex lacu, cui nomen Mare Nigrum, Polon. *Czarne Morze* prom at, uterque cum plura loca Poloniæ alluiſſet, ad Oppidum Neoforum, in eundem alveum confluit, inde *Czorſtyn* & Clauſtrum Rubrum prætervectus, infra vicum *Lesnicz* Poprado junctus Viſtulæ miſcetur. Piſces fere eosdem alit, quos Popradus. *Belius in Prodromo Hungariæ.* Salmonibus abundat ex Viſtula advenientibus, fluvium *Loſoſina* intrantibus.

VI.

VI. HORINIA, Pol. *Horyń*, oritur in Volhinia, non procul à pago *Ustecżko*, continet Barbonem sive Barbum, Germ. Barbe, Barme, Majoribus Polonis *Barwana*, Volhinensibus *Marena*. Idem piscis capitur in *Teteref* & *Uszycka* fluviis Palatinatûs Kiovienſis, in Tyra, & *Smotrycz*, Podoliæ. Mustela fluviatilis *Gesnero*, Barbota *Bellonio*, Germ. Quappe, Pol. *Mientus*, Siluri speciem præferens, prope Ostrogium, Mohilanos, Slavutam, est frequentissima, extensionis semiulnaris, aut ulnaris, & ultra. Hyeme, durante frigore intenso, intrat nassas agminatim, Wiliam fluvium incolit quoque, qui se effundit in Horiniam. Anguillis caret non tantùm Horinia, sed & *Styr*, *Pina*, *Prypec*, *Stucz*, *Boh*, aliaque flumina omnia Polesiæ Litvanæ, Volhiniæ, Podoliæ, Ukrainæ, quæ per Tyram & Borysthenem delabuntur in Pontum Euxinum seu in Mare Nigrum, eosdem pisces non alunt. Nec *Wyrozub*, nec Sturio minor, Pol. *Czeczuga* (meliore accedente relatione) in Horinia invenitur. Stagna piscosa in præfato fluvio firmata aggeribus sunt sequentia, Butinense, Mlinowscense, Muszkovicense, Wisniovieccnse, Łozense, Predmierkacense, Pankowscense, Jampolense, Lachowcense, Zaslavience. Carpionibus nobilibus Jampolience & Lachowscense est refertum. IKWA in Volhinia initium habens ad *Nakwaſz* pagum, per milliaria octo promovens cursum, dividitur aggeribus, in Stagna tredecim, Targovicæ Stiro illabitur. In eo, præter Siluros grandes, Cyprini lati, aliis Bramæ, Prasini, Pol. *Leszcze*, *Kleszcze*, sic numerosi, ut prope *Arszyczyn* pagum, unus retium jactus piscibus istis hydrias ligneas, vernaculè *Cebry*, centum quadraginta impleverit.

VII. MUCHAVECUM, Pol. *Muchawiec*, non procul à *Czatnowice* pago erumpens, Brestæ in Litvania conditur Bugo. Hic inter Oppida *Popina* & *Horodyszcze*, milliaribus duobus duntaxat distat à Pina fluvio, cui si conjungeretur, à Mari Balthico propiore Gedanensi Emporio, transferrentur merces navigiis ad Borysthenem, & Pontum Euxinum. Periti artis hydraulicæ à Rege Vladislao IV. anno 1635. ad lustrandum

hunc locum expediti, rem factu possibilem, nec multùm difficilem judicârunt. MERECZ præterfluens Oppidum *Merecz* in Litvania, copiâ Salmonum famosus. MUZA in Curlandia ad Arcem Mitavæ Urbis profluens habet profunditatem in locis plurimis, orgyarum viginti aut triginta, olim ex Mari intrabant hoc flumen onerariæ naves, sed iste tractus à Rigensibus est obstructus. Abundat Castoribus, & aquatilibus.

VIII. PRIPETIUS, Pol. *Prypec*, etiam Diaborysthenes seu Borysthenes minor, inquit *Cellarius in Descript. Poloniæ*, vocabatur. In uno loco nomen amittere, in alio recuperare traditur *à Jansonio in Tabula Regni Poloniæ*, Borysthenem influit alveo vasto & profundo. Inter multiplices aquatilium species, reperitur Albula, Russis *Bieluha*; cum dentibus ad similitudinem dentium molarium humanorum accedentibus *Wyrozub*, crassior Cyprinô latô *Korop*, *Bukowica*, *Krasenna*, *Rubanka*, *Ostromyst*, *Strelanka*, *Poduska Iholna*, Perca minor ad palmum latum protensa, Gobius ferè ejusdem mensuræ, Silurus grandis, nec infrequens. Acipenseres quàm numerosi, indè licet colligere, quòd *Petrikow* Oppidum versùs, in septo ligneo uno, sexcenti rete intraverant, tempore verno. Nubilaria in ripis structa, pisces siccatos servant, pingvedo multa *Zyr* dicta, ex *Iholna* & locis aliis, cupellis imposita ad usum coriariorum, etiam Regiomontum evehitur. In Stagnis seu proluviebus istius fluvii, piscatio celebris *Tur* vocata à ruricolis plurimis hyeme instituitur, hiatibus seu foraminibus in glacie efformatis.

IX. POPRUTUS seu Popradus, Germ. Popper, Pol. *Poprut*, Scepusiensium fluminum primarius oritur in occidua Montium Carpaticorum parte, speciatim è lacu cognomine Popper-See. Hic collectis rivulis, qui passim è montium latebris prosiliunt, rapidissimus labitur, ac in certo tractu, intensissimo etiam gelu adstringi nequit, *Podoleniec*, *Druzbak*, *Lubowna*, lambit, denique in Poloniam se exonerat, atque *Muszyna* Oppidum prætervectus, per convallem altissimorum montium, *Dunaiec* fluvio, & cum eo Vistulæ se insinuat.

Præter-

Præter alios piſces, tenet Truttas, Anguillas, Thymallos, & Salmones, quorum integra agmina ſubinde videas adnatare. Ita *Belius in Prodromo Hungariæ.* Idem fluvius piſcem cylindraceum, Germ. Rundlich, alit. PILICA flumen Anguillis abundans, in Palatinatu Sandomirienſi, quæ ſæpe vili pretio conſtant. PASSERIA, *Serge* quondam vocabatur, Brunsbergam præterfluit in Varmia, exonerat ſe in Habum. PROMNIK fluviolus in Cracovienſi Palatinatu, teſte *Piskorski in Floſculis Eremi B. Salomeæ*, ab Arce *Pieskowa Skała* ad Cracovienſe Suburbium, detinet prope centum molendina. RADUNIA, Germ. Radune, ortum habens ex lacu *Radunia*, ad pagum *Stężyca*, permeans lacus aliquot, in Viſtulam effunditur. Anno 1455. per alveum effoſſum, deductus eſt Gedanum. Molendinum à Magiſtro molæ artificiosè conſtructum, intrà horas viginti quatuor, ſexaginta modios Gedanenſes, vulgò laſtam ſiliginis excutit perticis de manipulis, ſeparat paleas à frumento, ſtramen ſubtiliter falce concidit, in equorum pabulum, oleum elicit ex ſemine lini, papaveris, & cupatorii. ROS in Kiovienſi Palatinatu promovens curſum ad Fortalitium *Białocerkiew*, inter alios piſces, *Wyrozubos* Carpioni aſſimiles, ſed ſquama candidiore tectos ſecum defert.

X. SŁUCZ in Palatinatu Novogrodenſi M. Ducatus Litvaniæ, ex palude diſſita duobus milliaribus, à Civitate *Stuck*, ducit originem, Palatinatum Volhinenſem à Kiovienſi dividit, *Prypec* ingreditur, Barbones in aliquibus locis, *Wyrozubos* ad Horodnicam concludit alveo. SMOTRYCZ Podoliæ fluvius intrà rupes effuſus in Tyram rapidum defluit, Truttas, Cobites, & Głowacicas, nutrit, tenet Cochleas parvas, Germ. Waſſer-Schnecken, quarum teſtæ varietate colorum conſpicuæ. Anno 1721. poſt ſolutas nives inſolitas, in Camenecenſi foſſa cæpit lentè aſſurgere, mox tanto impetu in arcum ex lateribus coctis exſtructum irrumpere, ut præter ruinam molendinorum, domorum, ſtragem pecorum, quæ volvebat ſecum, etiam murum cubitorum viginti ad Portam Polonicam everteret. Stabat ex parte altera, ad

Por-

Portam Ruthenicam arcus muratus, amplitudine & firmitate nobilior aliis, sed & hunc aquarum impetus sustulit, tormenta bellica aliquot dejecit, non ultra viginti quatuor horarum spatium durans. SOLA ad Osviecimum illimis est, & piscosus. *Bertius in Tabulis Geographicis contractis.* Sola in montana regione Palatinatûs Cracovienſis abundat Salmonibus, & illis piscibus qui nobis *Lipienie*, nec desunt in *Kosorawa*, & *Swieca* fluminibus. STIRUS à Polonico vocabulo *Styr*, in Volhinia, continet piscem, qui potest Albula magna denominari, à squamis albis, Pol. & Russis *Bieluha*, non rarò longitudinis cubitorum trium, & ultra, diversam à *Beluga* Moschovitica cartilaginea. Ibidem adest Latinis Capito, Polon. *Głowacz*, Russis *Hołowel*, similis Mustelæ fluviatili seu Barbotæ, tergo nigricante, squamis coloris argentei, dum Sol adurit, enatans è profundo aquarum. Piscis *Marena* rostro suillo instructus. Piscis anonymus, Harengi magnitudine, tectus albicantibus squamis, consperſus maculis rubescentibus, aut ad colorem cæruleum inclinantibus. Piscis de Alburnorum seu Leuciscorum genere, qui Polon. *Płoć*, *Płocica*, Prussis Plețen, operitur squamis obscurè albentibus, fert notas nigricantes sparsas per totum corpus, ad palmum protenditur, amarum præbet edulium. Alius piscis de eorundem Alburnorum progenie, virescentibus maculis insignitur, amaritudine destituitur, edulis est. Numerosi Gobii, vulgò Funduli, Polon. *Kiełbie*, pisces *Krasnopery* denominati, &c. SWIECA rapidus Tyramque ingrediens Truttas copiosissimas offert piscatoribus, & Sturiones minores, Pol. *Czeczugi*, continet. TASMINA è fluviorum minorum numero, ad *Kalnik* Oppidum Palatinatûs Braclaviensis, sic pisculentus, ut extrahentes hydriis de illo aquas, etiam pisces sæpè accipiant. TYRAS, Polon. *Dniestr*, habet pisces subrotundos, squamis destitutos epistomio similes, ideoque à Polonis *Czepy* dictos, Siluros grandes, aliaque aquatilia. TURIA in Polesia Polona intrat Pripetium, alit in locis aliquibus Lucios nigricantes, notis rubeis, ac flavidis insperſos.

XI.

XI. WDA in Pomeraniæ Palatinatu, præter multitudinem Truttarum & Cancrorum, præstantium, etiam ex lacubus recipit aquas, simul cum Anguillis, quarum in Capitaneatu seu Præfectura Osiecensi, est tanta copia, ut spatiô unius noctis, ligneam capsam ingredientes impleant dolia plura. Aliud flumen in Mevensi sive Gnievensi Capitaneatu, penes molam exstructam, abundè eosdem pisces infert excipulo. WIEPRZ non procul à *Tomaszow* Oppido, in fundo pagi *Wieprzowe Jezioro* egressus, post longiorem cursum conjungitur Vistulæ, Anguillas fovet grandiores, ex quibus una longitudinis ulnarum quinque à Baranoviensi piscatore inclusa reti. WILIA ad Caunam, & alibi in Litvania, Salmones recipit è Mari, per *Niemen* amnem advenientes.

XII. VISTULA in Montibus Sarmaticis ortus, in Mare Sarmaticum defluit. *Gemma Frisius in Cosmographia.* Vistula, & Borysthenes, inter flumina magni nominis, *à Scherero in Atlante Novo* ponitur. Ante magnos imbres subitô deficit, ait *Tylkowski in Meteorologia Curiosa*, quia fontes ejus, qui sunt in Carpatiis montibus, in vapores attolluntur, qui post resoluti dant pluvias. Non pauci ea tenentur opinione, quòd fluminis istius alveus vernaculè denominatus *Leniwka*, à loco Germ. Haupt, Pol. *Głowa*, Gedanum defluens, inde ad Mare Balthicum, sit manu factus seu fossitius, sed *Tabula Europæ VIII. apud Ptolemæum Geographum antiquissimum*, exhibet Vistulæ ostium istud intrare Oceanum Sarmaticum, sive Sinum Venedicum. Et *Hartknoch in Veteri & Nova Prussia*, contra *Hennebergerum* adducit *Jornandem*, quòd Sæculo VI. alvei tres fuerint Vistulæ. Idem *Hartknoch ibidem* ait, reperio apud Pomeranorum Chronographos, silentibus licet domesticis, id est *Danicis Annalibus*, hoc circiter tempore, Valdemarum Subislao Pomeranorum Principi bellum mari intulisse, & Dantiscum arcem seu propugnaculum ad Vistulæ ostium excitasse, quòd Rege mox discedente Sobislaus vicissim occupavit. *Isacius Pontanus Hist. Danicæ lib. 6. ad annum 1165.* Confirmat *Æneas Sylvius in Hist. Gothorum*, ad littus Oceani, ubi

tribus faucibus fluenta Viſtulæ ebibuntur, Indioavi reſident, ex diverſis nationibus aggregati. Referunt piſcatores marini quòd aquæ Viſtulæ intrantes mare, illique ſupernatantes, non procul à Fortalitio Mundenſi, interdum ab inſolentibus ventis propellantur usque ad littora vicina Zarnoveco. Ad Plockum, Salmonum, & Silurorum piſcatio dives in Viſtula. *Starowolski in Polonia* teſtimoniô. Juxta relationem *Jonſtoni in Hiſtoria Natur. de Piſcibus*, Sturiones frequenter capiuntur. Prope Varſaviam, veris unius tempore, Sturiones majores iidem ſive Acipenſeres mille ducenti capti à piſcatoribus paucis Communitatis Religioſæ Lampetræ, Germ. Neunaugen, Pol. *Minogi*, Mari relicto, hunc fluvium intrant, primis diebus Octobris, earum captura frequentiſſima ad Mevam, Pol *Gniew*, & ad *Grunowo*, rarior ad Derſaviam & Culmam, verſantur per autumnum & hyemem, in aquis dulcibus, primo vere ad Mare redeunt. In Inſula Mariæburgenſi, Germ. Marien-Werder, quam Viſtula efficit & Nogatus, *Menike de Querfurt Magiſter Provincialis Crucigerorum* aggeres fieri juſſit, circa annum 1294, eamque terram habitabilem fecit. *Hartknoch in Selectis Diſſertationibus de Rebus Pruſſicis.* Quot Viſtula oſtiis, ultra Stutthof, aulam Neringiæ Gedanenſis, Habum, Germ. Friſch Haf, ingreditur, *Olaus Joannis Gothus in Tabula Geographica Tractuum Boruſſiæ, circa Gedanum, & Elbingam, ab incolis* Werder *appellatorum* delineavit. Eluvio Viſtulæ ingens, anno 1394. montes arenoſos Graudentum versùs ſuſtulerat, aditum ad Nogat difficilem fecerat, aggere rupto, damna intulerat Inſulæ Gedanenſi. *Schütz in Hiſtoria Rerum Pruſſicarum.* Duæ cauſæ aſſignari ſolent, cur flumina ſupra ripas aſſurgant, inundationem invehant agris. Prima eſt, quia per pluvias, & nives ſolutas augentur ita, ut ſuo alveo capi non poſſint. Secunda ratio, quia ventus contrarius præſertim circa fluminis oſtia in Mare, & Maris intumeſcentia retardat curſum fluviorum, ac ingreſſum aquarum in Mare. Anno 1456. ſic Viſtula & Nogatus ſupra ripas elatus fuerat, ut in Hortis longis Gedanenſibus potuerint currere minora navigia. Anno

1463.

1463. ingens aquarum pondus aggerem rupit in Insula. Anno 1602. Insulæ Minoris Mariæburgensis ædificia stabant in aquis se attollentibus, ibidem eluvionem secuta dives piscatio. Anno 1652. Nogatus amotis objectamentis ad Fischhausen, aquas dimidiam staturam viri æquantes Elbingæ intulit, cymbis adegit uti. Testantur id notæ in Porta Piscatoria ejusdem Urbis expressæ. Anno 1708. die 4. Aprilis, glacies Mariæburgensi ponte labefactato, in locis octo ruptis aggeribus Insulæ inferioris, ligneas domos natare fecerat, cum strage hominum. Anno 1713. Insulæ Minori allata vastitas, in Sommerau pago nonnisi domus duæ remanserant. Anno 1714. die 8. Januarii Vistula & Nogatus frustis glaciei obstructus effudit se etiam ad Elbingense forum. Motlava prope Gedanum, aggerationibus terræ submotis, inundavit, fere Insulam totam Gedanensem, Germ. Dantziger Werder, sensimque se alveo reddidit. Anno 1718. in Martio, à Mari Balthico prorumpentes venti validiores, Vistulæ cursum sic impediverant, ut ripis altior ad Gedanensem Portam inferiorem penetraret, tabernam diversoriam penes Fortalitium Mundense circumdaret. Anno 1729. in Aprili, Vistuleæ aquæ intulerant damna non modica Insulæ Mariæburgensi, obice rupto, ad longum spatium. Cataracta à nautis dicta vernaculè *Piekło*, tunc apparet in Vistula, dum aqua notabilissima decrescit, æstate torrida, pluviisque destituta, milliari uno distat ab Urbe Plocia, sita ad sylvam Ostroszinensem, ibi aquæ ruunt potiùs per saxa, quàm fluunt, à longe strepitus exauditur, navibus transitus est difficilis.

XIII. RIVI SE ABSCONDENTES, seu, qui ubi spatium aliquod in superficie terræ decurrerunt, in terram se condunt, subterraneo meatu volvuntur, iterumque emergunt, hîc numerantur. Primus rivus in Palatinatu Sandomirienſi, inter Oppidum *Osiek*, & *Sulistawice* pagum, ad radicem montis, dicitur absorberi. Secundus prope Pinczoviam, ad *Suchawola* villam, decurrens comparet alibi. Tertius in fundo *Pliszczyn* pagi Volhiniæ, *Ponurka* vernaculè denomina-

tur. Quartus *Usnosza* dividens latifundium *Isternicense*, & *Kuty* villæ Volhinensis, recondit se in terram, erumpit post dimidium jugerum. Quintus *Muksza* proximè pagum *Borzyszkowice* Podoliæ, peracto cursu longiore intrà terram, prodit in apertum, ad villam ejusdem nominis *Muksza*, tandem se infundit Tyræ. Spectantur alii rivi intrantes tellurem, nec emergentes, tales in Volhinia, prope *Moszczenica* villam, in locis *Hnitucha* & *Tesna*, nuncupatis, in Podolia ad *Ormiany* pagum, ubi *Srebna* vallis protenditur. Stagnum Humienscense ejusdem regionis fluviolum recipit, non emittit. Ad rus *Iwanowce* vicinum Baro, rivus post quartam partem milliaris confectam, (fama est,) quòd se tradat terræ visceribus. Ex quodam monte in Roxolania duo erumpunt fluvii, quorum alter fertur per terræ superficiem, alter mox terrâ absorbetur, & sub ea peractis aliquot leucis rursus in perpatulum emergit. *Tylkowski Physica Curiosa Part.* 9. Fluvius subterraneo alveo, sub Leopoli volvitur, strepitusque aquarum auditur in nonnullis cellis vino & cereviſiæ servandæ destinatis. Alter fluvius traditur currere in illo loco, in quo est profundissimus puteus Arcis Russicæ *Łancut*. Scatebræ aquæ dulcis, & salsæ, in Salisfodinis Bochnensibus, & Vieliscensibus prosiliunt.

XIV. PISCES seu Animalia aquatilia per fluvios & lacus dispersa sunt generis duplicis, alia è Mari Balthico, & Ponto Euxino advenientia, domestica alia. Iris, est circulus circa pupillam. Pinnæ, avium alis respondent, his enim remigant, incitant sese, & propellunt; pedum viæ datæ sunt piscibus, *Plinii* sensu. Branchiæ sunt partes, veluti pili densè confertimque ordine dispositi, semicirculo osseo infixi, his imponuntur opercula ossea, quibus obteguntur, & more follium dilatantur, ac comprimuntur. Squamæ sunt tegumenta. Spinæ, ossibus animalium terrestrium proportione respondent, in eum finem, ut carnem fulciant, & contineant. Barba, appendices sunt carnosæ, maximè circa os piscium, differentes numero, & situ. Cirri, Cornua *Gazæ*, protuberantiæ

rantiæ seu contorti crines *Schwenckfeldio*. Ex piscibus, omissis pluribus, descriptisque suprà in fluviis, venit.

XV. ALBULA NOBILIS MINOR *Schoneveldi in Ichthyologia*, piscatoribus Snepel, piscis fluviatilis & lacustris, squamis argenteis, tenuibus, nitidissimis tectus, præsertim in ventre, dorsum cum cauda bifida nonnihil opacatur, capite est parvo, oculis mediis, iris dilutè aurea (quanquam Albina iridem habet argenteam) pupilla nigra, inter oculos, & rostrum superiùs, foramina duo pro naribus gerit, inferiùs labrum extra superius tantillùm prominet, linea à summis branchiis argentea, & in caudam mediam protensa, utrinque deorsùm arcuatur. Pinnam habet in dorso unicam, prope caudam alteram, ad branchias pinnas duas, circa medium ventrem totidem, ad anum, longiusculam unam. Ubi adolevit hic piscis, sex aut septem est digitorum, caro mollis sed dulcis, gratique saporis. Icon illius ibidem est expressa. Albula nobilis præfata, etiam in Prussia vocatur Snepel, Gedani venditur in foro piscario, crassa & lata, ferens caput angustum, iridem auream, squamas argenteas nitidissimas, in dorso cærulescente pinnam unam, alteram membranaceam non procul à cauda, ad branchias, pinnas binas, in ventre totidem, ad anum unam, omnes hæ pinnæ sunt albicantes, extensus piscis ultrà spithamam.

XVI. ALBULA MAGNA, Russis *Bieluha*, fertur habere corpus crassum & deflectens nonnihil ad rotunditatem, dorsum nigricans, squamas coloris argentei, ludens pisces caudâ fortiter percutit, debilitatos devorat, aquarum strepitus amat ad molendina, versatur in Stiro Volhiniæ, Borysthene Ukrainæ, Pripetio, aliisque fluminibus. Ad longitudinem ulnarum trium & ultrà sæpe excrescit, diversusque hic piscis est (ut in Borysthene dictum) à *Bielugæ* Moschorum, quem Occa flumen Volgam intrans alit, magnitudinis miræ, sine spinis seu cartilagineus, capite grandi, ore vasto, *Gesneri* testimoniô.

XVII. ALBULA CÆRULEA ſeu Albiculus *Schwenckfeldii*, Vindoſa *Alberti M.* Vendoſia *Gelen.* Germ. Ockelei, Pol. *Ukleyka*, piſcis parvus, latiusculus, coloris argentei, præter dorſum ſubcæruleum, pinnæ ſubfuſcæ, caro candida, mollis, dulcis, ſalubris, nec malum gignens ſanguinem. ALBULA CARPIONIS FORMAM HABENS (ut mihi relatum eſt), Pol. *Bolen*, ſquamis albidis, majoribus quàm ſint in Carpione, tecta. Frequens in Sbonszinenſi lacu Palatinatus Posnanienſis, alibi non rara, protenſa ad cubitum & ultra, in locis aliquibus.

XVIII. ALBURNUS ſeu Albulus *Schwenckfeldii*, German. Giſter, Pol. *Guszezora*, ex Albularum genere, longitudinis dodrontalis, Erythrophthalmo ferè ſimilis, ſenſu aliorum, Cyprino lato eique parvo, ſquamæ candidæ non facilè deciduæ, dorſum ad cæruleum colorem vergens, os rubens nonnihil, & pinnæ ſex ſubrubentes, caro mollis, ariſtis plena, palato minùs arridens, plebeculæ menſis apponitur.

XIX. ANGUILLA dicta ab Anguium ſimilitudine, Germ. Aal, Pol. *Wegorz*, piſcis glaber, lubricus, mari caput eſt majus, roſtrumque obtuſius, fæminæ minus, roſtrum acutius, ait *Schwenckfeld in Piſcibus Sileſiæ*, paſcitur noctu, diei tempore, in luto quieſcit, exempta aquis vivit diutiùs. Secundùm alios, Anguillarum ſunt duo genera, majus, & minus, illi caput brevius, craſſius, latius, color fuſcus. Opinione *Rondeletii in Hiſtor. Aquatilium*, Anguillæ omnes naſcuntur in aqua dulci, ſolæque ex ſimili genere piſcium, mare vel marina ſtagna ingrediuntur, alioqui vivunt in fluviis, lacubus, & ſtagnis. Puram & defluentem aquam incolentes, tergo ſunt vireſcente, ventre albeſcente & ſplendente, in cibo ſalubriores, lacuſtres nigricant. De origine Anguillarum numeroſa arbitria *Franck in Satyris Medicis* congeſſit. Inſtar aquatilium aliorum, ex ovulis tanquam ſeminio ſuo illas oriri aſſerit *Paullini in Canarum Helena Anguilla Obſervationibus condita*, contra plurimos, qui piſces hos ex limo, cadaveribus, cæterisque, generari credunt. Semen in maribus reperiri, ſed

ſed multa pingvedine circumfuſum, ideoque non apparens, ſæpiùs tamen viſum & *Sperlingus* tradit, confirmat *Wallisnerius in Diſſertatione de Ovario Anguillarum inſerta Ephemerid. Academ. Cæſareo-Leopoldinæ Francofurti anno* 1712. *impreſſis*, his verbis: allata eſt ad me Anguilla gravida circa quadrageſimæ initium, ovula per membranam involventem transparebant, inſtar minimarum ac rotundiſſimarum margaritarum. Idem *Wallisnerius* Anguillam cum ovario, in tabula ænea exhibuit; microscopii ope inſpectum eſt idem ovarium ab alio, anatomico experimento, *Cosmio in Magnæ Naturæ Oeconomia teſte*, Anguillas viviparas *Charleton* invenit, *Leeuwenhoek in Arcanis Naturæ detectis* ſcribit, quòd ex Anguillarum matricibus, prolis exiguæ numerum, liquori tenui, pellucido incluſæ, extraxit. Quòd eſus Anguillarum ſit multùm noxius, *Franck in Satyra Medica VIII.* adducit plurimorum authorum judicia. Caro mollis, & dulcis eſt *Schwenckfeldio*, ſed quæ glutinoſum & pituitoſum, frigidum ſuccum gignit, obſtructiones facit, unde febricitantibus, podagricis, cachecticis, ventriculo frigidiori vitanda. Frequens & copioſa ejus comeſtio coniicit in vitæ periculum. Devorant piſciculos varios, Perca minor, Germ. Raulberſch, extracta eſt à coco, me ſpectante. Captæ propè Helam, & alibi in Mari Balthico, aliæ in ventre albicant, aliæ nigricant, vireſcunt cæteræ, extenduntur non rarò ad duos cubitos. Frequentiſſimæ, ſed macilentæ in Habo, qui Germ. Friſch Haf, ad Puckum non paucæ minores, alibi in fluviis & lacubus copioſæ. Villanum quendam auferentem furtivè piſces, Anguilla grandis impoſita inter veſtem & induſium, atque in gyrum acta ita compreſſerat, ut niſi defenderetur, paſſus deliquium exſpiraret. APUA ſeu Aphya, aliquibus quaſi non nata, Polon. *Mrzewka, Owieſek.* Apuæ in plurali Pruſſis Tauſend-Bruder, Duſent-Broder, vernaculè *Tyſiąc Braci*, piſciculi omnium minimi *Feſto*, gregatim natantes, dorſum habentes obſcurè cinereum, ſquamis coloris argentei tecti, deſquamati, elixi, conſperſi zingibere, ſimul plures cochleari ingeruntur ori ab egentibus.

XX.

XX. BARBO *Rondeletii*, Mystus fluviatilis *Bellonii*, Barbatus *Varronis*, Mullus barbatus *Peuceri*, Barbus *Schwenckfeldii*, Germ. Barbe, Barme, Pol. *Barwana, Marena*, ex descriptione *Willughby* habens caput declive, rostrum acutius, os edentulum, figuram corporis rotundam, lineas duas latera media dividentes, pinnas senas, appendices seu cirros cutaceos quatuor ori adnatos. Apud *Schwenckfeldium*, oculi centrum nigro-cæruleum, iris angusta aureo fulgore micans, dorsum fuscum, venter candidus, pinnæ ex rubore liventes, maculis nigris aspersæ, caro satis laudabilis, candida, friabilis, svavis, quamvis mollis & spongiosa. Ova si comedantur, stomachum perturbant, & ventriculum fere invertunt, Maji potissimùm tempore, eadem sursùm, & deorsùm violenter purgant. Experientiâ constat, ait *Michael in Operibus Medicis*, Barbi piscis ova à quibusdam comesta, mortem intulisse. In Varta fluvio, Horinia &c. est cubitalis longitudinis, quandoque majoris.

XXI. BARBOTA, Barbocha *Alberti M.* & *Cromeri*, Mustela fluviatilis, lacustris *Gesneri*, *Schwenckfeldii*, Lacertus *Eberi* & *Peuceri*, Germ. Quappe, Ohlrup, Aalrup, Pol. *Mientus*, similis Siluro, capitosus, crassus, pellis obscura, aliquando subflavescens, maculis nigris & lutescentibus respersa, oculi cærulei, iris coloris aurei, venter albus, pinnæ sex lividæ, maculosæ à mento dependent, apophyses ternæ, binæ aliæ minutæ ad latus utrumque, oris rictus amplissimus, caro candida, dulcis, minùs lentoris obtinens, quàm Anguillarum, hepar pro deliciis magnis habetur, limo, muco, ligno putrido, nutritur, nec piscículis parcit; parùm differt à Lota Gallorum, inquit *Cosmius in Magna Naturæ Oeconomia*, utraque fluviis pigris, aut dulcibus delectatur. Hepatis liquor calore solis vel fornacis in vitro resolutus, adversùs oculorum nebulas, & maculas, magnæ commendationis.

XXII. BDELLA *Schwenckfeldii*, Phoxinus lævis *Gesneri*, Germ. Elderitz, Milling, Erling, Pol. forsitan *Olszanka*, piscículus fæcundus, ubivis in rivis & torrentibus existens, cuti-

cuticula tegitur lævi, absque squamis, albicat & flavet ad latera, punctis nigricantibus respersa, in dorso variat colore nigro, venter candicat, pinnarum inferiorum extrema rubent, ovis fere semper turgens reperitur. BLICCA seu Ballerus, Plestya *Schwenckfeldii*, Germ. Blick, Bleie, Pol. *Blik*, *Bleiak*, piscis Bramæ ferè similis, ast tenuior, latiusculus, pinnæ posteriores cum cauda livent, superiores fuscæ, capite parvo, squamis mediocribus albicantibus, carne spinis referta.

XXIII. CANCER FLUVIATILIS vulgò, Gammarus seu Astacus fluviatilis, Pagurus fluviatilis *Galeni*, Germ. Krebs, Fluß-Krebs, Polon. *Rak naski*, Astaco marino formâ similis, magnitudine differens, alius major & magis nigricans, alius minor, subtus albidior, petrosus sive saxatilis alius, datur lævis vel scaber, ordinariè fuscus, aut glauci coloris. Adfertur interdum cæruleus, & rubeus Gedanum; in *Muchawiec* fluvio cænoso Litvaniæ nigricat, nec hunc colorem elixus deponit. Scrutator curiosus Cancrorum fluviatilium est *Willius*, & *Portius Neapolitanus in Ephemerid. Naturæ Curiosorum*. Oculi Cancrorum pulverisati, injectique, in quantitate proportionata, vino, cerevisiæ, aceto &c. submovens aciditatem, testante experientia, sanguinem quoque humanum, ex particulis salino-sulphureis prædominantibus, corruptum, acidum factum in scorbuto, corrigunt, si sumantur sæpius in potu aliquo. Non inveniri Cancros fluviatiles in Hispania, *Aldrovandus*, *inter Crustacea*, innuit. Oculorum Cancri copia magna ex Polonia mittitur Vratislaviam. Anno 1718. aliquot millia librarum, ex ea, ex Volhinia, & Hungaria, allata, nam facilè Cancri capiebantur, aquis deficientibus, æstate torrida. *Collectanea Naturæ & Medicinæ Vratislavienſia*. Frequentissima collectio lapidum Cancrorum, circa Borysthenem, & Tyram, fluvios, per utrosque Podoliæ terminos, &c. Per Palatinatum Kiovienſem, Witepscenſem, iidem lapides divenduntur, copiosè committuntur Regiomontanorum, Gedanenſium, Vratislavienſium Mercatorum manibus. *Ephemeridum Academ. Leopold.-Carolinæ Natur. Curios. Cent. VIII.* & *Valentini in Auri-*

fodina Medica. Ex Pinscensi Districtu M. D. Litvaniæ Nobilis vir, præsenti sæculo, expediverat Regiomontum currus minores quinque, oculis Cancrorum oneratos. In Curlandia Cancros sine numero *Rosinus Lentilius in Memorabilibus Ducatus ejusdem* refert. Lapilli Cancrorum, nihil aliud sunt *Sommerhoff in Lexico Pharmaceutico*, quàm mucus coagulatus in ventriculo, ex quo denuò resoluto fit Cancrorum renovatio, dum deponunt antiquam crustam & novam induunt, quæ generatur ex lapillis resolutis in liquorem lacteum, tum enim Cancri ægrotant, quando in stomacho coagulati lapides resolvuntur & mutantur in crustam. Alii eosdem Cancrorum lapides in ventriculo locum occupantes vocant succum salinum, liquorem tenuem aquosum, lacti non absimilem, alimento inservientem, qui Junio, & Julio mense, dum Cancri deponunt exuvias, novam crustam acquirunt, durescit in lapidem.

XXIV. CAPITO FLUVIATILIS RAPAX seu vorax *Aldrovandi*, Corvulus fluviatilis *Schwenckfeldii*, Germ. Rappe, Pol. *Rap, Głowacz, Wilk*, nomen à rapacitate tulit, est enim veluti vehemens prædo in aquis, nec minùs fere quàm Silurus, squamis tectus candidis, latiusculis, tenuibus, perspicuis, quibus pellicula nitoris argentei substernitur, dorsum fuscum & subcæruleum, dentes in faucibus, rostrum inferius superiore longius, pinnæ fuscæ sive lividæ, longus est aliquando tres pedes, crassus, carnosus, sed caro aristis plena, quæ facilè delabitur in partes, si in fervidam aquam immittatur, ideò ab initio in frigidam demitti debet, ut pariter cum aqua concalefiat; assa boni saporis.

XXV. CAPITO FLUVIATILIS CÆRULEUS *Aldrovandi, Gesneri, Schwenckfeldii*, quia colore est cæruleo, permisto fusco, in dorso & capite, Germ. Brat-Fisch, quòd frequenter assus mensis offeratur, Polon. *Głowacz modry*, caput latum, venter & latera argenteo colore nitent, pinnæ fermè rufæ, longitudo cubitalis, latitudo trium, aut quatuor digitorum, in fluviis & lacubus frequens. CAPITO FLUVII HIERASI, Po-

Porotæ *Ammiani* & *Marcellini*, hodie Prutæ ſeu Prut, Polon. *Głowacica*, ſimilis traditur eſſe Truttæ majori, ſed nullis conſperſus maculis, ſuperans longè menſuram cubiti. Deſcribit *Schwenckfeld* Capitonem fluviatilem majorem, eumque Squalum majorem vocat, qui Germ. Alatt, Alandt, piſcis ſquamis argenteis tectus, capite, & ore magno, pinnis rubentibus, quarum extremitates livent. Idem author ponit Capitonem fluviatilem minorem ſeu Squalum minorem, Germ. Heſeling, Heßling, Heſele, Squalo majori ſimilem, craſſiorem & longiorem Albulâ cæruleâ, pinnæ ſuperiores & cauda ad colorem cæruleum vergunt, inferiores ſubrubent. An Capitones præfati duo in noſtris fluviis capiantur, indagationi relinquo. CAPELLA FLUVIATILIS Latine denominata à Polonico vocabulo *Kozka*, habens excreſcentias duas in capite, inſtar corniculorum, piſciculus edulis eſt, in fluminibus majoribus & minoribus reperibilis.

XXVI. CARPIO ſeu Carpo, Carpus, Carpena, Cyprinus *Gesneri*, Cyperius *Oppiani*, Carinus *Gazæ*, Germ. Karpfe, Pol. *Karp*, piſcis natiſſimus in Provinciis pluribus noſtris, & frequentiſſimus in fluviis, lacubus, & piſcinis, gregalis, numeroſa prole, brevi aquas replens, tempore verno. Lapis Carpionis ore detentus flavæ bilis ebullitionem & ardorem infringit. Angli & Batavi modum pinguefaciendi Carpiones hunc retinent, muſco humido contectos, & reticulo involutos, ita ut nonniſi caput foras emineat, in cella ſuſpendunt, & pane ſimilagineo, in lacte macerato, per dies aliquot paſcunt. Caput præfertur ob ſaporis præſtantiam, pinguedo illita; nervos ex cauſa calida dolentes lenit; fel illitum, oculorum nubeculas discutit.

XXVII. COBITIS BARBATULA *Rondeletii* & *Aldrovandi*, Lochia *Bellonii*, Smerla aliquorum, à cirris tenuibus, è roſtro, barbæ modo, propendentibus denominata, Germ. Schmerle, Schmerling, Pol. *Śliz wąsaty*, Caſſubiis *Wąsak*, quinque digitos longa, notas nigricantes in dorſo & lateribus, pinnas ſex, totidem appendices ſeu myſtaces cutaceas

ferens incolit rapidos fluvios, rivos saxosos & limpidos velocissimè natat, in pretio est, & tam delicatus piscículus *Lonicero*, ut inter omnes pisces fere primatum teneat.

XXVIII. CORALLINUS FLUVIATILIS *Cnapii*, Carassus & Charax *Schwenckfeldii*, Cyprinus brevis aliorum, German. Karus, Karas, Karusse, Pol. *Karas*, piscis in stagnis, lacubus piscinis numerosissimus, ejus caro dulcis & laudabilis. Datur major & minor, crassior, & tenuior, coloris aurum referentis, subalbidi, grisei, in fluviis, lacubus, piscinis. CORACINUS HYBRIDA seu Cyprinus Hybrida *Cnapii*, Carassus dimidius *Schwenckfeldii*, German. Halb-Karus, Karp-Karus, Pol. *Karpkarus*, *Dubiel*, minor est Cyprino vero, sed latior, & magis albicans. CYPRINUS LATUS seu Brama, Prasinus, *Gesneri*, Germ. Bresse, Praschme, Polon. *Leszcz*, *Kleszcz*, piscis latissimus, capite parvo, pro corporis magnitudine, dorso repando & cultellato, compressus, squamis magnis & albicantibus tectus. Si magnus est, & pinguis, à multis præfertur in cibo Carpioni, macer minùs sapit. Periti cupediarum, ut Lucii caudam, Carpionis caput, sic Bramæ partem mediam expetunt. Cyprinus latus parvus, Germ. Halb-Bresse, Pol. *Leszczyk*, *Potleszcza*, carnem insipidam obtinet.

XXIX. ERYTHRINUS seu Rutilus *Schwenckfeldii*, aliorum Rubellio, à pinnarum colore dictus, Germ. Roth-Feder, Pol. *Jaz*, *Jazica*, apud *Cnapium*, squamis grossis, latiusculis tectus, pinnas rubentes, non oculos ferens, caro aristis referta, & minùs proba, lacubus, & piscinis familiaris. Erythrinus *Hübneri in Lexico*, est piscis habens caput crassum, rostrum breve & acutum, oculos magnos, dentes parvos, hyeme profundè in aquis degit, æstate excurrit ad littora, victitat piscículis.

XXX. GOBIUS FLUVIATILIS *Gesneri*, Fundulus aliorum, Germ. Grundling, Bach-Krebse, Sand-Krebse, Pol. *Kiełb*, descriptus apud *Willughby in Ichthyographia*, corpore teretiusculo, squamis parvis, tenuibus induto, dorsum fusceseens, venter albidus, maculæ nigricantes, os rotundum

dum dum aperitur, ad utrumque angulum oris cirrus unus, iris alba, pinna in dorſo una. Amat fundum arenoſum & ſaxoſum, in fluminibus, rivis, torrentibus, caro ſvavis ad digeſtionem, & ſucci bonitatem, optimè comparata. Gobius digitorum ſeptem captus eſt, anno 1658. in Motlava, prope Gedanum. Duplex eſt *Jonſtono in Hiſt. Natur. de Piſcibus*, non capitatus, & capitatus, qui ſic deſcribitur ab eodem: GOBIUS CAPITATUS, Pol. *Kieth głowacz*, capite magno, lato, & depreſſo, oris hiatu non exiguo, labris aſperis, corpus partim album, partim maculis fuſcis notatum, carnivorus creditur eſſe, in rivis frigidis, & fluviis præcipitibus degit, coctus ſuavis & gratus. Eundem Gobium *Schwenckfeldius* dicit eſſe piſciculum lævem, corpore oblongo, ſenſim in acutum deſinente, coloris cinerei.

XXXI. LAMPETRA FLUVIATILIS *Gesneri*, *Aldrovandi*, Lampreta cænoſa *Schwenckfeldii*, Cæcula aliorum, Lampreta minor ſpuria, Pæcilias minor *Nonnii*, German. Fluß-Neunauge, Pol. *Minog rzeczny*, Lampretæ marinæ ſimilis ſed minor, foraminibus ſeu fiſtulis ſeptem utrinque inſtructa, in luto deliteſcens, caro mollis, glutinoſa, ſaporis ingrati, ad menſas lautiores non admiſſa, hamis infigitur à piſcatoribus, ad ineſcandos Thymallos, Anguillas, Lucios, & alios piſces. LUCIUS ſeu Lupus fluviatilis *Alberti M.* & *Gesneri*, German. Hecht, Pol. *Szczupak*, *Szczuka*, piſcis notiſſimus, voraciſſimus, commendatur junior & mediocris, hic enim eſt boni ſucci, & ſtomacho idonei, maximus verò, ac qui jam conſenuit, carnem duram, tenacem, difficillimæ concoctionis habet. Ex *Gesneri* obſervatione, fluvialis albet, lacuſtris nigricat, in Hiſpania nullus, Italicus ventre prominentiore, & corporis velut truncata mole. In Stagnis Ruſſicis, *Joannis III. Regis Poloniæ* contigit, ut cum Vulpes ſitibunda veniſſet ad aquas hauriendas, ad ipſumque littus immerſo ore ſe refocillaret, Lucius juſtæ magnitudinis, caſu præteriens, naribus Vulpis ſic bene infixerat dentes, ut eos nullatenus dimovere potuerit: luctabatur ergo piſcis cum fera, ſed hæc neutiquam ſe

passa est immergi stagno, immo capientem se prius, captum in littus extraxit. Ita prædator Lucius præda factus rustico aspectanti, ac in spectaculum, donum Regi præfato, offerenti. *Kowalicki in Concionibus de Sanctis.* LUCIO-PERCA *Gesneri*, Schilus, Nagemulus *Schoneveldi*, Sedacius *Cromeri*, Sandina *Dictionarii Veteris*, Germ. in Prussia Sanat, Sandat, Pol. *Sędacz*, piscis apud *Schwenckfeldium* est rapax, vorax, longus, asper, squamosus, medius inter Lucium & Percam, capite & rostro Lucium referens, reliquo corpore Percæ similis, maculis varius, carnem obtinens candidam, concoctu difficilem, sed suavem. Ad admirationem frequens est in Habo, qui Germ. Frisch Haf, forum piscarium Gedani, & alibi implet, parte qualibet anni.

XXXII. MARENA *Schoneveldi*, Murænula, Albula lacustris, Albiculus lacustris *Schwenckfeldii*, German. Marene, Pol. *Sielawa*, *Sutwica*, *Marenka*, Harengo secundùm *Rajum in Synopsi Piscium*, partibus omnibus ferè respondens, nec minimam cognationem habens cum Murænis Romanis. Harengus seu Halex lacustris est *Naucranzio in Exercitat. Medica de Harengo*, habens iridem auream, squamas minutas argenteas, facilè deciduas, dorsum subcæruleum, lineam à capite ad caudam utrinque protensam, pinnas sex, caro ejus candida, suavis, succi laudabilis, mensæ deliciæ. Capitur in lacubus, hyeme ut plurimùm sub glacie, nam aliis anni partibus, aquas profundissimas petit, vix extra aquam venit, moritur. Nonnullorum est observatio, & traditio, quòd in illis Prussiæ, Varmiæ, &c. lacubus, in quibus capiuntur Marenæ, etiam Succina latent, vena candida ex visceribus eorundem piscium extracta, exsiccata lentè, carbonibus imposita, idem Electrum olet. Smaris & Mæna alba non rectè denominata ab aliquibus, & à me antea, nam diversi hi pisces sunt à Maræna præfata, patet id clarè ex descriptione facta *à Gesnero*, *Jonstono*, & aliis. MUSTELA FLUVIATILIS MINIMA *Gesneri*, Cobitis fluviatilis *Rondeletii*, Germ. Schley, Pol. *Sliz*, *Slizyk*, species Apuæ *Cnapio in Thesauro*, squamis destituta, amans aquas limpidas, rapidas.

XXXIII.

XXXIII. PÆCILIAS *Schwenckfeldii*, Muſtela varia *Agricolæ*, Germ. Beißker, Schlammbeißker, Pol. *Piskorz*, Ruſſis *Jun*, piſcis lubricus, colore varius, dorſum cinereum, plurimis notis & maculis transverſim pictum, ad latera utrinque linea protenditur, ab ore cirri ſeu carneæ particulæ pendent, venter albicat punctis conſperſus, dodrontalis ferè longitudinis, degit in aquis cænoſis, copioſiſſimus in Poleſia Litvana, in Palatinatu Lencicienſi, & alibi, adhibetur menſis à fortunæ inopibus. Ophidion denominari nequit, ob *Willughby* & *Raji in Synopſi Piſcium*, deſcriptionem aliam iſtius piſcis.

XXXIV. PERCA MAJOR ſeu Porca dicta à ſpinis, quibus in dorſo, inſtar ſetarum ſuillarum, munitur, Germ. Perſchke, Barſch, Pol. *Okuń*, cum iride coloris aurei, pinnis duabus in dorſo, quarum prima capiti propior, aculeis inter ſe tenui membrana conjunctis, eſt munita & longior, ſecunda brevior ſine aculeis, reliquæ pinnæ, & cauda, rubent. A *Charletone in Exercitationibus* ita deſcribitur: piſcis amni & lacui communis, toto corpore ſquamoſus, virgulis, lineisque ſeu potiùs maculis ex cæruleo ſubnigricantibus, à dorſo ad ventrem deſcendentibus quaſi undulatus, pinnæ & cauda rubeſcunt, branchias quaternas habet, eaque duplices noviſſimâ exceptâ &c., os parvum, lapillos vulgò dictos binos & rotundos in capite gerit, hi contra lithiaſin commendantur. Nutritur piſciculis variis, nec ſui generis parcit. Caro ejus duriuscula, friabilis, ſucci laudabilis, ſalubris, guſtui grata, quapropter piſcis iſte Perdix aquarum eſt vocatus. Lacuſtris differt coloribus, aliisque accidentibus, à fluviatili. Et *Gesnerus* Percas fluminum lacuumque puriorum præfert Percis degentibus in aquis minùs puris. PERCA MINOR *Gesneri*, Aurata fluviatilis *Tragi*, Cernua fluviatilis *Bellonii*, Porculus, Porcellus *Junii*, quòd Porcum ſerie ſpinarum, ad modum ſetarum exprimit, German. Kaul-Perſchke, Kaul-Perſch, Kulberſch, Kaul-Barſch, Pol. *Jazgar*, *Jazdz*, *Kolperz*, Percæ majori piſcis cognatus, notis plurimis inſignitus, pinnis ſex inſtructus, ex quibus in dorſo una aculeata, caro delicata, ſalubris,

ægro-

ægrorum obsonium, lapilli in capite cordialibus medicinis miscentur, calculos pellunt.

XXXV. PLOCENA seu Plocenus *Encelii*, Plota *Jovii Pontani*, Germ. Plötze, Pol. *Płoc*, *Płocica*, *Płotka*, è majoribus una, seu Rutilus major habet circulum album includentem pupillam, dorsum obscurum, squamas albas non exiguas, pinnas senas, in dorso unam, duas ad branchias, in ventre totidem, unam ad anum, rubicundo colore omnes infectas. Plotæ, Alburni, Leucisci *Cnapio*, varii capiuntur, majores, & minores, crassi, & tenues, inter quos unus exiguus ostentans os rubeum, dorsum subcæruleum, pinnam unam fuscam, plures rubentes modicè, simul cum cauda. Alia Plota datur cum iride coloris argentei, squamis candidis facillimè decidentibus, sub quibus dorsum apparet subviride, pinnis sex natatum juvantibus. Omnes Plotæ sæpe generale vocabulum Albularum, à German. Weiß-Fische, à Pol. *Biate Ryby* accipiunt.

XXXVI. RUBELLIO, seu Rubellus, Rubiculus *Schwenckfeldii*, Rutilus *Schoneveldi* Ruboculus *Cromeri*, Rubella aliorum, Germ. Roth-Auge, Plötze, in Prussia, si major fuerit, Gesnitz, Pol. *Płoc*, *Płotka*, squamis argenteis nitens, oculorum circulus ruber seu miniatus cingit pupillam nigram, dorsum cæsium, os rubeum, pinnæ quinque & cauda cinnabarim imitantur colore, pinna sexta subrubea in dorso, linea obliqua corpus utrinque notat, caro mollis, spinis referta, palato non ingrata, præsertim si pinguis fuerit. RUBELLIO seu Ruboculus à Pol. *Wzdręka* denominatus, Plotam formâ corporis referens, sed latus, & tenuis, squamis albis indutus, iris, & pinnæ omnes rubicundi coloris, dorsum gracile, lividum, longitudo spithamæ, vel semicubitalis in lacubus, caro aristis abundans.

XXXVII. SILURUS *Gesneri*, *Rondeletii*, *Raji*, *Schoneveldi*, Glanis *Salviani*, Amia *Eberi* & *Peuceri*, German. Welß, Pol. *Sum*, fert caput grande, oculos parvos, rictum amplissimum, & capitis latitudine patulum, cutim fuscam lubricam, macu-

maculis nigricantibus, nonnunquam obſcurè flaventibus reſperſam, labrum ſuperius gemino, inferius unico ordine denticulorum aſperum, quibus retinet prædam, ab eodem labro inferiore dependent barbulæ quatuor tenues, oblongæ, pallidæ, à ſuperiore cirri bini duri, longiſſimi, quos ante ſe modò exerit, modò ad latus componit, venter magnus & deformis, in dorſo pinna unica, ab ano ad caudam protenſa. De hoc piſce *Wagnerus in Hiſtor. Natur. Helvetiæ*, ait, ut Balenæ ſeu Ceti in mari, ita Silurus in aquis dulcibus, magnitudine excellit, reliquisque piſcibus formidoloſus, noxius, eſt. Longitudinem nonnunquam ad octo & ampliùs cubitos excreſcere, pondus centum quinquaginta libras æquare, & ſuperare, *Rajus in Synopſi Piſcium*, affirmat. De voracitate vulgò fertur, piſcem piſci prædam eſſe, at Siluro omnes. In Viſtula capitur aliquando ſexdecim pedum longitudinis, latitudinis dodrantum trium, *Schnebergero in Epiſtola ad Gesnerum* referente, In fluviis *San*, *Wiſtok*, aliisque multis, ad ſex ulnas extenditur. Nec piſcibus contentus, in lacu vicino Goslavienſi pago Caliſſienſis Palatinatûs, Anſeres devorare conſveverat, in piſcina Suburbii Cracovienſis Murem aquaticum in eſcam aſſumpſerat, in *Lacha* præterfluente Oppidum *Kozienice* Palatinatûs Sandomiriensîs, puellos corpora abluentes æſtate, quòd devoraverat, calvariæ, & oſſa concluſa alvo, prodiderunt. In Boryſthene, penes *Złobin* Oppidum Litvaniæ, poſt devoratos homines, vitulos, anſeres, &c. Silurus protenſus ad menſuram cubitorum plus quàm duodecim, captus eſt laqueô, cum difficultate occiſus, concludens ſtomacho humana oſſa, ignitabula, circulos ferreos. Præter præciſum grande caput, rictumque vaſtiſſimum, caro implevit, dolia bina, ventriculus relictus eſt ad ſpectaculum, ſignumque magnitudinis.

XXXVIII. SPINACHIA ſeu Centriſſus *Schwenckfeldii*, Pisciculus aculeatus *Gesneri*, Pisciculus pungitivus *Alberti M.* Germ. Stachel-Fiſch, Stechbietel, Stiechling, Pol. *Kacik*, Percæ minori ſimilis, aculeis in tergo multis, in ventre tribus

munitus, in lacubus, & aquis cænosis, putridis, vivens, sapore minùs placens, à piscatoribus tanquam inutilis rejectus. In Insula Mariæburgensi, Elbingensi, Gedanensi, Pisciculi pungitivi à villanis decoquuntur, liquantur in adipem, à Germ. Thran dictam, inservituram lychnis, tempore hyemali.

XXXIX. SPIRINCHUS *Gesneri* à vocabulo Belgico *Spiring*, in Latinam terminationem deflexo, Apua phalerica, Aphya lacustris *Hübneri in Lexico*, Germ. Stindt, ratione odoris tetri, Pol. *Sztynka*, à *Schoneveldo* ita describitur: dorsum obscurè cinereum (quâ notâ optima) venter argenteus, squamæ parvæ, non difficilè defluentes, os dentatum, labrum inferius prominens, cauda bifurcata, caro mollis & dulcis. Maris & lacuum hic piscis incola est, in Habo, (qui Prussis Frisch Haf) interdum capitur sex digitorum, habens dorsum flavescens, lineas utrinque dividentes à dorso ventrem, iridem coloris argentei cingentem pupillam.

XL. THYMALLUS *Gesneri*, *Aldrovandi*, *Schwenckfeldii*, *Cardani*, Umbra fluviatilis *Alberti* M. Temelus, Aschia aliorum, German. Aesche, Asche, Iser, Pol. *Lipień*, teste eodem *Gesnero*, Prussis *Brzona*, piscis aspectu dignus, ex genere Truttarum, sensu *Bellonii*, caput parvum habet, pro corporis ratione, & in acumen tendens, iridem flavam, linguam albam, os aperitur non longo sed quadrato ferè hiatu, corpus crassum, pinna in dorso longior una, altera brevis vicina caudæ, ad branchias pinnæ duæ, in ventre totidem, prope anum una exigua, omnes subcæruleæ, notis rubentibus maculatæ, squamæ duræ, coloris albi, rectis lineis positæ, cauda in partes binas sciffa, caro candida, friabilis, boni succi, stomacho idonea, ut Trutta sapit. Elixatur non desquamatus idem piscis, aceto perfunditur, vel in croco paratur. Gaudet puris, frigidis aquis, & per saxa labentibus, vescitur gryllis aquaticis, muscis, lumbricis, & similibus insectis. Axungia liquata sole, & melli permista oculis adfert claritatem, cava relicta post variolas, illita explet, ambusta sanat. Fluvii rapidi, limpidi, Regionis montanæ, Thymallos numerosos alunt,

non

non deſunt in Raduniæ, Veriſſæ Pruſſicis aquis, nec non alibi.

XLI. THRYSSA *Rondeletii*, *Gesneri*, Trichada *Ariſtotelis*, Clupea *Salviani*, Aloſa *Aldrovandi*, Cirta *Cromeri*, Germ. Zerte, Pol. *Certa*, caput ejus mediocre, iris flavens ut aurum, os amplum, in dorſo color nigro-cæruleus, in ventre, & lateribus argenteus, pinna dorſi unica, ad branchias pinnæ duæ, in ventre totidem, ad anum una, omnes modicè rubentes, lineæ laterales à branchiis ad caudam protenſæ. Caro inſperſa ariſtis, ſaporis boni, maximè ſi aſſa fuerit. Capitur hic piſcis in fluviis, Viſtula, Varta, & aliis, oblongus magis quàm latus, in lacubus brevior, ſed latior. Marinus ſimul & fluviatilis eſt, quia in aquis tam ſalſis, quàm in dulcibus alternatim verſatur. In Pruſſia, primò ex Mari Balthico Habum ingreditur, ſecundò Viſtulam, aliosque amnes, dum autem aquæ incaleſcunt multùm, ad Mare revertitur. Idem piſcis, quò longiùs à mari recedit, eò melior gratiorque palato eſt.

XLII. TINCA ſeu Merula lacuſtris, Germ. Schley, Pol. *Lin*, piſcis latiusculus, ſquamoſus, tactu lubricus, mucoſus, ad nigredinem ex ſubviridi colore, tendens, caro inſalubris, difficilis concoctionis, mali ſucci, febricitantibus noxia, à Medicis omnibus uno ore damnata. Manet in ſtagnantibus & paluſtribus aquis, in lacubus, in fluviis tardè labentibus, vel limoſis. Amicitiam Lucii cum Tinca refert *Willughby in Hiſt. Piſcium*, hujus enim muco adfricat vulnera ſua, & illinit. Idem piſcis ab aliquibus Medicus piſcium omnium appellatur, ſectus per medium, plantisque pedum ſuppoſitus calorem febrilem temperat, fel affectibus aurium, fluxibus, medetur.

XLIII. TRUTTA ſeu Variola, Variolus, Vario à punctorum varietate, Germ. Forelle, Boruſſis Lachsfahr, Pol. *Pſtrąg*, ſquamis minutis tectus, maculis purpureis, ſeu rubentibus inſignitus, caro friabilis, ſuavis, in cibo laudabilis, ſaporis optimi. Amat hic piſcis fluvios limpidos, frigidos,

rivos ſaxoſos, glareoſos, mundos; ſursùm contra aquam movetur, extra eam citò exſpirat. Truttas, Salmones eſſe fluviatiles, vel lacuſtres, nemo eſt, inquit *Rondeletius in Hiſt. Aquatilium*, qui negare poſſit, qui has cum Salmonibus marinis, qui ſubeunt flumina, conferat. Trutta Salmonata *Schwenckfeldio* eſt Trutta major fluviatilis maculis rubentibus picta, ſeu Salmo parvus, Salmunculus, Germ. Lachsfahr, caro non elixa rubet, grata, ſucci boni, faciliùs quàm Salmonis digeritur. Salmonata Trutta *Bellonio in Aquatilibus*, eſt media inter Salmonem, & Truttam vulgarem, *Jonſtono* Trutta lacuſtris eſt apud Gallos Trutta Salmonata, Truttis vulgaribus grandior, Salmone minor, Sario *Auſonii*; opinione præfati *Bellonii*, & *Rondeletii*, maculas in corpore habens purpureas, multò quàm in Salmone copioſiores. Addit *Rajus in Synopſi Piſcium*, Trutta Salmonata differt à Salmone, quòd cauda ejus ſit æqualis & minimè forcipata, caro non rubet ut in Salmone. Truttam lacuſtrem *Gesnerus* diligenter intuitus (ait *Aldrovandus*) his verbis deſcripſit: ſquamulis minimis tegitur, bene dentata eſt, caput fert coloris nigro-cærulei, dorſum partim glaucum, partim ſubnigrum, partim cæruleum, partim ſubviride. In lateribus puncta nigra, pinna in medio dorſo multis nigris maculis variatur, reliquæ albent. Habet & ultimam pinnulam mollem dorſi, ut reliquæ Truttæ, quaternas branchias. Ad duorum, triumve cubitorum magnitudinem accreſcit, inquit *Aldrovandus*. Anno 1661. die 14. Januarii, Trutta Salmonata capta eſt in Motlava fluvio, ad locum Germ. Eyſe, penes Prabanck, longitudinem cubitorum duorum tenens, æquans pondus librarum quadraginta duarum, maculis nigris notata, cum cauda non bifida, depicta in ædibus *Hellwich Mercatoris Gedanenſis*, plateam Hund-Gaſſe inhabitantis. Differentia Truttarum magnarum, in *Piasnica è Zarnovecenſi lacu* egrediente, patet. Truttæ ſemper parvæ cum maculis rubentibus, Germ. Rothe Forellen, in Palatinatu Pomeraniæ frequentes, præſertim in Caſſubiæ fluminibus minoribus, & rivis, non tamen ita pingues, & numeroſæ, ut

ut in Terra Halicienſi. Cracoviam versùs, in Regione Montana, ubi pro Pruſſicis groſſis tribus, patina minor, Pol. *Putmisek*, illis non rarò repletur. Circa Oppidum *Kuty*, Truttæ parvæ exſiccatæ centum, ſæpe Pruſſicorum groſſorum duorum, Polonicalium duodecim, pretium obtinent.

XLIV. PISCES LATINO VOCABULO NON DONATI huc adducuntur. Ex talium numero primus, Polon. *Bolen*, Carpioni ſimilis traditur eſſe, ſed ſquamis albicantibus, & majoribus, quàm ſint in Carpione, indutus, in lacubus degens & fluviis. Secundus Pol. *Czop*, in epiſtomii forma, ut eſt inſinuatum in *Byſtrzica* flumine. Tertius Pol. *Jelec*, cum capite tenuiore, quàm ſit in Carpione, roſtro nonnihil inflexo, corpore craſſo, ſquamis albis non modicis, pinnis rubris, in fluviis Regionis Montanæ puris. Quartus Pol. *Kleń*, dicitur habere caput non exiguum, penes illud corpus craſſum, ſed ad caudam, contractum, ſquamas albas, pinnas rubeas. Quintus Germ. aliquibus Kolpok, Pol. *Sowka*, Noctua fluviatilis vocari poteſt, propter ſimilitudinem aliquam, in capite magno, oculis grandibus & prominentibus, cum Noctuæ minoris ſeu aucupariæ capite, atque oculis, corpus contiguum capiti latiùs deſinit in tenue, ſine ſquamis, coloris fuſci, venter planus, latera inſtar tecti, in dorſo pinna unica longior, piſcis horridus, nec edulis, verſatur in fluminibus Pruſſiæ, Varmiæ, &c. Sextus Pol. *Wyrozub*, inſtructus dentibus, formam dentium molarium humanorum præſeferentibus, ſquamis albidis munitus. Præterea, ad elenchum piſcium refertur German. Schermut lacuſtris, Vindoſæ aſſimilis, aſt craſſior, nec non brevior. Piſcis oblongus, oris exigui, Germ. Moderbiken, incola lacuum. Ad extremùm, Germ. Witling, piſcis exilis, ſpectans ad Albulas, manens in lacubus.

XLV. Ultra ſexaginta genera piſcium in fluviis, lacubus, & mari, victitantium, *teſte Leone in Hiſtoria Pruſſiæ*, quidam in Pruſſia ſola numeraverat, ego prope octoginta obſervaveram. Gedanenſe forum piſcarium, ad ſtuporem

abundat piscibus variis, tempore verno, æstivali, & autumnali, hyeme, propter glaciem, dum pauciores advehuntur ex Mari & Vistula, lacus suppeditant. Anno 1524. magnus defectus piscium erat, frequenter enim ne quidem tot in utroque Habo, in Geserico, & Drauseno lacubus capiebantur, quibus suam famem pellerent piscatores, qui autem prehendebantur, in cadaveris fætidi modum, sordebant, supra adducto authore referente. Anno 1528. in Gedanensibus fossis tam numerosi fuerant pisces, ut manibus capi potuerint. *Chronica Rerum Memorabilium Regiomonti 1579. impressa.* Adde notitiæ gratiâ, non procul à limitibus Poloniæ, Cracoviam versùs, extenditur ad Regnum Hungariæ spectans Comitatus Arvensis, Polon. *Orawa*, in ejus fluvio Arva denominato, reperiuntur pisces parvi extra aquas se efferentes & volantes ad non modicum spatium, more Loliginum, Hirundinum, Accipitrum, Mugilum, è mari exsilientium præ timore, ne præda fiant majorum piscium, *Æliani*, *Oppiani*, *Rondeletii*, testimoniô. Piscis Americanus volans *à Levino Vincentio in Catalogo Animalium, Volatilium, Reptilium, & Aquatilium*, ponitur. In Mari Atlantico piscis volitans ad centum quinquaginta passus, *à Stocklein in Variis Literis Missionariorum Soc. Jesu*, citatur. Exstat & *Voigts Dissertatio de Piscibus Fossilibus, & Volatilibus.*

XLVI. TESTUDO, German. Schild-Kröte, Teller-Kröte, Pol. *Zolw*, à tegmine testaceo simili scuto dicta, quod nunquam mutat. Animal est quadrupes, sanguine præditum, tardogradum, oviparum, *à Schwenckfeldio, inter Reptilia Silesiæ*, fusè descriptum. Duplex *Gesnero* est Testudo, terrestris & aquatica. Terrestris seu montana, nemoralis, *Plinii* Chersina, sensu *Bellonii in Aquatilibus*, omnium delicatissima, ac magis salubris. Luteis & nigris maculis in dorso distinguitur, juxta *Rajum in Synopsi Method. Animal. Quadruped.* testa superior valdè convexa est, inferior plana, caput habet parvum, serpentinum, quod exerere, & infra testam subducere potest pro libitu, per hyemem sine cibo in terra latitat, & quàm

quàm diutissimè vivit. Fluviatilis à Græcis denominatur Hæmida, ab aliis lutaria, quæ in cænosis versatur locis. Testudines terrestres, & in aqua dulci viventes, quòd sine cerebro omni, sex menses integros, sine capitibus, viginti tribus diebus, vixerint, *Redus in Observationibus de Animalculis in corporibus Animalium vivorum repertis*, experientiâ propriâ fultus affirmat. Ova pariunt in sicco similia ovis avium, effossæ scobi imponunt, terrâ obruunt, hæc propter testæ duritiem, horis tribus coqui debent, antequam in cibum veniant. Caro est dura, sanguis exsiccatus, vino impositus, Viperarum, & Rubetarum, adversatur veneno. Eadem caro, ait *Ganser in Tutrice Corporis Humani*, est odoris & saporis grati, refrigerat & humectat, tabidis & hecticis pro salutifero ferculo inservit, pro antidoto, adversùs venenum, ac epilepsiam, sanguis habetur. Stagna, & paluſtria loca Volhiniæ continent Testudines numerosas: in Palatinatu Sandomirienſi, circa pagum *Grembowo*, in Calissienſi, circa Oppidum *Hocz*, in Posnanienſi, & alibi, non infrequentes, & in Polesia Polona circa *Kazimierzow* pagum.

XLVII. LACUS, Germ. See, groſſer Teich, Pol. *Jezioro*, est locus profundus cum aquis perennibus. Lacus emittentes fluvios, & non recipientes, in fundo habent uberes fontes, ex quibus funditur aquarum copia. Lacus, in quibus nullum recepti, aut emissi fluminis apparet indicium, opinione *Kircheri in Mundo Subterraneo*, sine occulto subterraneorum fluviorum commercio, non possunt subsistere. Lacus fluvios recipientes, non verò apparenter emittentes, quia non exundant, meatus subterranei faciunt, quos intrando aquæ diminuuntur. Si per Lacus medios quosdam flumina transeunt, sine commistione, aquæ lacustres crassiores resistunt aquis fluvialibus subtilioribus. Si in Lacu aliquo interdum disparent pisces, id referendum est ad meatum subterraneum, per quem, alium lacum, aut fluvium intrant, vel quod lacus sit talis, in quo sic fundo uni superiori subjectus est fundus alter, ut inter utrumque fundum intercedat

novus

novus quasi lacus, in quem pisces subinde se recipiunt, deserto superiore. Tales lacus *à Scheffero* traduntur esse in Lapponia. Lacus majores & minores communicationem habentes cum aliis lacubus, per cuniculos subterraneos, non pauci sunt in Regni nostri Provinciis, experientiâ id comprobante.

XLVIII. In MAJORI POLONIA Lacus Sbonszinensis propinquus, uni jactui retium obtulit Siluros octoginta, piscium *Bolenie* appellatorum sexagenas viginti. Lacus ad *Obiezierze* Oppidum, sexagenas triginta Silurorum simul semelque dederat hero. Lacus ad pagum *Kiekrz* Palatinatûs Posnanienſis, Percas majores cubitales dederat piscatoribus, hyberno tempore Percæ dum maximæ sunt, inquit *Gesnerus*, præfatam mensuram implent. Lacus ad villam *Stupia*, Carpiones magnitudinis insolitæ aliquoties mensæ suppeditavit. Lacus bini ad Valcium Marenas seu Albulas, Polon. *Sielawy*, exiles, sed sapidissimas alunt. Lacus *Smolno* in Valcensi Capitaneatu abundat Cyprinis extraordinariè latis, sed brevioribus, crassis, unguinosissimis, saporis optimi, è quorum numero unus, ex isto lacu, non ex Valcensi, ut antea tradideram, octodecim libras æquabat pondere, lampadibus quinque adipem subministraverat. Lacus ad *Tuczno* & *Marcinkowo* spectantes, Marenas minores continent. Lacus non procul *à Sierakowo* Oppido extendebatur arenosis montibus cinctus, hic successu temporis, eisdem arenis projectis vi ventorum est obrutus maxima parte, residuum ejus Piscina Sagarum denominatum, *Collectaneis Naturæ & Medicinæ impressis Lipsiæ*, id referentibus. In CUJAVIA Lacus *Gopto* Siluris grandibus, Carpionibus ultra duas ulnas protensis, Percis majoribus cubitalibus, abundat. A Lutris Silurus triulnaris extractus in ripam, villano cessit id advertenti, piscatricesque abigenti. Insula in lacu eodem, non procul à pago *Szarley*, Anserum ferorum, Gruum numerosissimarum est receptaculum. Lacus *Wirzchucinensis* Marenas, Anguillas biulnares, nutrit. Ad pagum *Skurdwie* distantem semiduobus milliaribus ab Urbe Graudento, in Palatinatu Culmensi, Lacus ex

mi-

minoribus unus ejusmodi est, ut hoc anno contineat abundanter aquam cum piscibus, alio anno, illas amittat aquas simulque pisces iterum redituros.

XLIX. In VOLHINIA Lacus rotundus Ducatûs Czartoriensis, adeò injectorum impatiens, ut omnia egerat, tumulis arenarum tam aptè in circumferentia est à natura cinctus, *Jonstoni in Thaumatographia, pag.* 71. testimoniô, ac si manu artificis aliquando fuisset septus. Idem lacus *Bielska-Wola* pago vicinus, refertus est silicibus, sustinens etiam nandi imperitos, fama id divulgante. Si in aliquibus lacubus & fontibus corpora densa non submerguntur, ratio assignatur, quia aquæ hujusmodi sunt adeo graves atque densatæ, ex admistione alicujus terrestris viscosi & unctuosi, ut non possint dividi à projectis corporibus. E contrà, aquæ si immissa statim deorsùm hauriunt, subtiles esse censentur. In eadem Volhinia, ad Ecclesiam Ruthenicam Okninensem spectatur lacus parvus, rotundus, profundissimus, ideoque vulgò *Bezodnia* vocatus, id est fundum non habens, ex illo profluit rivus lapidem molarem circumagens, Stagnum intrans, sæpe tam copiosam aquam effundens, ut molendinum tollat. In eo lacu piscosissimo, Carpione allectus, captus est hamo Lucius trium cubitorum & medii, missusque Cremenecum.

L. In PRUSSIA complectente Palatinatum Culmensem, Mariæburgensem, & Pomeraniæ, Lacus ad *Strzelno*, Marenis seu Murænulis majoribus separatim à minoribus natatu utentibus abundat. Lacus villæ *Swięte*, Percas majores, propè ulnares, Cyprinos latos raræ magnitudinis alit. Lacus Drusis, Germ. Drausen, Pol. *Druzno*, recipit fluvium *Sirguna* &c. emittit Elbing navigabilem, à quo Urbs Elbinga denominata, foventem Anguillas, præter alios pisces, intrantem Habum. Lacus *Radunia* ejusdem nominis flumen admittens, ad *Stężyca* pagum, oriundum, alter est Murenarum, German. Marenen, Truttarum, aliorumque piscium saporis singularis. Lacus Capitaneatûs Osiecensis, *Stone*, *Czarne*,

Kalembie, *Głucho*, *Brzeziny*, *Staszki*, &c. divites piscibus. In primo lacu copia magna est Anguillarum, & Percarum majorum, in secundo Cyprini lati seu Bramæ interdum longitudinem unius ulnæ multùm excedunt, Lucii, & Siluri, ad cubitos duos, & ultra protensi: in tertio, Pisces albi, Germ. Weiß-Fische, in particulari Pletzen, Pol. *Płoc*, *Płocice*, reperiuntur molis extraordinariæ: in quarto Tincæ extensionem ferè ulnarem habentes. Lacus, Germ. Marien-See, ad *Przywidz* pagum, pisces placentes maximè gustui concludit. Lacus Parchovienſis Marenas offert. Lacus villæ *Obozino* Carpiones duos insignis magnitudinis extradidit, pinguedine sic abundantes, ut spectaculo tantùm & dono, non esui inservirent. Lacus *Gatno* propè rus *Jadamow* tenet Percas majores fere cubitales, Marenas semicubitales, Cyprinos latos molis singularis. Lacus parvus sed profundissimus, *Polaszki* pago vicinus habet Percas majores cum magno capite, oculis prominentibus, corpore gracili, insipidas. Lacus *Gowidlino* villæ, in Capitaneatu Mirachovienſi, etiam lacubus aliis largitus est Marenas. Lacus Capitaneatûs Koscierzinenſis, inter aquatilia alia, Cyprinis latis, grandibus, & pingvibus, concedunt locum. Lacus non pauci Capitaneatus seu Præfecturæ Sluchovienſis, Tucholienſis, Kosobucenſis, Białoborscenſis, Kiszovienſis, &c. referti Marenis, quæ & in lacu Borzechovienſi capiuntur. Lacus *Charzykowy* ad Conecum nutrit Truttas majores seu Salmonatas ulnam unam, & dimidiam longitudine adæquantes, Lucio-Percas propè bicubitales, Percas majores ferè cubitales, Percas minores quartam partem ulnæ attingentes, Thryssas semiulnares. Lacus inter Zukoviam, & Mirachovum, insolitæ molis Cyprinum latum retibus obtulit, explevit operariorum duodecim famem in prandio. Ex Lacu Rinkovienſi, ad Lacum Capitaneatûs Osiecenſis distantem duobus milliaribus: ex Lacu *Więckowy*, prope Pelplinum, ad fluvium Veriſſa: ex Lacu Jelenienſi ad Rakoviecenſem aliqui pisces se transtulerunt, per meatus subterraneos. In Lacu *Wdzidze* continente Trut-

Truttas majores seu Salmonatas ad ulnam unam & dimidiam protensas, dum illi loco, qui vocatur *Okno*, nec congelatur, sagena immitteretur, violenter abrepta est, comparuisseque fertur in Vistula longè remoto. Aliquot lacus in Prussia dicuntur vapores densos emittere ad Januarium, etiam intenso frigore in glaciem crassam & solidam tunc non concrescere, tempore posteriori, quamvis remissiore gelu ita adstringi, ut ferant retium onera, & piscatorum. Lacus *Tuckum* distans Gedanô milliaribus duobus & dimidio, efflorescentiam viridem sibi innatantem habere traditur, animalibus si eam deglutiant exitialem. *Epitomes Transactionum Philosoph. Anglicarum Volum. II. pag.* 320.

LI. In VARMIA seu Emerlandia, Lautren Lacus, Marenarum minorum agmina tenet. Lacus alii, Ruboculos, Germ. Rothaugen, etiam semiulnares continent. Traditur esse lacus, penes *Bartelsdorffium*, in Cameratu Vartenburgensi, qui dum nubes minantur fulmina & grandinem, aquam in altum ad orgyias tres protrudat, homines non recordantur in vicinia lacûs manentes, præfata aliquando cecidisse meteora. De Lacu, inter *Butryn* & *Przykop*, descripto *à Tylkowski in Meteorologia Curiosa*, relatio sequens data est mihi à viris annosis, fidemque promeritis, in Ducatu Varmiensi. Prata dicta *Jeziorki* sæpe opplentur aquâ, per annos multos, olim per viginti, non ita pridem per octodecim, durante, piscesque optimos varii generis copiosissimè submINISTRante, successu temporis, deficit, ita ut accolæ colligant fænum, in æstatibus aliquot, his elapsis, iterum aquæ unà cum piscibus veniunt, lacum efficiunt. Instituitur quæstio, unde hæ aquæ prodeant? periti locorum respondent, quòd ex paluSTRibus tractibus defluant in Lacum *Kalno*, augeant eum, tempore verno, inde se diffundant ad prata.

LII. In LITVANIA, lacus frequentes, ingentes, & piscosi. *Starowolski in Polonia.* Brestensis seu Brestianensis Palatinatus abundat lacubus spatiosis, præsertim in Pinscensi circulo. *Sapieha in Monimentis Antiquitatum Marianarum.*

Ibi, & alibi, in Magno Ducatu Litvaniæ, à Moſchoviticis Mercatoribus, magna copia piſcium ſagenis concluditur, hiberno tempore, quorum pars una, laboris ſumptusque titulô, ab iis accipitur, altera cedit domino fundi. In Capitaneatu Uswiacenſi Palatinatus Vitepscenſis Lacus numeroſi, Lacus *Duswiaty* Trocenſis Palatinatûs offert Marenas majores ac pingues, *Zanorocz*, *Miadzioł*, *Dusie*, *Douginie*, minores ferunt. Lacus Zyd, prope Słuckum, alit Percas minores longitudinis raræ. Lacus *Białe* Palatinatûs Polocenſis dat piſcatoribus Marenas, ad dimidiam ulnam protenſas. Lacus aliqui ejusdem Palatinatus tenent Marenas, longè cubiti medii dimenſionem excedentes, verùm ſapidas minùs, quàm ſint mediocres, aut parvæ. In Lacubus Litvaniæ, Ruſſiæ Albæ, & Samogitiæ, capiuntur ſæpe Cyprini lati unguinoſiſſimi, ſapidiſſimi. Ad Braclaviam Urbem Palatinatûs Vilnenſis, in lacu piſces præfati grandes, inter quos annoſi aliqui excreſcentias ferunt, cornu aſſimiles. Ibidem Spirinchi ad quadrantem ulnæ extenſi ſpectantur. A Civitate *Birże Radziwiliorum* in Litvania, ſpatio milliaris unius diſtabat terra plana, & ut videbatur ſolida, hæc ſucceſſu temporis, deſcendit in profundum, per longum tractum, lacusque parvos aperuit, non ſine piſcibus, ibidem & horreum quoddam eſt abſorptum. In LIVONIA AUSTRALI, *Sita* lacus, non ſinè Marenarum examinibus. In CURLANDIA Eßertſchen lacus profert Percas majores, quæ ſi coquantur ſine capitibus, ſalubres ſunt comedentibus, ſi cum capitibus apponantur menſæ, juſculum ſumptum efficit ſemipotos, hac de cauſa, ait quidam, *in Collectaneis Naturæ & Medicinæ Acad. Curioſ. Vratislavienſium*, quòd in eodem lacu plurima herba excreſcit, Latinis Ledum, Germ. Porſche, (adhibeturque ad cereviſiam fortiorem reddendam) illius vires capita piſcium occupant magis, quàm corpora. In Curlandia eadem, Lacus tantæ eſt vaſtitatis in circumferentia, ut milliaria quatuordecim adæquet. Quanta verò ſit Lacuum notabiliorum in Regno noſtro profunditas, ſeu quot orgyiarum menſuram implent, curioſorum, piſcatorum-

torumque labori relinquo, non ignoro tamen numerosos esse, ad stuporem profundos.

LIII. INSULÆ NATANTES, Pol. *Spławy, Popławy*, levi constant materia & vectabili, quæ non rarò ex uno loco in alium ventis propelluntur. Majora Stagna Volhiniæ Insulas ejusmodi non paucas ferunt. In Stagno Rzeczicznensi Palatinatûs Russiæ, Insula mutat stationem, in Districtu Pinscensi, arbores non una nutrit, in fluvio paludinoso *Notez*, referto arundinibus, tum alibi, tum ad Pakostiam Cujaviæ Oppidum, Insulæ fluitantes adhærent ripis, tegunt Siluros grandes, piscesque alios. Insulæ natantes Prussicæ *à Pratorio in Historia Pruthenica absolutissima, M. S.* enumeratæ.

LIV. STAGNA seu Lacus artefacti, German. Teiche, Pol. *Stawy*, continent aquas non perpetuas, sed temporaneas. Plurimi post aquas emissas, expletô trienniô, patiuntur aratrum, progenerant hordeum optimum, collecta messe, reduc-untur ad statum pristinum. Roxolania, præter fluvios infinitos, habet piscinas ingentes, & Stagna arte manuque facta ferè innumerabilia, quæ pisces omnis generis pinguissimos proferunt. *Starowolski in Polonia.* Idem dicendum de Volhinia habente Stagna frequentissima, longissima, vastissima, piscosissima, in fluviis *Horyń, Wilia, Ikwa* &c. & in rivis ad elenchum vix reducibilibus, Piscium caro si recens, vel salita ac cocta fuerit, candida est, solida, sciissilis, saporis optimi. Stagnum Lachowcense & Jampolience Carpionibus celebre, in Surasiensi Cyprini lati etiam apud *Joannem III. Regem* exquisiti saporis, ex illis unus tantæ magnitudinis erat, ut ad Ostrogiense Collegium advectus, Personis quadraginta & aliquot pro ferculo secundo divisus in frusta sufficeret. Stagnum Tarnopolience protensum longè carpiones plus quàm biulnares interdum tribuit. Podolia circa *Miedzybocz, Latyczew, Daraznia*, abundat Stagnis & piscibus. In Stagno *Rozny*, Coracini fere cubitales capiebantur. Stagna Przigodzicensia, in Majori Polonia, Carpiones nobiles, non rarò ulnæ unius & dimidiæ mensuram tenentes possident, hi ita pin-

gues, ut oleum olivarum, aut butyrum non admittant, dum coquuntur, squamis paucis sunt tecti, vernaculè *Ulaki* denominati. Ejusdem speciei Carpiones Regii dicti in Bohemia, ait *Balbinus in Hist. Natur. Bohemiæ*, habentes squamarum ordines duos, quæ à capite ad caudam trahuntur, cætera nudi sunt. Squamæ in aureum colorem desinunt, jucundissimo quodam carnis sapore præstant cæteris, sed ob teneritudinem non diu vivunt, cum loricâ illâ squameâ, adversùs injurias, minimè defendantur. Olim *à Rozdrazewio harede* latifundiorum Krotoszinensium, Rozdrazevienſium, & aliorum circumjacentium, in Calissiensi Palatinatu, singulis diebus Veneris, per annum, Stagna minora singula assignabantur, quæ pisces mensæ suppeditarent. De Cochleis in fluminibus, & stagnis, enatis, annoto sequentia. CONCHA FLUVIATILIS LONGA, seu Cochlea longa dulcium aquarum, German. Wasser-Schnecke, Lange Fluß-Muschel, testâ aperitur oblongâ, tenui, extrinsecùs striis seu lineis secundum longitudinem protensis, interiore parte candida & lævis, caro virus olet, nulliûs usûs, testis pictores ad contemperandos colores utuntur. CONCHA PALUSTRIS TURBINATA, German. Pful-Schnecke, Wasser-Schnecke, Pol. *Slimak wodny*, oblonga, tenuis, acuto turbini similis, formâ à Cochlea terrestri parum differens, à cibo removetur ob virosum odorem. CONCHA MARGARITIFERA FLUVIATILIS seu Mater Perlarum, Germ. Perlen-Muschel, Perlen-Mutter, Polon. *Perłowa macica*, *à Schwenckfeldio inter Pisces Silesiæ*, ita describitur: Conchæ fluviatili longæ non multùm absimilis, bivalvis, figurâ longiusculâ, compressâ, putamine externo fusco, striis multis scabro, intrinsecùs verò lævi, lubrico, pellucido, argenti nitore, ut Concha Orientalis Margaritifera refulgens. Plurimas Margaritas minutas gignit, quæ ipsi substantiæ carnis innascuntur, magnæ verò trinæ, aut plures rarò dantur, sæpissimè unica tantùm insignis, inter carnem & testam est libera, quæ divulsis crustis sponte excidit. Caro ejus mucilaginosa, lubrica, mollis odoris ingrati. Margaritæ Silesiacæ

seu

seu Quadi fluvii differunt forma, magnitudine, & splendore, aliæ rotundæ, quædam oblongæ, teretes, cylindricæ, latiusculæ. Quædam sunt majores, minores aliæ, nitent minus parvulæ, majores partim fuscæ, partim rubentes, omnes, quovis anni tempore, in Conchis reperibiles, littora arenosa Quadi incolentes. Fluvius *Horiń* Volhiniæ, *Druia* Litvaniæ, Mariæ in Livonia, Lacus, *Komarni* in Russia continens Margaritas inclusas Conchis, supra *in Puncto II. Num. XXXII.* ponitur.

LV. MARE BALTHICUM seu Sinus Codanus, Sinus Venedicus, qui terras ingreditur inter Zelandiam Daniæ Insulam, & Gothiæ Svecicæ continentem, primò à Septentrione in Austrum protenditur; mox reflectitur ad Septentrionem, ab Oriente alluit Pomeraniam, Cassubiam, Borussiam, Livoniam, ab Occidente Sveciam, & Lappiam. Tres Sinus secundarios habet, Botnicum, Finnicum, Livonicum. *Milliet Dechales Mundi Mathematici Tomo I.* Idem Mare, *Knaus in Geographia Generali*, sic describit: irrumpit ex Oceano, inter Selandiam Daniæ Insulam, & Gothiam Sveciæ continentem, ut etiam inter Selandiam & Jutlandiam. Primò quidem oblongâ viâ à Septentrione, Austrum versùs se flectit, mox iterum reflexum, immani spatio ad Septentrionem excurrit, inter Germaniæ Provincias, Megapolim, Pomeraniam, Cassubiam, Borussiam, Livoniam, ab uno latere nempe Orientali, ab opposito autem latere habet Sveciam, & Lappiam, &c. In Mare Balthicum, flumina infinita, ex Germania, Livonia, Litvania, Curlandia, Finnlandia, aliisque locis vicinis, se recipiunt, illud intumescere faciunt, ut tandem se per angustias aliquas, in patentem Oceanum Germanicum exonerent, &c. Modò Oceanus in Balthicum, motu à Septentrione, in Meridiem decurrit, modò Balthicum motu contrario se in Oceanum exonerat, modò æquilibrium amant, ut ægrè motus deprehendatur. *C. Bartholinus de Aquis.* Æstum non patitur propter alvei coarctationem, & angustiam, propter fundi frigiditatem, per quam fit, ut tantâ vaporum & halitu-

tuum

tuum copiâ, quanta ad efferveſcentiam, & intumeſcentiam Maris requiritur, non poſſit excitari, &c. *Pauli in Velificatione Philoſophica de Mari.* Quòd parum Salis contineat, *Hoffmanni Commentatio de Sale*, innuit, & *Swenderborgius in Miscellaneis Rerum Natural.* aſſerit: Maris Balthici littora eſſe minùs apta ad Salis coctionem, ob aquam pauco admodum Sale imbutam. Boream versùs hoc Mare eſt, fluminumque aquis diluitur, unde vix trigeſimam partem Salis continet in ſe, minùs ſtatis temporibus, quod inſtrumento eſt exploratum. Certùm eſt accolas Maris Balthici, ait *Helwing*, *Lithographiæ Angerburgenſis Parte II.* interdum Salem ſequenti ratione elixare. Hauriunt aquam marinam, non in littore, ſed altius mare petunt, ibique doliis impletis, eam poſtmodum vaſis ligneis infundunt, aprico ſoli, per aliquod tempus exponunt, & ne corrumpatur, palâ ligneâ ſæpe agitant; quo labore per aliquot dies continuato, in ollis ſatis magnis tamdiu coquunt, donec coctura craſſioris ſedimenti adinſtar evadat, cui ut acrimoniam tollant, Salis vulgaris portionem adiicere, materiam recoquere, ſicque corrigere ſolent. Quanta eſt profunditas Balthici Maris Pruſſiæ adjacentis, *Pratorius in Hiſtoria abſolutiſſima Pruſſica, M. S.* traditur deſcripſiſſe. In vicinia Gedanenſis Urbis minùs profundum eſt, ideoque humiliores, ſed frequentiores fluctus volvuntur. Dum venti in partibus ſuperioribus excitant motus, in fundo Maris dari malaciam, teſtimonia probant. Vixit non procul à præfata Urbe, in pago Niclaswalde, *Petrus Greske*, exercitatus urinator, is unà cum fratre, ad quærendas merces deperditas, per naufragium, Maris fundum non ſemel petiit, machinæ beneficiô, easque ex voto pertraxit ad ſuperficiem. Ambo interrogati de tempeſtatibus ſubmarinis, reſponderunt ſe ad quatuor, vel quinque orgyias à Maris facie, dum in fundo verſarentur, procellarum impetum, qui tunc ſuperficiem aquæ turbaverat, nullum ſenſiſſe, ſed non procul à littore, commotionem magnam deprehendiſſe. Hæc *Paulus Pater Diſſertationi de Mari Caſpio* inſeruit. Ab Anglicanis nautis, qui piſcatoribus unionum

num in India Orientali sæpius interfuere, *Boyle in Relationibus de Maris Fundo*, scribit se audivisse, urinatores ibidem, tempore eo, quo Mare fluctus maximos ciet, nihilominus illud ingressos fuisse, atque tranquilla omnia invenisse in fundo. Celeberrimus urinator *Nicolaus Pesceola* descriptus *à Kirchero in Mundo Subterraneo*, retulit, Maris fundum spississimum esse, obsitum tenebris, atque in hoc ipso naturâ, ut dum piscis, aut quodcunque monstrum marinum se ab alio impeti formidat, locum refugii inveniat, quô se recondat. Idem *Kircherus in Arte Magna Lucis & Umbræ*, ait: quòd Solis radii non penetrant in Maris fundum profundioris, sed ad certam nonnisi profunditatem, fundum illustrant, ubi Mare altius est, in perpetuis tenebris, sine ullo lucis vestigio fundus relinquitur. Color Maris est interdum candidus, interdum niger, ut plurimùm cæruleus & glaucus, pro diversa luminis repercussione, vario videntis situ, ipsius aquæ motu, ventorum flatu, alvei profunditate, littorum constitutione. De glacie cærulea Maris Balthici, *Tractatus à Thoma Bartholino* est editus. Conchulæ candidæ, striatæ, tenues, fragiles, simillimæ illis, quæ in lapidibus variis reperiuntur à fluctibus copiosè ejectæ spectantur in littoribus. Aqua salsa in illo difficiliùs gelascit, quàm aqua dulcis. In Capitaneatu Pucensi, & prope Zarnovecum, dum à validis ventis concitatum intumescit idem mare, interdum excedit littora, colles destruit arenosos, inundat vicina ædificia.

LVI. ZOOPHYTA, *Segero*, ratione conformationis, ac externæ figuræ, ad plantas accedunt, ratione verò motûs, ac tactûs conveniunt cum animalibus. Secundùm *Aldrovandum*, Zoophyta dicta, quæ nec animalium, nec fruticum seu plantarum, sed tertiam quandam ex utroque mistam naturam habent, Latinè Platanimantia, aut Plantanimalia, Pol. *Ziołozwierze, Czułozioła, Zioła czuiące*, ex eorum numero, est Tethia, Holiturìa, Pulmo, & quæ sequitur URTICA MARINA ab urendo denominata, quòd manum urat, si tangatur, eodem fere modo ac urtica vegetabilis, Gal. *Ortie marine*, Ital.

Ital. *la Fiamma del Mare*, Germ. Meer-Neſſel, in Pruſſia piſcatoribus Waſſer-Blaſe, id eſt Aquatica Veſica, Caſſubiis *Ziwlaga*. Subſtantia ſecundùm Deſcriptionem Anatomicam *de Heide*, eſt diaphana, mollis, corpus discum, altera ſuperficie convexum, concavum altera repræſentat. Convexa ſuperficies lævis, concava diverſis gaudet protuberantiis. Urticarum ſunt plures ſpecies, ſaxo, vel alteri rei adhærent, aliæ non adhærent. Rurſus earum, quæ adhærent, aliæ perpetua & ſtabili ſede illic degunt, uti Urticæ parvæ in rimis ſaxorum, quæ etiam Conchis adnaſcuntur, aliæ ſedes mutant, & liberè per Mare feruntur, & dum placet, ſe quoque affigunt. Semper ſunt liberæ aliæ, & una ſpecies, pedes ſeu brachiola quatuor habet, alia octo. Quædam virides, quædam cæruleæ, ſubnigræ, & punctis vel cæruleis, vel flavis, vel rubris notatæ. Urticas marinas *Schoneveldus in Ichthyologia*, planas, & rotundas ponit, ex quarum numero, aliæ frondibus purpurascentibus, tanquam pedibus ſunt conſpicuæ, aliæ habentes os in corpore medio. Species Urticarum & *Jonſtonus in Hiſtoria de Exanguibus Aquaticis*, enumerat, *Gesnerus*, *Rondeletius* de Urticis tractat. Urtica marina ſoluta rarior Velellus dicta, *à Fabio Columna lib. 2. de Conchis*, eſt deſcripta. In Mari Balthico vicino pagis *Sopoty* & *Kolebka*, prope Olivam, Julio, Auguſto, & Septembri menſe, Urticarum ſpecies tres, ad littora conſpiciuntur, ad Zarnovecum Urticæ albæ, luteæ, & rubeæ, dantur. Animalculum ſimile Squillis, vel affine, malè olens, cruſtâ tectum, digiti transverſi longitudine, retibus, jaculis, tendiculis eſt infeſtum, quæ arrodit in Mari, vulgò Scheffle, ſeu Sprock-Wurm, Sack-Wurm appellatum, ad Puckum frequens. PULEX MARINUS, *Rondoletio* eſt beſtiola tenui cruſta veſtita, quæ facie homunciones ridiculè pictos, vel Simiam repræſentat, aliis partibus Locuſtæ eſt ſimilis, in cauda appendiculas habet, Locuſtæ ac Squillæ modo, tam exigua eſt, ut particula corporis, niſi ab oculato, diſcerni non poſſit. Hic Pulex, cum Pediculo Marino, ad infeſtandos piſces conſpirat. STELLÆ MARINÆ ſubpurpureæ, radiorum quin-

que,

que, in Balthico Mari, circa Ryserhooft reperiuntur, ad littora Pomeraniæ. SALSILAGINES MARINÆ fistulosæ, friabiles, ex spumis concretæ, propelluntur ad littora.

LVII. PISCES MARIS BALTHICI varietatem magnam admittunt, in locis vicinis Palatinatui Pomeraniæ, seu Pomerelliæ, German. Klein-Pommern, capiuntur sequentes. ACIPENSER *Rondeletii*, Aquipenser aliorum, Sturio major *Gesneri*, & *Aldrovandi*, Porcus marinus vocatus à veteribus, teste *Salviano*, & *Isidoro Hispalensi*, qui dum escam quærit, more Suis, sub aquis terram fodit, Elops nonnullorum, German. Stör, Pol. *Jesiotr*, piscis anadromus, de genere piscium cartilagineorum, qui pro spinis cartilagines habent, oviparus, tegumento aspero armatus, coloris obscuri, oculi parvi, rostrum longum, latum, ultra os parvum & edentulum procurrens, quod in prona parte rotundum, semper hians, magis ad sugendum, quàm masticandum accomodatum, ante illud propendent appendices carnosæ quatuor. A capite per dorsum ad caudam usque, instar medullæ, nervus, digiti crassitudine excurrit, qui à coquis extrahitur, in ventriculo non pisces, sed spuma & mucus deprehenduntur. Caro candida, mollis, delicata, suavis, boni succi, stomacho idonea, *Schwenckfeldii* opinione. Ex descriptione *Charletonis in Exercit. de Differ. Animal.* piscis idem rostro suo, proræ puppis rostratæ speciem gerit, ex Galeorum est genere, teres, trianguli seu prismatis fere figurâ, venter planus, hepar magnum, dulce, cor ut Ovis, pinnæ subalbidæ, quarum binæ ad branchias, totidem ad ventrem sitæ sunt, unica dorso, non procul à cauda, inest. In mari degit, educatur & parit, tandem aquæ dulcedine illectus excurrit in flumina. Interdum, ait *Rajus in Synopsi Piscium*, ad quatuordecim, imo octodecim pedes est longus, centum octoginta, vel ducentas sexaginta libras adæquans. Plura de Sturione *in Wilhugby Ichthyologia*, *in Jovii Piscibus Romanis*, exponuntur. Dives frequenter Sturionum piscatio instituitur inter Gedanum, & Dersaviam, Pol. *Tczew*, ad pagos adsitos Vistulæ, *Szembark*, *Palczewo*, *Getland*, & locum

Czerwona Buda denominatum. Numerus magnus piscium eorundem conditorum, doliolis inclusorum Gedano mittitur in Sveciam, Hollandiam, Angliam. Currente Sæculo, Acipenseres aliqua lue correpti, enecti, fluctibus Maris ejecti, in littoribus, ad milliaria aliquot, à Peninsula Hela, protensis, jacebant sparsim, & acervatim, inferebant necem porcis, & canibus, ad escam illos assumentibus. STURIO MINOR, Germ. Störlein, Pol. *Czeczuga*, similis est Acipenseri, sed minor, & acuto rostro, unde ab aliquibus etiam Oxyrinchos vocatur.

LVIII. ACUS VULGARIS, German. Meer-Nadel, Prussis Horn-Fisch, Pol. *Bocion*, *Iglica ryba*, ab acu sutoria nomen accepit, ait *Schottus in Physica Curiosa*, ob corporis totius longitudinem, ac tenuitatem, rostrique proceri aciem. Ex descriptione *Rondeletii lib. 8. de Piscibus*, est longus, lævis, rostro longo, acuto, tenui, maxilla inferior superiore est longior, in mollem quandam substantiam degenerans, dentes utrinque parvi & frequentes, caput triangulare, viride, oculi magni, rotundi, lutei. Secundùm *Rajum in Synopsi Piscium*, maxilla superior mobilis est, ut in Crocodilo, venter & latera argenteo colore splendent, dorsum è cæruleo virescit, spina dorsi à coctione evadit viridis. Pinnæ duæ ad branchias, duæ aliæ breves, sub ventre. Tradit *Schoneveldus in Ichthyologia*, quòd Acus Balthicis littoribus familiaris, æstate ovis multis est refertus, parit serò. Caro planè sicca & dura, copiosè sumentibus noxam inferens, febres accendens. Species quinque piscis istius *Jonstonus in Historia Piscium*, ponit. Anatome Aci marini *à Borrichio* est instituta, *à Bartholino Actis Medicis Hafniensibus* inserta. Extenditur interdum Acus major ad mensuram trium cubitorum, minor biulnaris, aut ulnaris est, frequens tempore verno, in Gedanensi foro piscario, ad cibum pauperum. Acus minimus ab aliquibus, ille pisciculus denominatur, qui Pruthenis Sturm-Fisch, rostellum oblongum, corpus gracile, figuris cubicis, lineolis rectis, per utrumque latus, & ventrem ductibus insignitum gerens, cauda

in

in ſtipulæ quantitatem, deſinente. Dicitur prænuntiare tempeſtatem, de aquis exſiliendo.

LIX. ALBULUS MARINUS, German. Zopen, fert caput, proportionatè ad corpus, parvum ac breve, circa pupillam circulum coloris aurei, ſquamam albam, pinnam in dorſo unam, ad branchias, pinnas duas, in ventre pinnam unam exiguam, rubescentem, ad anum, pinnam protenſam fere usque ad caudam. Caro mollis, ariſtis plena, minùs ſapida. Capitur hic piſcis latus & craſſus, in Mari & Habo, dicitur non ingredi fluvios, Gedani venditur inter Cyprinos latos, interdum mediam ulnam excedens. ARENARIUS PISCIS, German. Sand-Fiſch, exiguus, & arenas Maris inhabitans.

LX. ASELLUS VARIUS ſeu ſtriatus *Schoneveldi*, Pruthenis Pomuchel, Pol. *Pomuchla*, ab aſinino colore, inquit *Varro*, dictus, teſte *Willughby*, notiſſimus & familiariſſimus Balthico Mari, Oceano vicinis ignotus, vel ſaltem perrarus. Hic inter Aſellos reliquos, cute eſt glabra, quanquam ſquamis tenuiſſimis non deſtituitur, longitudine pedali ut plurimùm, & majore. Os in acumen deſinens, dentibus exaſperatum, rictus patulus, lingua coloris argentei, branchiæ utrinque quaternæ, dorſum ſubnigrum vel obſcurè fuscum, interdum ineſt color cinereus, ſed maculis & lituris nigris paſſim pictus, præſertim hyeme. Linea ſubalbida à ſummis branchiis in caudam porrigitur, pinnas in dorſo tres contiguas, ad caudam quadratam pertingentes, nigras, ſpinis non acribus conſtantes gerit. Idem piſcis in aqua dulci non vivit, miſtam vel dilutam ingreditur, major & recens carne eſt delicata, dulci & friabili. ASELLUS VIRESCENS adferri Gedanum ſolitus habet ſub mento cirrum, pinnas novem, in dorſo tres, duas ad branchias, ſub ventre totidem, poſt anum ruberrimum, duas. ASELLUS ALIUS, capite, rictu oris, & oculis magnis, iride auri colorem referente, maculis lineisque notatus, cirro non deſtitutus ſub mento, ventrem albentem, pinnas totidem, quot ſupra poſitus ferens, in foro

piscario Civitatis ejusdem venum exponitur. ASELLUS SAXATILIS, German. Stein-Pomuchel, sapidior aliis, caro illius firmior. ASELLUS PARVUS, Germ. Kleine Pomuchel, quartam ulnæ partem excedens, albicans, pinguis, gustui suavis, ad Helam capitur. Multi ex Asellis majoribus, ad tres pedes protensi, singulare pretium habent, nam aliquot Tynsonibus constant, ad finem Autumni, & hyeme, in Urbe Gedanensi. Asellus ex præfatis si fuerit sale consperſus, Dorsch appellatur in Prussia. Asellorum species *à Willughby, Schoneveldo, Gesnero, Rondeletio*, aliisque authoribus describuntur, icones exhibentur.

LXI. CAPRA AQUATICA Latinè denominatur, ratione Germanici vocabuli Ziege, Polonici *Koza*, Capram significantis, hæc ex Mari, Habum, Vistulam, aliaque flumina intrat, singulari nota differt à piscibus aliis, quòd caput ejus sit efformatum instar vomeris. Tradit *Kentmannus*, valde infestum esse Sturionem majorem huic pisci, expellit eum è Mari, persequitur per flumina, sed agilis & velox prævenit semper aggressorem, signumque dat captus vel visus à piscatoribus, quòd in proximo sint Sturiones. Vento Capræ siccatæ advehuntur Gedanum ex Habo. DELPHINUS, Germ. Delphin, Pol. *Delfin*, cetaceus piscis, corio lævi, & sine pilis contectus, corpore oblongo, terete, dorso repando, rostro longo, rotundo, resimo, dentibus parvis, acutis, pectinatim coeuntibus, lingua carnosa, exerta, in ambitu parùm serrata, oculis magnis, sed cute tectis, ut pupilla solùm appareat. Post rostrum sive supra rostrum, fistulam habet geminam, quæ ad caput arteriæ asperæ pertingit, foris figura C. Pinnis natat duabus validis, quæ veluti hominis brachia, cum omoplatis junguntur. In medio dorso pinna unica surrigitur, partim ossea, partim cartilaginea, sinè ullis aculeis, cauda ex duabus pinnis constat, dorso est nigro, ventre candido, cute spissa & firma, sed molli, ob pinguedinem, quæ subest. *Ichthyographia Willughby, ex Rondeletii, Gesneri*, & aliorum Scriptis. De pisce eodem *Aldrovandus* habet sequentia:

in

in Cetorum genere *Aristoteles* Delphinum ponit, qui Anglis *Porpoise*, minùs pinguis, quàm sit Phocæna, à plerisque gentibus Porcus marinus appellatur, à Polonis *Morska Swinia*, ob hanc rationem, quòd Porco terrestri pinguedine, lardoque non cedat, eidemque interiora similia habeat. Lingua mobilis, brevis & lata, suillæ non absimilis, tempestates præsentit, tunc crebriùs ex mari erumpit, ac sese ostentat. Quàm delicatus & pretiosus sit apud Gallos Oceani accolas & quàm epiparè solet apparari, quæ gentes vescantur, quæ abstineant, prolixè narrat *Bellonius Operis Gallici de Piscibus lib.* 1. *cap.* 4. &c. Idem author falli ait, qui Delphinos tales esse putant, quales in antiquis marmoribus, & numismatis depictos vident, hoc est repando dorso incurvos atque inflexos, id enim statuariorum, ac pictorum libido effecit. Incurvare corpus *Gesnerus* eos putat, dum saltu, alioque impetu se vibrant. Alii tradunt, Delphinos parere catulos interdum binos, nutrire uberibus sicut Balæna, secundùm *Plinium*. Simones vocantur à navigantibus, quòd sint rostro simo, vel à Simonis pueri nomine. Celerrima adeo sunt animalia, ut naves currentes prætervolent, docilia multùm, & homini specialia, mulcentur musica symphonia præsertim hidrauli sono, pro voce gemitus humano similis. Circa saxosa littora, & in alto pelago degere, nunquam mare sine Delphinis esse, *Oppianus* asserit. In Balthici Maris parte, prope Gedanum, Helam, & alibi, rariùs capiuntur. Inter pisces, propter qualitates singulares primatum obtinere, à pluribus antiquis authoribus traduntur, quos *Aringhus in Roma Subterranea Novissima* adducit.

LXII. HARENGUS, vulgò Halex, German. Hering, Pol. *Sledz*, piscis dorso cæruleo, ventre albo, & falcato, squamis tenaciùs hærentibus tectus, &c. Ex relatione *Neucrantzii in Exercitatione Medica de Harengo*, gregalis est, sequiturque maximo numero ducem suum, præ cæteris corpore decorum, quem si bonâ fortunâ interceperint piscatores, plerumque tantam includant Harengorum copiam, ut retia ingentia, illis capiendis non sint sufficientia, funesque eorum aliquando incidi

incidi oporteat. Optimè capiuntur Harengi in Oceano ab Anglis & Hollandis, & in Norvegiæ tractu captura amplissima eorum exercetur. Piscationi Harengorum, viginti millia hominum, in sola Hollandia, & Selandia, operam locare, *Schoockius* narrat. Quot annis, bis mille naves ad piscationem à Belgis expediri, *Grafwinckel in Vindiciis Maris Liberi*, asseverat. Non solùm lucent de nocte, in aquis, ventribus obversis, sed etiam luminis sunt appetentes. Quæritur, cur inter Scotiam, & Norvegiam, ingens reperitur Halecum multitudo? Balenarum circà Islandiam? respondet *Bayle in Instit. Physicis*, in illis locis ingens succrescit copia herbarum, & animalculorum, quibus illæ piscium species commodissimè nutriuntur. In Mari Balthico, rariores sunt, sparsimque capiuntur, appropinquante hyeme pinguiores & delicatiores. Tria sunt piscium horum genera, majus, quod immensâ copiâ, in Oceano Germanico vagatur, vulgò & propriè appellatur der Hering, minus ejusdem fere cum priore saporis, sed paulò pinguius, tertium Sveticum mediæ inter utrumque magnitudinis. Aquam dulcem non fert Harengus, breviqué emoritur, nisi salem inieceris, quanquam ne tunc quidem diu vivit. Contra Canum morsus & Serpentum, prodest muria cum concerptis linteaminibus imposita, ipsaque caro adhibetur. In febribûs, Harengus muriaticus dissectus, plantis pedum alligatur. Foro piscario Gedanensi inferuntur ab incolis Helæ Harengi, in autumno capti, saliti venduntur à piscatoribus minores, inferiores longè Hollandicis & Anglicis, nec diu durantes in muria. Infumati, à Germ. Perckeñ, Pol. *Perki*, denominati.

LXIII. LAMPETRA, seu Lampreta media *Schwenckfeldii*, minima *Rondeletii*, Oculata minor, Saximorda, Germ. Neunauge, Lamprete, Polon. *Minog*, *Węgorzyca*, piscis à lambendis petris dictus, quòd ore sic saxis adhæreat, ut lambere illa videatur. Ex Observatione Anatomica, ab *Oligero Jacobæo* instituta, os, velut in Hirudinibus, rotundum & excavatum habet, dentibus acutissimis circumseptum. Piscis est lu-

lubricus *Charletoni in Exercitationibus*, colore cæruleo subnigro. Nullis ad natandum pinnis lateralibus instructus est, sed sinuoso corporis impulsu agitur, bis novem parvis fistulis, seu foraminibus ordine dispositis aquam reddit, datur minor & major, non rarò ad palmos rectos duos extenditur in Prussia, capitur nassis, gustui suavis, verùm difficilis concoctionis. Fumo Lampetræ induratæ, vulgò Brucken vocantur, assæ, aromatibus respersæ, aceto conditæ, sub nomine Morenen, inquit *Schwenckfeld*, ex Prussia feruntur in Silesiam. Prope Mevam Civitatem, Polon. *Gniew*, & alibi, in Vistula copiosè captæ, muriá perfusæ includuntur doliolis ad Provincias varias deferendæ. In Passeria flumine Varmiæ, intrante Habum, saxis adhærentes, sæpe manibus capiuntur à plebe Brunsbergensi, in frusta sectæ porcis dantur in escam. In Octobri fluvios ingrediuntur hi dum incipiunt contegi glacie, ad Mare redeunt.

LXIV. LATULUS *Schoneveldi in Ichthyologia*, Halecula aliorum, Germ. & Polonis Bretling, Harengo colore, exilibus squamis, facilè deciduis, pinnarum numerô similis est, verùm sex digitorum longitudinem rarò superans, caput magis compressum habens, ferens iridem argenteam, dorsum cæruleum, ventrem partim coloris argentei, partim ad cæruleum inclinantis, pinnas sex, unam in dorso, duas ad branchias, sub ventre aspero in extremitate totidem, ad anum, unam. Opinione *Neucrantzii in Exercitat. Medica de Harengo*, est piscis hic parvus de genere Harengorum, sapidus tam recens, quàm sale conditus, cum Sardis seu *Sprot* Anglorum facilè certans. Concluditur retibus seorsim, & inter Harengos, tempore verno, & autumnali, servatur ut plurimùm in muria, coquitur in aqua, cum sale, & lardo conciso.

LXV. LUMPUS NOSTRAS, in Cassubia piscatoribus Lachs-Mutter, *Tarza*, à patria voce Anglorum *Lump* significante massam informem dici potest, ille fert caput crassum, oculos magnos, os Ranæ ori assimile, dentes tenuissimos, corpus viride, pluribus tuberculorum acutorum ordinibus

munitum, pinnâ unâ in dorso instructum, duabus pinnis ad branchias, ad anum unâ, omnes cum cauda rufescentes. Capitur prope Zarnovecum, & alibi, idem piscis informis, coloris nigricantis cum fulgore, squamis destitutus, habens primi ordinis tuberculos nigros octo, secundi ordinis albos quatuor, in utroque latere. Venter vastus & albus, anus rubescens spectatur, caro etiam ad pauperum cibum non admissa. Lumpus Anglorum *à Willughby in Ichthyographia*, ita describitur: est crassus & informis, venter latus, dorsum acuminatum, color ex nigricante & dilutè rubente varius, squamis caret, verùm cutis tuberculis acutis, nigris, undique aspera, in utroque latere ternos habet aculeorum ac recurvarum spinarum ordines, & dorso summo similis spinarum species innascitur, pinnæ in dorso duæ, anterior crassa, cartilaginea, seu potiùs carnea sinè radiis, os simile fere Molæ *Salviani*, sed majus, ab angulo nempe ad angulum tres uncias latum, labia crassa & pinguia, oculi laxâ cuticulâ tecti, caro ejus non magni æstimatur. Lumpus nostras primo loco positus, ORBIS RANÆ RICTU *Clusii Exoticorum lib. 6. c. 25.* judiciô aliquorum est, hujus, ait *Willughby*, totum corpus fuscum, albicantibus maculis conspersum, caput crassum, elata supercilia, os latiusculum & fissum, Ranæ os valde exprimens, in dorso unica pinna inæqualis, à cervice ad extremum fere dorsum porrecta, fusca ac maculis albis notata, reliquum corpus in lateribus singulis binos tuberum ordines, à vertice ad caudam usque, protensos habet, unum in medio ferè corpore, alterum paulò supra ventrem, &c. Depingitur Orbis Ranæ rictu, apud *Jonstonum in Historia de Piscibus, sub num. 6. Tabula* 45.

LXVI. OPHIDION *Gesneri*, Mustela marina saxatilis, Germ. Stein-Quappe, Pol. *Mientus morski*, Anguillæ fluviatili similis, coloris flavescentis, pinnas majores duas, minores totidem habens, pinna quinta per dorsum totum, sexta à ventre ad caudam protensa. Piscis longitudinis ulnaris interdum est, cutis ei detrahitur, antequam coquturæ tradatur.

LXVII

LXVII. PARDUS à me denominatus, propter similitudinem aliquam cum Pardo (qui Germanis Panten-Thier) animali Africæ & Syriæ, habente pellem quibusdam brevibus macularum oculis distinctam. Hic piscis in Prussia Perper, in Cassubia *Parpura* vocatus, Salmoni similis, caput ejus & branchiarum tegmina, parte non modica, tincta colore aurum referente, os magnum, lingua nigricans, in extremitate albicans, interdum tota est atrata, irides aureæ, squamæ candidæ, facilè decidentes, in dorso, & inferiùs, per squamas tenues produnt se (maximè in juniore) colores varii, aureus, flavus, viridis, cæruleus, ceraso similis, &c. latera multis maculis subnigris & subrotundis, una vel duplici linea recta dispositis notata, à branchiis ad caudam bifurcam, pinna una in dorso crasso & virente, penes branchias duæ, ad anum una, binæ in ventre aspero, & quasi aciculis instructo. Ad Zarnovecum, & alibi capitur in Aprili cum Salmonibus, assus ut Thrissa sapit.

LXVIII. PASSER MARINUS ASPER, Germ. Flinder, Plateise, Polon. *Flądra*, *Ptaszczka*, ex genere planorum piscium, opinione *Rondeletii*, à colore Passeris avis dictus, nam prona parte est fuscus, supina albicans. Figurâ similis Rhombo, sed contractior, in parte prona oculos gerit, pinnæ ferè totum corpus ambiunt, cauda in unam latamque desinit, à capite ad caudam linea, parùm sinuosa, per medium corpus est ducta, os parvum sine dentibus, cujus situ à Rhombis differt, si enim Passerem ita erigas in latus, ut maxilla inferior humum spectet, supina pars læva erit, prona verò, dextra. Econtrà in Rhombis, quibus, eodem modo, in latus erectis, supina pars dextra erit, prona sinistra. Circa annum 1722. non procul ab Olivensi pago *Brezna*, Passer marinus asper, magnitudinis extraordinariæ est captus, nam ad tres partes ulnæ protensus, præter caput & caudam. PASSER MARINUS LÆVIS seu aculeis carens, Germ. & Holland. Scholle, Cassubis *Gladis*, Pol. *Flądra gładka*, Rhombo figurâ similis, sed contractior, maculas subflavas in corpore, & pin-

nas habens, supernè fuscus, infernè albens. In Livonia, ait *Jonstonus*, Passeres læves sunt pinguissimi, & inde vento indurati, ad mediterranea exportantur. PASSER MARINUS, Prussis Blatteus, differt à Passere propriè appellato, pinnis & cauda, magisque est rhomboides. PASSER MARINUS, Germ. Terbot, differt ab aliis, quòd in una sui parte, sit maculosus colore flavo & plumbeo, in parte altera albus, & quasi floribus luteis pictus. Passeres marini asperi, in Curlandico Mari, præstantiores Prussicis. Passeres capiunt Tobianos pisciculos, de quibus dicetur infra.

LXIX. PERCA MARINA, Germ. Meer-Perschke, Pol. *Okuń morski*, obscurè viridis, venter argenteus, in dorso pinna una, ad branchias pinnæ duæ, sub ventre totidem, ad anum, unica, omnes coloris flavescentis, maculæ plurimæ in dorso, pinnis, & cauda. Caro durior, quàm in Perca majore fluviatili. Quatuor Percæ marinæ *ab Aldrovando in Historia Piscium*, sunt exgressæ, in *Jonstoni Tabula XIV.* delineatæ, pervenientes nunquam ad Percarum majorum fluviatilium magnitudinem. PERCA MARINA MINOR, Germ. Meer-Kulbersch, Pol. *Jazgar morski*, Percæ minori fluviatili & lacustri simillima, magnitudine differens.

LXX. PHOCA seu VITULUS MARINUS, Germ. See-Hund, Meer-Kalb, Polon. *Pies morski*, *Ciele morskie*, non mugitu solùm in somno, sed maxilla superiore, & naribus Vitulum terrestrem referens. Secundùm *Schelhameri Anatomen*, caput ejus rotundum, sed protractum in os extans, lingua orbiculata & lata, dentes superiores octodecim, inferiores sexdecim, oculi globosi bovinis similes, auriculæ nullæ, corpus totum rotundum, caudam versùs decrescens, ibique angustius, pedes quatuor breves, priores, suo loco, in veros digitos desinentes, instructi unguibus curvis, posteriores proximè caudam, metacarpo, carpo, quinque digitis incurvatis, unguibusque constantes. Pinguedo venditur sub nomine Tran, ad usus varios. Necem dum non potest effugere, impetum in homines facit, cicur redditus, in dolio aquâ pleno,

pleno, asservatur. Extra aquam repere potiùs videtur, quàm incedere, posteriorum pedum adminiculo destitutus. Nautæ & piscatores nostri, ait *Charleton in Exercitat.* Phocam capiunt somno sopitam, deinde cicurem reddunt, ut lucrum faciant, ex spectaculo. Coriô tegitur duro, solido, piloso, colore nigricante & cinereo, quandoque maculoso. Plura vide in *Aldrovando, lib. 1. de Cetis.* Ejusdem Phocæ *Anatome à Kulmo Medico Gedanensi facta,* & *Actis Physico-Medicis Academiæ Leopold. Carolinæ, Naturæ Curiosorum* est inserta unà cum Icone. Vixit sine cibo, extra aquam, teste *Redi in Experimentis circa Insectorum generationes,* per septimanas quatuor, vixissetque diutiùs, nisi ad usum Pisani Theatri Anatomici, dissectus fuisset. Difficilè occiditur, si membris aliis ictus suscipiat, dum ad nasum percutitur, sanguisque profluit, exstinguitur. In Mari propinquo Pomerelliæ, Cassubiæque capitur Phoca, in Vistula propè Urbem *Meva,* Polon. *Gniew,* conspecta à piscatoribus.

LXXI. PHOCÆNA *Rondeletii* & *Gesneri,* Tursio *Bellonii, Scaligeri,* Porcus marinus, Maris Sus aliorum, Delphinus Septentrionalium, Harengivorus nautarum, German. Meer-Schwein, Braun-Fisch, à colore, Pol. *Swinia morska.* Descriptum est hoc aquatile *à Charletone in Exercitationibus, à Willughby,* ex quo addo omissa antea: tres tantùm præter caudam pinnas habet, unam in medio dorso, duas in thorace, quas scapulares meritò dixeris, cauda levius forcipata seu ex duabus pinnis composita. Totum corpus abundat pinguedine, ex qua liquor ad lychnos educitur, caro verò pauperibus, loco lardi, in cibum venit. Phocæna, cum Delphino sit pinguior, etiam carnem habet deteriorem, inquit *Aldrovandus de Cetis,* concoctionique contumaciorem. Exstat *Majoris Descriptio Anatomica Phocænæ,* & *Kulmi Medici Gedanensis, in Annalibus Medico-Physicis Vratislavienſibus, Tysonis Anatomia,* & *Bartholini.* Narrat *Schoneveldus,* quòd sonum instar bovis validè exspirantis edat, tempestatis secuturæ certô præsagiô. Præterea è mari exsilit, saltumque facit semicirculum, immi-

nente procella. Phocæna & Delphinus, ait *Willughby in Hist. Piscium, pag.* 28. sunt inter se similes, nisi quòd rostro porrectiore, & anserini instar, prominente Delphinus est, & ut plurimùm gracilior, magis carnosus, minùs pinguis major, Phocæna minor, sed dorso latiore, rostro obtuso, ut icones ibidem clarè ostendunt.

LXXII. RHOMBUS ACULEATUS, Gallis *Turbot*, Germ. Steinbott, Pol. *Skarp*, est piscis planus *Rondeletio*, parte prona fusca, in qua aculei multi, maximè circa caput, & à capite caudam versùs. In eadem parte, linea ducta nigra, pinnæ quoque illic nigrescunt, alibi candidæ. Os fert magnum, hiansque sine dentibus, sed horum vice maxillæ asperæ. A maxilla inferiore propendent appendices tenues duæ, barbæ modo, &c. Vorax est *Jonstono in Hist. Piscium*, & aquatilium avidissimus. Carnem inter cibos delicatissimos olim fuisse, *ex Horatio & Juvenali*, colligi potest. Tempore *Jovii*, Phasianum aquatilem quidam appellare solitus erat. A Passere situ corporis differt, si enim juxtà eodem situ componas, os ejus in sinistrum, prioris in dextrum latus, vergere conspicies. Omnes Rhombi aculeati sunt crassi, carnosi, ovis abundantes, minores si fuerint, mensuram quadræ, vel patinæ explent, majores amplitudinem fundi in dolio Ohshöft dicto, Gallicum vinum continente, interdum æquant in Prussia. Referunt *Collectanea Naturæ, & Medicinæ Vratislavienſia, anno* 1725. *in Februario edita*, quòd in Mari ad Curlandiam, idem piscis sic grandis atque robustus fuerat, ut puerum se transfigentem fuscinâ manui alligatâ, in aquas traheret, naufragium subire faceret, si homines opem laturi non accurrissent. Rhombus lævis *Schoneveldi*, aculeato figurâ, omnibusque partibus, est suppar, nullos in prona, nec in supina parte habens aculeos, præterea latior est, ac tenuior, carne molliore, suaviore, quàm in Passere, & Rhombo suprà descripto. Hic unà cum Rhombis aliis, à præfato authore descriptus, an in Mari Prussico reperiatur, mihi est incompertum.

LXXIII.

LXXIII. SALMO seu Elox, Esox *Peuceri*, German. Lachs, Pol. *Losos*, anadromus, in fluviis redditur melior & præstantior, capite brevi, & dorso crasso coloris subcærulei, rostro non acuto, corpore squammis argenteis, non difficilè defluis, tecto, in lateribus lineis rectis duabus, à branchiis ad caudam, signato, pinna una in dorso, propè caudam non lunatam eminentia membranacea, penes branchias pinnæ duæ, in ventre totidem, ad anum unica. Juxta *Charletonem in Exercitationibus*, apud Salmonem rictus oris est parvus, lingua alba, spinosa, iris oculi subrubra, pupillam nigram claudens, venter totus albens. Caro rubens, pinguis, ori grata, stomacho idonea, nutriens copiosè, salita, multùm de bonitate amittit, ait *Schwenckfeldius*, fumo indurata, pravi succi, saporis ingrati, difficilis concoctionis. Salmones in mari capti, nullis punctis conspersi, præstantiores esse traduntur, quàm nigricantibus maculis interstincti. Salmunculi digitos septem non excedentes, Aprilis & Maji diebus, habentur in deliciis. SALMO, German. See-Lachs vocatus à piscatoribus, is quòd nunquam mare relinquat, multorum est traditio, veritati nè consona, an verò dissona, non duco in controversiam. SALMO, Germ. Strond-Lachs, oblongus, angustus, macer, flumina subit, & remeat. SALMO NIGRICANS, German. Schwartz-Lachs, a primo Salmone differt solo colore. Omnes capiunt Harengos, Tobianos, aliosque pisces; longitudinis variæ, alii cubitos duos & dimidium æqant, ulnares alii, vel biulnares. SALMO CURVI ROSTRI, Anchorago *Cassiodori*, Germ. Haken-Lachs, sui generis piscis est *Schoneveldo*, color subniger, nonnunquam alius, in lateribus distinctus maculis, vilis, non sapidus, pretii modici. Capiuntur Salmones ad finem Martii, in Aprili, & Majo, egressi è Balthico Mari, illecti dulcibus aquis, quibus relictis redeunt in Septembri. Antiquitùs eorum copia tanta sagenis attrahebatur ad littora, in viciniis Urbis Gedanensis, & alibi, ut famulitio loci illius, hi pisces crebrò apposîti nauseam moverent, quapropter imposterum vi contractus

tractus initi, pluries non dabantur, nisi ter in hebdomada. *Collectanea Naturæ & Medicæ, Vratislaviæ edita an.* 1719. Salmones recentes, in Martio & Aprili, Gedanô Viennam, Dresdam, Lipsiam, &c. venum mittuntur, conditi aromatibus, ad regiones varias exportantur. Præter capturam opulentam non rarò, in *Brda* fluvio ad Bidgostiam, ubi in septa lignea, Polonis *Łososnie*, insiliunt, in altum se evibrantes ad pedes aliquot, etiam Coronoviam pauciores adveniunt, propter præfata obstacula: in Districtu Pucensi, è Mari egressi, aqua dulci, *in Strumien, & Beka* illecti detinentur excipulis. SALMO DEGENER, Germ Melnic, Pol *Melnica*, similis Salmoni vero, sed rotunditatem quandam præseferens, crassus, carnosus, habens caput breve, linguam asperam, albam, iridem flavam, dentes minutos, squamas candidas, sine difficultate separabiles à cute. In dorso ad cæruleum colorem vergente, pinna una fusca, prope caudam pinna exigua membranacea, ad branchias pinnæ duæ, in ventre duæ, penes anum, una, omnes ex albo fuscæ, in utroque latere protensa recta linea, caput caudamque lunatam attingit, maculæ nullæ in corpore. Ad magnitudinem Salmonis excrescit vix reperibilis ulnaris, frequens ad Zarnovecum in Cassubia, caro sapida minùs quàm Salmonis.

LXXIV. SCOMBRUS seu Scomber *Rondeletii, Bellonii, Aldrovandi*, German. Makrele, Makerel, in Prussia vulgò Makren, Pol. *Wrzecienica*, à fuso mulierum, qui est *Wrzeciono*, denominatus, ex descriptione *Willughby*, longitudine pedali, interdum cubitali, corpore terete, crasso, carnoso, ad caudam valde contracto & gracili, rostro acuto, cauda acutiore, tandem in duas pinnas valde à se distantes terminata, squamis non prorsùs caret, sed eas tenues obtinet. Color infra lineas, media latera utrinque dividentes argenteus, supra cæruleo-viridis, lineis nigricantibus, aliis rectis, aliis incurvis varius, oculi magni, pinnæ in dorso duæ, cauda forcipata, per maria omnia affatim capitur. Idem piscis descriptus est *à Gesnero lib.* 4. *de Aquatilibus*, *à Rajo in Synopsi Piscium*, in qua hoc

hoc addit: caro, quidquid sit de salubritate, gustu delicato se palato commendat, *Cosmio* assa melior, quàm elixa. A *Schoneveldo* piscis celerrimus vocatur, Urticas Marinas avidè sectans, exteriorem partem illarum exedens, relicto meditullio. Ex observatione *Jonstoni in Hist. Piscium*, caput exiguum, ingens sciſſura oris, pro corporis proportione, dentes exigui, maxilla in superiorem recipitur, & clauditur, pyxidis modo, oculi magni aureo colore micantes, branchiæ utrinque quaternæ, juxta quas pinnæ binæ, totidemque in ventre. In aquis sulphureus color est ei, extra aquam, qui cæteris. In arenis versatur sæpe, ac inter lapides, propè pagos *Sopoty*, *Brzezno*, vicinos Olivæ, & alibi, interdum frequens prehenditur mense Septembri.

LXXV. SCORPIUS MARINUS, Scorpæna *Salviani*, German. See-Scorpion, Meer-Scorp, Scorp-Fisch, Prussis See-Hahn, Pol. *Kurek morski*, denominatus ideò Latinè Scorpius, quòd ut aculeo Scorpius terrestris, quem habet in cauda, ita hic spinis, quibus in tergo & capite est armatus, venenum vulnerando infligit. Ex relatione *Jonstoni in Hist. Piscium*, habet corpus rotundum, anteriore parte crassum, posteriore tenue, squamas ita exiguas & subtiles, ut nisi advertas, iis carere videatur, solo ventre albicat, cæteris partibus rubet, unde *Plinio* rufus. Caput ipsi magnum, durum, dentes confusi & densi, superciliorum loco aculeus acutissimus, cum appendice cutacea molli. Penes branchias pinnæ latæ binæ, totidemque ex harum regione in ventre, sed angustiores, in dorso pinna una acuta. Carnivorus est idem piscis, Aphyis, Spatulis, Gobiis, Cancris vescitur, nec algam spernit. Captus, aut durè tractatus, sonum seu stridorem edit, attritu branchiarum. Caro *Schoneveldo* est dura, concoctio difficilis, ingrata, sensu aliorum, dat bonum alimentum, si frigidiori tempore, circa petras, in aqua clara, aquatile hoc capiatur, pellis ei detrahatur. Icon Scorpii spinosi & horridi, quam *Gesnerus* exhibet, non malè quadrat nostrati, inquit *Schoneveldus præfatus*, sed tot corniculis in fronte caret,

& magis circa caudam gracilescit, squamis caret, harumque loco, cutis passim nodulis, claviculis asperis horret. Altera icon illius, *in Sibaldi Scotia Illustrata, ad Tabulam XVII.* est deducta, *in Willughby Hist. Piscium*, dorsum nimis elatum habet. In Mari alio trilibris quandoque datur, in Mari Rubro excrescit ad duos, aut tres cubitos. Accidit ut piscatores pungantur à Scorpionibus, & ex partis punctæ inflammatione, dolor magnus oriatur, supra punctura theriaca ponitur, & sumitur. SCORPIUS PRUSSICUS fert caput crassum, oris hiatum grandem, linguam brevem & albam, dentes modicos, oculos magnos, exertos, ut in Bufone, supra oculos, aculeos duos inflexos, ubi incipit dorsum, itidem duos, in dorso pinnam unam spinosam, prope caudam, alteram, ad branchias, pinnas binas majores, è regione illarum, minores totidem, ad anum, unam, omnes, simul cum cauda, coloris varii, partim rubentis, partim flavescentis, fusci, nigricantis. Venter albus, corpus variegatum, vel rufescens, ex crasso in tenue desinens. In Priori Opere, Scorpius iste, Gallus marinus à me denominatus, reflexione habita, super Germanicum in Prussia vocabulum, See-Hahn, Polonicum, *Kurek morski*, sed dum adverti, successu temporis, Gallum Marinum *Rondeletii*, Fabrum *Aldrovandi*, diversissimè *à Willughby* descriptum, Scorpionis donavi nomine. Quòd ventum indicet exsiccatus, appensus in cubiculis, non pauci affirmant in Prussia, eumque, propter vim istam, conservant, alii negant, os ad ventum dirigere, etiamsi filo tergori annexo suspendatur. Orbis piscis, Nili & Maris Rubri incola, ait *Rondeletius in Hist. Piscium*, algâ oppletus, inter Templorum anathemata, vel cubiculorum ornamenta suspenditur, eam cæli partem, à qua flat ventus, rostro converso indicare solet. Idem adscribit *Gesnerus* Physæ, alius Hirundinem marinam simili vi pollere tradit.

LXXVI. SQUILLA, German. Krabbe, Polon. *Krab*, à Gammaro differt, ait *Aldrovandus in Crustaceis*, Gammari rostrata facies, Squillæ mutila, Gammari pedes forcipati,

Squillæ

Squillæ uniformes, Squilla tota compressior, &c. Datur Squilla lata, Squilla cælata seu Cicada *Æliani*, Squilla Crangone, Squilla Mantis *à Rondeletio* descripta, Squilla gibbosa dicta, propter gibbum, quem habere videtur, dum se incurvat. Fusè *Jonstonus in Hist. de Exanguibus Aquatilibus*, Squillas considerat; non pauca de eis *Levinus in Theatro Mirando Naturæ* habet. Squillæ in Mari vicino Palatinatui Pomeraniæ, sunt albæ, & brunæ aliæ, quarum pedes fusci duobus articulis constant, aliæ, quarum pedes anteriores, articulis quatuor constituuntur. Squillæ digiti minimi longitudine, crustâ contectæ, instar cornu pellucidæ, coloris fusci vivæ, coctæ rubentis, carne dulci donatæ, in parte Maris, Putzkerwyck dicta, fasciculis juniperinis adhærent, in Aprili, ut veterem crustam deponant, hæ de fasce excutiuntur in reticulum. Progrediuntur cæteræ à loco nominato, ad *Rucewo* pagum, inde *Rewam*, tandem mari remotiori & profundiori se committunt. Propè villas *Sopoty*, *Kolebka*, &c. Olivam versùs capiuntur. Squilla parva arenaria, Germ. Krabbe, Sand-Springer, id est exsiliens in arena, non est edulis.

LXXVII. TINCA MARINA, Germ. Meer-Schleye, Pol. *Lin morski*, propter corporis cum paluſtri similitudinem sic dicta, *ex Jonstoni* descriptione, est corpore toto oblongo, latiusculo, squamis minutis contecto, coloris cinerei, capite lato & presso, ore magno & valde denticulato, oculis aureis. Ex inferiore maxilla appendix cum barba propendet, branchias habet utrinque quaternas, cauda in unicam rotundam desinit. TOBIANUS, German. Tobian, Tobias, Tobes, Cassubiis *Tobiak*, ex relatione *Schoneveldi in Ichthyologia*, pisciculus tenuis, capite pusillo terete, rostro acuminato, ore parvo, cujus labrum superius, extra inferius prominet, corpore, palmum, vel semipalmum, longo, digitulum crasso, dorsum subcæruleum, in quo pinna unica, non procul à cervice, ad caudam usque, descendit, pinnæ duæ ad branchias, venter coloris argentei, caro grati saporis, paucis aristis permista. Ab arena *Gesnero* Ammodites, rarò enim extra are-

nam conſpicitur, æſtate, & ſole calente, gregatim natat, facilè capitur. In Tobiano Pruſſiæ, caput ſubviride, dorſum ejusdem coloris, iris argentea, latus utrumque ſignatum lineolâ, à capite ad caudam, extensâ. Arefactus ſapidus multùm, fruſta recentis carnis dantur, ad illicium Paſſeribus marinis capiendis.

LXXVIII. XIPHIAS Græcis, Gladius Latinis, Galeota *Straboni*, Germ. Schwerdt-Fiſch, vulgò Spada, Polon. *Miecz, Oſtropyſk*, dentibus caret, quorum loco, gladium oblongum, firmum, fronti inſertum geſtat, ſubſtantiæ oſſeæ. Piscis cetaceus, pellis capitis glabra, reliqui corporis aspera, nigricans, venter coloris argentei, oculi ampli, emiſſitii, ovi gallinacei æquantes magnitudinem, ante hos foramina duo, branchiæ utrinque octenæ. In *Hiſt. Piscium Willughby*, maxilla ſuperior in roſtrum longiſſimum gladio ancipiti ſimile procurrit, maxilla inferior quadruplò brevior, pinnarum par unum duntaxat habet ad branchias, ventralibus caret, &c. Caro non inſuavis, ſed concoctu difficilis, nutriens multùm, à Meſſanenſibus in deliciis ſummis habetur, apud quos Xiphiæ, bonitate & pretio, æquales Sturionibus. Aliorum opinione, eſt caro arida, mali ſucci, & prorſus negligenda. Capitur hic piscis viviparus, ſæpiùs minor, major littora vitat. Inſtituta eſt Anatome Xiphiæ, *à Bartholino*, relata à *Gerardo Blaſio in Anat. Animalium*, exſtat & *Hartmanni Diſſertatio Anatomica*, de eodem aquatili. In Neringæ Inſulæ Gedanenſis, & *Oksiwie* pagi fundum, Xiphias fluctibus ſali non vivus ejectus eſſe traditur, illo anno, quo Carolus XII. Svecorum Rex ingreſſus eſt Poloniam, cum copiis militaribus. Alter in propinquitate villæ *Karwia* Capitaneatûs Pucenſis, ad ſex ulnas protenſus, retibus eſt involutus.

LXXIX. PISCIS ANONYMUS in Pruſſia, Aſello minori ſimilis, albus, longus pedes quatuordecim, craſſus ſeptem, habens cutim ſubtilem, mollem, ſquamis non tectam, dentes hebetes, fiſtulam in capite, propè Fortalitium Mindenſe captus, anno 1576. in Septembri. *Ex Hiſt. Curioſa Urbis*

Urbis Gedanenſis. Piscis ſecundus ſinè nomine proprio, rotundus, lævis, in corpore lineis transverſis albis, atris, cæruleis, diſtinctus, caudam bifidam ferens, ad tres partes ulnæ extenſus, in autumno rariſſimè prehenditur, non procul à *Tupadło* villa. COCHLEÆ MARINÆ ſeu Mytuli Marini, Germ: Muſcheln, Pol. *Muſzle morskie*, utramque teſtam convexam, æqualem habent, extra nigram, intus ex cæruleo albam, vel plumbeam. Cum Oſtreis ſunt ejusdem naturæ, ſaporis non ingrati, cum butyro, aceto, pipere, in cibum veniunt. Addo ad notitiam vocabulorum poſitorum multoties, quòd in Piscibus marinis, & fluviatilibus, Iris, Germ. Augenbogen, Pol. *Okrązek źrzenice*, eſt circulus circa pupillam. Pinnæ, Germ. Floſſen, Pol. *Pławy, Skrzidła*, alis avium proportione reſpondent, his enim ſeſe propellunt, & remigant, pedum vice, ait *Plinius*, ſunt datæ piscibus. Branchiæ, Germ. Kiemen, Pol. *Skrzele*, ſunt piscium partes, veluti pili densè, confertimque ordine diſpoſiti, ſemicirculo oſſeo infixi, qui more follium dilatantur, & comprimuntur, oſſea habendo opercula. Squamæ, Germ. Schuppen, Polon. *Łuski*, aquatilium ſunt tegumenta. Spinæ, Germ. Fiſch-Gräten, Polon. *Ości*, animalium terreſtrium oſſibus, proportione reſpondent, in eum finem, ut carnem fulciant, & contineant. Cirri ſunt carneæ particulæ, inſtar barbæ eminentes. Concludo agens de Piscibus, atque inſinuo, quòd *Hebenſtreit Diſſertationem de Organis Piscium Externis* edidit Lipſiæ, curioſa inſeruit plurima huic Opusculo: idem author, Icones Piscium fluviatilium & marinorum, ex detractis cuticulis ſimul cum ſquamis, ex partibus capitum, caudarum, pinnarum, artificioſè efformavit, paginis agglutinavit; *Clariſſ. Klein Secretarius Gedanenſis*, inventum idem exactiùs elaborans auxit Muſæum domeſticum.

LXXX. NERINGA INSULA *à Weiſſelmunda* Propugnaculo Gedanenſi protenſa, à Germanis Friſche Nähring, à Polonis *Mierzeia* appellata. Per Inſulam Neringon *Plinii*, intelligit *Prætorius Orbis Gothici lib. 3. cap. 4.* Neriam ſeu Neringam,

ringam. Neriæ modò sunt duæ, olim unam tantum fuisse, (inquit idem author,) demonstrat ipsa denominatio alterius Lacus, qui vocatur recens, Germanis Frisch Haf, ab antiquo unus Curonicus fuèrat. Scriptores alii tradunt, circa annum 1190. ortum fuisse Aquilonarem ventum in Prussia, nec flare destitisse, nisi post duodecim annorum cursum, aggeremque illum sive Insulam Neringam, ex intimis Maris visceribus eruisse, fecisse terram habitabilem. Habus quoque ideò novus vocatur, quòd antea non extiterat. Remota à veritate hæc narratio Historicis Prussicis illis, qui Viduritum statuunt, in primo adventu posuisse munitionem in Neringia. Tractus Borussiæ ab incolis Werder denominatos, cum Neringia adjuncta, *Olaus Joannis Gothus* elaboratè delineavit, incidit tabulis æneis Amstelodami; idem *Hartwichs in Geographica Hist.* præstitit.

LXXXI. SUCCINUM Latinis, Electrum Græcis, Germ. Bernstein, Pol. *Bursztyn*, à Pruthenis veteribus *Gentarum*, id est, genitum ex terra appellatum, in terræ visceribus etenim nascitur, tempestatibus validis concitatum mare tellurem eruit, Succinum, quod antea latebat obrutum denudat, ac ad littus propellit. Idem asserit *Negel de Jure Succini in Borussia tractatus*, montes, inquit, in mari sub undis latentes abrumpuntur tempestatibus, venæque Succini aperiuntur. Ad lapidum, speciatim ad gemmarum genera, Succinum *Hartmannus in Hist. Succini Prussici* evehit, *Sendelius in Electrologiæ Misso III.* ad bitumina refert, refutatque fusè *Hartmanni* rationes. Ab antiquis (ait) Succinum abusivè potiùs, quàm propriè & verè gemma appellatum, quia mentitur speciem gemmæ, vel in eodem pretio habebatur cum gemmis. Leucelectrum seu Succinum album, quia levius est, & odoratius, habetur pro optimo, & *in Musæo Calceolarii*, sic commendatur: Succinum Prussicum præcandido colore conspicuum, inventu rarum, levissimum, commansum gustantis linguam singulari dulcedine afficit, quam in reliquis aliis Succini speciebus non percipies. Idem magis quidem elaboratum

ratum est, sed minùs durabile. Redditur candidum omnis generis Succinum, opinione *Mercati* & aliorum, si longam in aqua salsa traxerit moram, vetustate enim candorem consequitur. Et coctione artificiali, per quatuordecim dies, ac noctes, continuata, Succina flava fiunt alba, *le Mort in Physica Chimico-Medica*, testimoniô. Enumerat *Sendelius* Succina varia, aurea, Germ. Goldgelbe, lactea, Milch-farbe, perlata, quæ oleris capitati vocantur, Germ. Kombst-farbe, undulata, Germ. Bleichklar, squamea seu nebulosa, cerea seu pallentia, lutea, alba, variegata, cærulea, nigra, diverse mixta & composita. Viridis color rarior est, nec unquam visus, quanquam à testibus fide dignis illi approbatus. Alia Succina clara & diaphana, alia opaca sunt, quæ unâ ac solâ substantiâ succineâ non constant semper, sed peregrinam alteram materiæ mistionem patiuntur. Diversitas Succinorum ex odore, sapore, & colore, desumitur: bonitatis sunt notæ, pelluciditas, & duritia. Odorem *Martialis in Epigrammat.* dilaudat, suffitus omnium subtilissimus & gratissimus est, ex perlatis, lacteis, & quibuscunque aliis albis. Gratiora quoque Succina omnia pura præ impuris, nec fragmenta corticosa succinea odorem gratum exhalant. Molle Succinum nondumque concretum, quod rarò reperitur, ferè Castorei odorem habet. Unum Succinum *Aurifabro in Succini Historia breviter descripta*, sapidius altero, candidum dulce, nigrum insipidum, sed *Sendelius* saporem nullum in Succinis diaphanis, & opacis, lingua teste, se persensisse affirmat, quapropter miratur, quòd dulcedinem illis *Agricola* & *Vigandus* adscripserunt. Glebæ succineæ, quæ librarum aliquot pondus adæquat, nulla certa est æstimatio, puritas, perspicuitas, soliditas, coloris dignitas, pretium augent. Summam vim Succini in Prussia Ducali antiquitùs dicta, Sudavicum littus habet, quod partem Sambiæ constituit, seque à novo transitu Neue-Tief, ad tabernam Krantz-Krug extendit, spatiô decem milliarium. Refert *Pauli in Disquisitione Philosoph. de Succino*, quòd Tractus Maris, ad cujus littora appellit Succinum, non tantùm circa Prussiam

est,

est, sed & Pomeraniam, & Livoniam, omnium tamen copiosissimè, circa illum tractum Prussiæ, qui à Dantiscano portu, usque Memelam extenditur, ut jure merito hîc potiùs, quàm alibi Insulæ illæ Electrides & Glessiariæ, sedes suas reposuisse videantur. Post Kerbswald sylvam Elbingensis ditionis, scaturigo derepente anno 1666. circa Bartenstein Oppidum exundans, magnam vim Succinorum egesserat. *Hartmann in Succincta Prussici Succini Historia.* In tractu *Koihe* dicto in Prussia, à Mari Balthico satis remoto, ingens olim Succini portio arando fuit inventa, nec minor in Soldavienſi agro, copia ejus fuerat observata. *Pauli in Dissertatione Philosoph. de Succini Natura.* Ad Neringam Insulam Gedanensem, dum ventus, Germ. Nord-Ost, commovet mare, inter arenas legitur, ad Helam Peninsulam interdum invenitur. Ex Habo lacu, qui Prussis veteribus *Heilibo*, gleba succinea coloris præstantis, mole par buccellæ panis emptæ Gedani, grossis tribus, unà cum piscibus est extracta retibus Præfecturæ Tygenhof, *Joanni* III. Regi oblata. Polonga Oppidum in Ducatu Samogitiæ Succina colligit, ibidem Electrotoreutæ artefactis variis occupantur. Pristinus modus coquendi Succina est derelictus, coquuntur nunc per viginti plùs minùs horas, in oleo seminis raparum, & sic clarificantur. In *Musæo Gottwaldiano, ex Triplici Naturæ Regno petito*, Gedani asservato, erant plùs quàm ducenta Succini frustula polita, continentia Muscas, Culices, Scarabæos, Blattas, Formicas, Araneas. Non deerant Sucaini frusta variis figuris à natura donata; Guttæ Succineæ multiqlicium figurarum, species Succini colorum rariſſimorum, inter quos frustum viride, instar Smaragdi. In Urbe eadem, *Musæum Kleinianum* tenet involuta Succinis animalcula, Papiliones, Culices, Tineas, Muscas, Formicas, &c. in uno frustulo fluidum aliquid. De gutta aquæ Succino inclusa scribit *T. Bartholinus in Actis Hafnienſibus.* In Bibliotheca Gedanensi ostenditur Succinum flavum concludens pisciculum de genere Passerum marinorum. Possidet Succinum *Ramseius Pro-Consul Civitatis Elbingensis*, quod Buccinulum

nulum candidum continet spirarum quatuor, omnibus Succinis aliis, quæ vidi, vel in Scriptis lustravi, palmam præripiens, ait *Sendelius in Electrologia*, Conchyliorum enim minora genera exteriùs quidem Succino accrescunt, seu adnascuntur, inclusa verò, puto visa à nemine. Vir elogio omni dignissimus *Michael Haeki Abbas Olivensis* habebat Succinum, quod Squillam parvam, Germ. Krabbe, circumdederat, dum esset liquidum. Idem exhibuerat Succinum, cui inclusum erat fragmentum chalybis, una extremitate, prominentis, de quo, pyrite ignis elicitus. Succinum modicum involvens plantulam egregiam, propter raritatem, devenit ad pretium quinquaginta aureorum oblatorum venditori Gedani, illatumque est Dresdæ Musæo Regio & Electorali, anno 1727. Eidem Musæo submissæ *à Sendelio Physico Ordinario Civitatis Elbingensis*, massulæ succineæ triginta supra ducentas, cum animalculis variis, inter quæ erant Blattæ, Cicadæ, Cantharides, Grilli, Millepedes, Pulices &c. Vis attractiva in Succino exponitur *à Reiman in Dissertatione Physico-Experimentali de Succino Electricorum Principe*, ibi Succino flavo major virtus attribuitur alliciendi corpora, quàm albo. De Magnetismo Electri seu Electricis attractionibus, earumque causis, *Kircherus in Magnete seu Arte Magnetica*, tractat; describuntur & *à Sendelio* experimenta plura, ad explanationem virtutis electricæ, vis attractivæ in Succinis. Corpora omnia attrahuntur à Succino, ait idem author, modò inter agens & patiens debita fuerit proportio, & ita levia sint corpora, ut à debili attrahendi vi, quæ Succino inest, attrahi & vinci possint. Attrahuntur insecta, &c. à Succino puro, levigato, polito, nam corticosum penetrare non possunt effluvia ex electrico corpore exeuntia. Præter Balthicum Mare Succini dives, etiam Mons Hagelsberg ad Gedanum illud offert, Mons propè Zukoviam, *Radunia* flumini imminens, Succinifer drnominatur. In Sylva Kerbswald Elbingensis ditionis, annò 1641. tempore brevi, Succini septingentæ libræ è terra erutæ, in ripis Vistulæ, lectæ.

Hartmann in Succincta Hist. Prussici Succini. In agro villæ *Pogutki* Palatinatûs Pomeraniæ, aratro erutum superans mensuram ulnæ. In campo *Nenkowy* villæ Gedano vicinæ effodiebatur ad lateritiam exstructam inibi argilla, cui Succini frusta interdum permiscebantur. In aula dicta *Mackowy* inventum. In fundo pagi *Kniewo* Capitaneatûs Pucensis sæpiùs reperitur. Ab incola villæ *Rumia* effossum Succinum candidum, nobile, cylindraceum. A pasture ovium massa puri & pellucidi Succini reperta in agris *Ciepielsk* pagi. Circa annum 1722. apud Nobilem Virum distantem milliaribus septem Gedano, parabatur piscina, in ea Succinum oleris capitati colore tinctum, qui Germ. Kombst-farb, longitudinis pollicum novemdecim, latitudinis undecim, crassitudinis novem, effossum est ab operariis, à præstanti artifice manente in platea S. Joannis, efformatum in Dianam sylvarum Deam, & Actæonem conversum in Cervum, ac à suis canibus dilaceratum. Hoc artefactum missum est Gedanô in Angliam, raritatibus specialissimis annumerandum. Non procul ab Urbe Conecensi, anno 1670. Succinum inventum, & *in Historia domestica impressa* annotatum. Prope Graudentum Civitatem Palatinatûs Culmensis, in argilla figulari reconditum. In fossis Lesnæ, dum Urbs vallo muniretur, Succinum comparuerat, *Jonstono in Notitia Regni Mineralis*, tefle. Mons ad *Oborniki* Oppidum Palatinatûs Posnanienſis, Succini frusta majora texit. Fundus *Otorow* ruris Palatinatûs præfati, grumum magnitudine æqualem humano capiti, obtulit uni circa culturam agri desudanti. Ex argilla *Lubomierz* villæ Palatinatûs Calissiensis, Succineæ massæ duæ sunt depromptæ. In pago *Tuczno* Cujavienſi, Succinum penes stagnum subindè obvenit, sæpiùs in horto olera producente. Ad *Gostyczyn* villam, agri dum scinderentur aratris, Succina prodierunt in apertum. Ad radices Montium Carpaticorum, Podolenecum versùs, fossile idem coloris varii colligitur. Ad manus meas, *Reiman, Tractatûs de Succino Carpatico, ejusque origine*, non pervenit. Volhiniæ pagus *Hłuponin* spectavit Succini albi grumulum

mulum motum à fossoribus, dum exstruebatur officina crematoria. In ejusdem Volhiniæ sylva spectante ad villam *Moszczenica Dubneusem*, aquæ vernales defluentes è collibus, Succinum ulnare in longum, semiulnare in latum detexerunt, hoc ab agricultore ignaro pretia rerum, Judæus obtinuit, pro olla media cremati simplicis. Fontes duo vicini pago *Glincz* Monasterii Zukovienſis in Prussia ejectant non pauca Succina, idem præstat fons tertius in fundo Borkovicensi. Fluvii Succiniferi Prussiæ, *à Prætorio, in Hist. Truthenica absolutissima, M.S.* exponuntur. Lacus Drausen, de quo Elbing fluvius exit, Succinum profert, quod *à Zamelio* carmine est celebratum. De *Gopło* lacu in Cujavia, non procul à pago *Szarley*, massa Succini retibus ad ripam est tracta. Quandoque ex lacu ad *Lubień* pagum Palatinatûs Posnanienſis propellitur fluctibus ad ripæ arenas. Ex lacu superiore ruris *Wierzchocin* Palatinatûs Junivladislavienſis, Succinum in forma lapidis grandis est extractum retibus, primo non agnitum, ac penes molendinum depositum, dum autem à villano, rota prætereunte est diminutum frusto non parvo, in notitiam venit ad Urbem Gedanenſem *ab Equestris Ordinis Viro Chrząstowski*, possessore fundi devectum, millium trium Prussicorum accepit pretium. Ad *Stężyca* villam Palatinatûs Pomeraniæ effunditur, emittitque Raduniam fluvium lacus, ex eo Succinum candidum est depromptum, à Gedanenſibus emptum summa notabili, *Joanni III. Regi*, acceptâ ab artifice formâ Coronæ, oblatum dono. Ex observatione *Helwing in Lithographia Angerburgenſis Parte I.* certo ordine terra arenosa ita insternitur, ut in omni ferè loco, qui spem aliquam succinei proventus facit, priùs stratum luteum observetur, quòd ex parvis silicibus plerumque diaphanis compactum est. De Succini usu in medicina, recenset plurima *Agricola, in Historia Succincta Succini*, *Gœbelius in Descriptione ejusdem*, *Blumenberus & Kemperus in Dissertatione Medica de Succino.* Arbitratur *Sendelius in Electrologia sæpiùs adducta*, Succinum virtute medica, omnia bitumina, & Ambram ipsam, superare.

rare. Tinctura Succini singulare remedium est *Grulingio in Florilegio Hyppocrateo-Galeno*, contra omnes affectiones capitis, præsertim apoplexiam, epilepsiam, paralysim, colicam, catarrhum, ophthalmiam, vertiginem, &c. Balsamum Succini, præ cæteris, excellens medicamentum contra epilepsiam, apoplexiam & vertiginem. Sedat colicam, stranguriam sopit, in peste, & morbis epidemicis adfert opem eximiam. Oleum Succini convenit in melancholia, spasmo, vertigine, peste, calculo, cordis palpitationibus, animi deliquiis, ictero, dysurgia, difficultate respirandi. Plura de Oleo Succini repetita destillatione rectificato, *du Humel Dialogis de Fossilibus* continentur. Succino præcipuè candido *Mercatus in Metallotheca Vaticana* adscribit facultates sequentes: cordi perutile est, tremori ipsius medetur mirificè, sanguinis profluvia cohibet, vomitus sistit, tritum & in vino exhibitum ictericis auxiliatur. Cruda Succina, ait *Hartmann in Historia Pruffici Succini*, Orientalibus populis magno pretio vendebantur. Armeni & Persæ olim Regiomonto asportari illa curarunt, lucrô Civium non contemnendô. Sinenses quoque utuntur Succinis, de quibus *Andreas Mullerus* se aliquid legisse meminit, *in Libro Sinico* Bibliothecæ suæ, in quo Boruffici Succini facta est mentio. Quòd Succinum, in deliciis feminarum proximum locum obtinuerit, eandemque quam gemmæ auctoritatem habuerit, *Plinius Natur. Hist. lib. 37. cap. 2.* deduxit ad notitiam. Artem Succina reddendi liquida, quòd noverit Centurio quidam in Samogitia, *Helving in Lithogr. Ang. P. II.* testatur. De Pseudo-Succino, quod paucos ante annos, ex Africa in Belgium deferri cæpit, exstat *Epistola impressa Sendelii ad Jo. Breynium Med. Doct. Gedani:* Boruffico illud mollius est, dum perforatur, rumpitur, coctionem in oleo seminis raparum non sustinet, operationibus artificialibus non inservit, resina potiùs dici debet. Hactenùs de Succino Prussico ego, quod sententiâ recentiorum, non est propriè marinum, sed minerale, Bitumen scilicet ex pingui succo terræ, in mineris suis genitum & coagulatum.

PUN-

PUNCTUM VII.

DE SYLVIS, ARBORIBUS, FRUTICIBUS, SUFFRUTICIBUS.

I.

SYLVA, Germ: Wald, Pol. *Las*, est pars terræ, arboribus spontè nascentibus referta. NEMUS est locus terræ, in quo arbores amænitatis causâ conservantur. SALTUS est locus repletus arboribus, pecoribus pascendis, feris continendis, venationibus, commodus. VIRGULTUM est locus arbusculis & virgis consitus. DUMETUM & SPINETUM sunt loca dumis ac spinis oppleta. LUCUS apud Ethnicos erat consitus manu, Diis sacratus, vel hominis alicujus cineribus dedicatus, circa Deorum Delubrum, aut Sepulchrum. ARBOR est planta, quæ è sua radice stipitem habet ligneum unicum, crassum, ex quo rami nascuntur multi, brachiorum instar, diffusi. Dividitur Arbor in Pomiferam, Bacciferam, Nuciferam, Glandiferam, & Coniferam. FRUTEX est planta, quæ à radice statim ramosa, seu habens ramos multiplices lignosos, durabiles, ad altitudinem justæ arboris non assurgens. SUFFRUTEX, Cremium nonnullis, inter fruticem & herbam, consistentiam mediam tenet. Regiones humidæ ad Occidentem, & Septentrionem vergentes, magis arboribus, sylvisque ingentibus abundare cernuntur, quàm ad Orientem, & Meridiem positæ.

II. Polonia, Russia, Moschovia, ingentibus sylvarum recessibus est vestita. *Kircherus in Mundo Subterraneo.* Sylva Hercinia, opinione *Symphoriani Hortorum lib. 26.* per Moschoviam, Poloniam, Litvaniam, Pannoniam, excurrit. Samogitia Sylvis nemoribusque abundat, in quibus visiones hor-

rendæ quandoque fieri dicuntur. *Gvagninus in Descriptione Litvaniæ.* Ex Sylvis vastitatis, insignis in Litvania, equis duobus currui junctis exportantur arbores jacentes, ædificiis aptæ, datis duobus grossis Polonicis custodi. In Sylvis vastis Prussiæ, reperti homines sylvestres & pilosi, anno 1460. teste *Grunau in Chronicis Prussiæ*, qui fortè metu bellorum se illic absconderant, & diuturnitate temporis, in ferinos planè evaserant. Videbantur etiam, qui ex illis postea fuerant nati, *Grunavi ejusdem* tempore, quasi sylvas sapere. Meminit hominum sylvestrium, & viridium, in Prussia, etiam *Pratorius in Historia Truthenica, M. S.* Ex Urbe Ostrogiensi Volhiniæ, agenti iter Owrucium, sylvæ protensæ per triginta milliaria Germanica sunt superandæ, Owruciô Jurovicios, per sylvas, maxima parte incæduas, milliaria octodecim conficienda. Florente pace, non modica portio sylvarum harum, aliarumque per Regnum totum est excisa, ignique in loco tradita. Annotatum *à le Maire in Theatro*, quòd in Litvania, & Russia, ex Quercubus ingentibus, verno tempore, incisis, tanta aquæ copia profluit, ut etiam rivi ex ea concrescant. Non incisæ Quercus duntaxat id præstant, veris initiô, sed omnes sylvæ adsitæ rivis & fluviis, emittendo humores superfluos, augent aquas, navigationes commodiores efficiunt, vocaturque tempus illud *Soczniça*, idiomate patrio. Ex Russia, & Litvania, Cineres clavellati, asseres, ligna lævigata omnis generis ad naves fabricandas, *Dzwinâ* fluviô Rigam importantur. *Gvagninus in Descriptione Livoniæ.* E Polonia, per Dantiscum, non spernenda quantitaa Cinerum clavellatorum, in Bataviam, Angliam, & Galliam vehitur. *Valentini in Aurifodina Medica.* In Curlandiæ sylvis copiosè parantur Cineres clavellati. *Rosinus Lentilius in Memorabilibus Regionis præfata.* Quòd ex Polonia veniant Cineres clavellati ad exteros, Germ. Pottasche, Pol. *Potasze*, & *Lamerus in Dictionario* asserit. In Palatinatu Kioviensi, ex Bonis Mhliiovienſibus *Stanislaus Koniecpolski Castellanus Cracovienſis & Supremus Dux Exercituum*, pro Cineribus clavellatis,

latis accipiebat quinquaginta millia Polonicalia. Poloniæ, & Prussiæ Palatinatus, ad Gedanense Emporium Vistulâ deferunt tabulas quercinas, Germ. Balen, Pol. *Bale*, quæ per Balthicum Mare, Hollandiæ, Angliæ, Galliæ, &c. inferuntur, ut Onerarias naves, aliaque artefacta constituant. Ex Emporio eodem ligna quercina minora, seu secamenta vasaria, materiæ doliorum, Germ. Klapholtz, Pol. *Klepki*, transportantur in Galliam. Ligna quercina, Prussis Pipenstef, devecta in Angliam, inde in Hispaniam, efformantur in vasa, Bootte ab Hollandis vocata, continentia Olea Olivarum, Vina Hispanica, Vina Canaria, nobis *Kanarskety*. Ex Magno Ducatu Litvaniæ, Regiomontum expediuntur, Nemenô fluviô, mali velis onerandi, ligna quercina, Germ. Klapholtz, asseres de Quercu & Pinu, German. Plancken, inde efferendi marinis navigiis ad nationes remotiores. Ligna in remos Triremium convertenda, etiam in Lusitaniam Hollandicis velis invehuntur, camelis, aliisque funibus nauticis Gedani onerantur navigia exterorum. Ligna numerosissima, Caudices connexi vocata vernaculè *Trafty*, Vistulâ Gedanum veniunt, Naves quoque caudicatæ vulgò Komięgi frumenta deferentes traduntur foco. Inter Officinas vitriariorum numerosas in sylvis, præstans est illa, quæ Germ. Turchstigel, proxima Silesiæ, in Palatinatu Posnanensi, in *Naliboki* pago Palatinatûs Novogrodensis, in Capitaneatu Lubaczevensi dicta vernaculè *Huta Hetmańska*, extradens, vitra crystallina seu crystallo similia. Ex Officinis aliis, lagenæ vitreæ, magnô numerô prodeunt, quæ Gedani thecis inclusæ, Gallico Cremato plenæ exportantur navibus in Hollandiam, Angliam, Hispaniam, Lusitaniam, à mercatoribus.

III. ABIES, Germ. Tanne, Pol. *Jodła*, *Jedlina*, arbor procera, sylvarum & montium incola, perpetua fronde virescens, coni longi deorsum propendentes, non facilè decidui. Abietem *Theophrastus* dividit in marem & feminam, candidior materia maris, folia acutiora, magisque pungentia, &c. In Germania duo Abietis genera *Trago*, candidum

&

& rubrum, aliis eadem arbor triplex, prima alba seu fœmina C. *Bauhini in Pinace*, Germ. Weisse Tanne, secunda picea sive multùm resinosa, Germ. Fichte, Tanne, Pol. *Swierk, Swierczyna*, tertia rubra, German. Rothe Tanne, Polon. *Jodła czerwona*. Ex Abiete, resina sicea & candida colligitur, pro thure vulgò usurpatur, lacryma quoque inter cortices contenta, pro Terebinthina Veneta ab institoribus sæpe distrahitur, vim habens molliendi, dissipandi, abstergendi, vulnera solidandi, calculum expellendi. Datur Abies, & Pinus malis navium parandis, ob proceritatem, rectitudinem, & levitatem. Frequens Abies alibi, in Volhinia, & Podolia non visa à multis. Abies picea altera mas *C. Bauhini*, conis sursùm spectantibus, fert folia latiora, quàm in Abiete vulgari, pectinata, ac invicem sibi ordinata serie correspondentia. Innascitur Sylvis Gosenicensibus Oeconomiæ Regiæ, post milliaria aliquot, à Civitate Varsaviensi, *Erndtel in Varsavia Physicè Illustrata*, testimoniô.

IV. ACER MAJUS *J. Bauhini*, Acer montanum candidum *C. B.* Acer latifolium, Sycomorus *Ruellii*, Germ. Ahorn, Maßholder-Baum, Pol. *Jawor*. Multis falsò Platanus est, ait *Bauhinus* præfatus, nam errant ii, qui à Germanis arborem dictam Ahorn, Platanum esse contendunt, ea enim Acer est, ut nobiscum testantur, *Cordus*, *Turnerus*, *Gesnerus*, & doctissimi quique. Secundùm *Tragum* fert folia elegantissima saturatæ viriditatis, vestitur cortice duro & incano, lignum cum annosum fuerit, undatim crispatur, orbibus, mensis, cæteræque supellectili, dicatur. Aliqui, Aceris genera tria statuunt, Campestre candidum, non crispum, Montanum crispum & durum, tertium subluteum sub Carpini nomine. Et *Dodonæo in Hist. Stirpium*, Aceris species tres, major, minor, Carpinus. Ex observatione *Gottschedi in Flora Prussica*, ligni materies tenera, fissilis est, folia petiolo longa insistentia, ampla, profundiùs incisa seu crenata, flores in umbellis, quibus succedunt siliquæ binæ, circa convexum, curæ, ac à fructu extumidæ. Alius refert, quòd fructum

fert

fert bicapsularem, in alas foliaceas abeuntem, continentem semen rotundum.

V. ACER MINUS seu minori folio *J. Bauhini*, & *Cordi*, German. in Prussia Linden-Baum, Pol. *Klon*, ejus apud *Dodonæum*, interior ligni substantia albida, folium, uti Aceris majoris, angulosum, sed multò minus, & glabrum, addit *Bauhinus*, pediculo longiori, virenti, aut rubescenti adhæret, semen conceptaculo gemino, simili alis expansis papilionum aquaticorum, recluditur. In montosis locis passim provenit, interdum in campestribus. ALBA ARBOR, Polon. *Białodrzewo*, sæpe procera, ex parte una fert folia candida, ex altera, viridia, & dum cultro inciditur, in illo loco frondes multæ erumpunt. *Haur in Oeconomia Terrestri.*

VI. ALNUS VULGARIS *J. Bauhini*, Amedanus *Crescentii*, Germ. Erlen-Baum, Polon. *Olsza*, habet lignum molle & fungosum, rami inflecti se non patiuntur, folia rotunda, gumosa, non aliter acsi visco seu pinguedine oblita fuerint, juli erumpunt tempore verno, semen excidit in autumno, è cortice & fructu color alter conficitur. Aqua ex foliis prolecta præstans est contra arthritidem, flores medentur calculis, folia ovibus prosunt, substrata acervis manipulorum frumenti, in horreis, aut alibi, mures non admittunt. Alnus à Germanis Moser vocata non exiguum meretur pretium. Eadem Alnus proclivis est ad metallisationem, & petrificationem, proximè ad Martis naturam accedit. *Liebknecht in Hassiæ Subterraneæ Specimine.* ALNUS NIGRA BACCIFERA *Bauhini*, Avorus *Crescentii*, Frangula *Matthioli*, *Ursini*, Germ. Faul-Baum, Pol. *Kruszyna*, est arbor humilis, sed ramosa, cortex colorem flavum emittit, baccæ frixæ in sartagine, in massam spissam & nigricantem abeunt, cui si affundatur parùm aquæ, color viridis prodit, idem Indico addito mutatur in luteum. Folia pabulum lætum bobus ac vaccis præbent, quæ horum pastu reddunt lac copiosius.

VII. BERBERIS *Officinarum*, Spina acida *Dodonæi*, Spina sancta aliorum, Germ. & Pol. *Berberis*, armatur spinis

menacibus, ait *Jonſtonus*, quarum tres aliquando ex uno puncto trunci emicant, radix multifida, ſub primo cortice egregiè flava, materiæ albæ multa ſubeſt medulla, contra fætorem oris adhibenda. Fructus corroborat ſtomachum, & hepatem, vomitus ſiſtit, & fluxum rubrum alvi, ſuccus expreſſus aſſervatur à quibusdam per annum, etiam contra quasvis fluxiones alvi à calore procedentes. Crescit in Italia, Germania, Polonia, *Jonſtono eodem* teſte, amat loca inculta, ſylvoſa, campeſtria, montana, &c. caliidas nimix regiones averſatur.

VIII. BETULA *Tragi*, Germ. Bircken-Baum, Pol. *Brzoza*, alia eſt procera, pendulis virgulis, alia erecta virgulis, pumila alia foliis ſubrotundis, julis craſſis & brevibus. Lignum illius *Sommerhoff in Leoico Pharmaceutico*, eſt Lignum Nephriticum Europæum ſeu Germanicum ad renum affectiones. Videatur *Helmontius & Ettmullerus.* Ex ſauciato caudice, primo vere, effluens aqua ſanguinem impurum mundat, multa mala pellit *Mentzelii* opinione. Betula à Germanis in Pruſſia Moſer, à Caſſubiis *Wydzierz* dicta, in æſtimatione eſt apud opifices aliquos. Folia Betulæ, in Majo & Junio decerpta, corpori undique alligata copioſum ſudorem provocant, medentur affectibus variis. Per Regnum totum hæc arbor ſparſa, creberrima in Samogitia, & in Poleſia Polonica, ubi vas betullolei ſeu pinguedinis igne elicitæ de corticibus, continens tres congios, ſive *Szeoffos* Pruſſicos ſex, emitur Germanicis groſſis tribus, circa Owrucium, Mozirum, &c. minori pretio. Vehitur idem betulloleum, German. Daget, Polon. *Dziegiec*, in Ukrainam ulteriorem, & ad vicina loca Oczakovienſis Urbis Tartaricæ.

IX. CARPINUS *Dodonæi & Tournefortii*, Ornus *Tragi*, Oſtrya Ulmo ſimilis, fructu in umbilicis foliaceis C. *B.* Oſtrys *Theophraſti*, Fagus ſepium *Gesneri*, Germanis in Pruſſia Hagbûchen, alibi Hanbûchen, Polon. *Grab*, ſecundùm *Dodonæum*, caudice procero, cortice albicante, nonnihil aspero, ligno ſolido & tenaci, foliis non anguloſis, ſed ad Ulmi folia accedenden-

dentibus, inter hæc triangularia quædam folia racematim dependent, adsunt & capitula, cicerum magnitudine, cum fructu. Eadem arbor *Tournefortio in Institut. Rei Herbariæ*, est flore amentaceo, plurimis foliis constante, acsi squamatim affixis, quibus singulis subsunt stamina multa, fructu osseo plerumque umbilicato, compresso, striato, qui fetus est nucleo è rotundo acuminato. A *J. Bauhino* fructus in longo pediculo, foliorum angustiorum ligulis alatis obvallatus Carpino attribuitur. De Orno *Tragus* notat sequentia: inter omnia lignorum genera, quæ sylvæ proferunt in Germania, nullum durius ligno Orni reperies, hoc candidum est, & instar Buxi, spissum, solidissimum, & quod non facilè findi se patitur, unde etiam ad rotas molares, cochleas, trochleas, ac alia instrumenta, quæ pondus magnum sustinent, maximè expetitur. Folia similia foliis Ulmi gerit, per ambitum modicè serrata, semen, Officinæ, linguam avis vocant, Græci Orneoglossum. Ut Ornus sit species Fraxini, idem author adduci non potest. Frequens in Poloniæ sylvis Ostrya *Jonstono*, copiosa *Gottschedio in Flora Prussica*.

X. CERASUS *I. B.* Cerasus major *C. B.* Germ. Kirschen-Baum, Pol. *Trzesnia*, *Czeresnia*, est arbor procera, recta, cortice obducta spadiceo, aut cinereo maculoso, ferens flores candidos & copiosos, folia serrata. Cerasus ista procerior sativâ est *Jonstono*, fructus in rotunditate oblongus, ruber, vel niger, caro pauca, subdulcis, osseculum durum, nucleus exiguæ amaritudinis. Species Cerasi *à Mentzelio in Lexico Universali*, enumerantur. De Cerasorum arboribus colligitur à quibusdam Gummi, Arabico intermiscendum ex baccis nigris fit, ad epilepsiam aqua, & spiritus, baccæ albæ assumuntur in cibum. Præter Cerasos sativas in hortis, frequentissimæ sunt in sylvis Podoliæ, Volhiniæ, Russiæ, ex decidentibus in terram nucleis provenientes. CHAMÆCERASUS, Pumila Cerasus *Tragi*, Pol. *Trzesnia pożiemna*, *Wisienka*, è Cerasorum genere humillima, fructu gemino rubro.

XI. CORNUS *Tragi & Dioscoridis*, Cornus mas *Sipontini*, Germ. Corneel-Baum, Pol. *Deren*, arbor duritie cornibus similis, ferens folia Amygdalæ, baccas oblongas, primò virides, deinde rubeas, quæ Lat. Corna, Germ. Corneel-Beeren, Corneel-Kirschen, hæ muriâ, ut Olivæ condiuntur ad cibum. De eadem arbore *Ganser in Tutrice Corporis Humani*, tradit sequentia: primò inter arbores, & quidem ante proventum foliorum, floret, hi flores nocui & mortiferi apibus sunt. Corni seu fructus ejus tardè maturescunt, refrigerant & siccant, modicè etiam adstringunt, acidum in se continent. Electuarium inde confectum, ut & syrupus, contra alvi & sanguinis fluxus bilioſos & acres eximiè valent. Lignum mergitur in aquis, nam multùm continet terrei, terreum verò utpote gravius, descendit infrà aquam, econtra cui ligno uberior àëris portio ineſt, terræ minor, illud supernatat. Frequens etiam cum longiore & craſſiore caudice in Podolia, fructus majores atque minores, in Camenecensi foro, & alibi venales proſtant. In sylvis nonnullis Prussiæ, quòd interdum Cornus hæc inveniatur, adsunt qui referunt.

XII. CORYLUS *Tragi*, Germ. Haſſel-Straude, Pol. *Leszczyna*, caudex illius, quotannis, multas virgas emittit, si annoſus fuerit, cortice incano obducitur, nonnunquam producit viscum, flores exigui, rubri, Croci staminibus perbrevibus similes. Sæpe hæc arbor adeò fructifera in Prussia eſt, ait *Gottschedius in Flora Prussica*, ut modò septemdecim, modò viginti unam, immo simul viginti duas nuces, uno pediculo fultas, & glomeramen quasi quoddam constituentes obſervaverim; ejusmodi nucum glomeramina ex concursu multorum florum exorta credo. Eadem arbor pictoribus pulverem, Schutt-gelb, Bley-gelb dictum suppeditat. Coryleta in Provinciis fere omnibus, numeroſiſſima. CYNOSBATUS *Tragi*, Rubus caninus, Rosa canina, Rosa sylveſtris aliorum, Germ. Feld-Roſen, Heck-Roſen, Hagendorn, Pol. *Roza polna*, eſt frutex habens corticem cinereum, ramoſum, aculeis firmis, & maximè noxiis armatum, undique folia pul-

pulchrè virentia, fructus rubeos in autumno. Spongiola aliquando illi adnascitur, gaudet terrâ argillosa, montibus, sylvis, sepibus penes itinera positis.

XIII. ERICA HUMILIS *J. B.* Erica Myricæ folio *Lobelii*, Germ. Heyden, Pol. *Wrzos*, est frutex semper virens, alius flore purpureo, alius albo, delectat apes, illisque mel suppeditat, in arenosis provenit locis. Ericam arborescentem *à J. B.* descriptam spectare mihi non contigit. Ericam tenuifoliam, nunquam florentem *Helwing in Flora Quasi-modogenita Prussica*, ponit. ERICA BACCIS NIGRIS PROCUMBENS *C. B. in Pinace*, Erica VII. *Clusii*, Erica baccifera *Matthioli*, Pol. *Wrzos z iagodami czarnemi*, Fruticis istius fructus *Thalio in Hercynia Sylva*, sunt noxii si sumantur, apud nos in alimentum plebis sæpe cedunt, sunt tamen aliqui, qui affirmant, quòd comesti copiosè inebriant, à Borussis Kräenbeeren appellati. EVONYMUS VULGARIS granis rubentibus C. *B.* Fusaria *Crescentii*, Tetragonia *Theophrasti*, Germ. Spindel-Baum, Zwinck-Holtz, Pol. *Trzmiel*, illius fructus avidissimè devorare Capras, *Clusius* observavit.

XIV. EVONYMUS PANNONICUS seu Evonymus II. *Clusii*, Germ. Ungerisch Spindel-Baum, Polon. *Węgierski Trzmiel*, inquit *Erndtel in Viridario Varsaviensi*, differt à vulgari, quòd cortex ramorum semper sit inæqualis, asperiusculus, pulverulentus, vel quasi arena crassiore aspersus circumcirca, quâ notâ à mille aliis fruticibus se distinguit. Colore floris differt quoque à communi, qui in hoc est obscurè phæniceus, vel potiùs obsoletus, &c. fructus vivaciissimi coloris punicei. Hoc singulare etiam habet, quòd ipsum perianthium purpureum, post florem, baccam occludens in quatuor partes dehiscat, ex quo exsiliunt quatuor baccæ, ex subtilissimis, & quasi sericeis filis, ad longitudinem ulnæ fere pendentes, miniacei coloris, cum seminibus vel acinis semper binis nigris, ex altera parte baccæ, lateraliter nigredine sua transparentibus, pulpa quadam lentescente, ac digitos flavo colore inficiente, circumdatis. Frequens in Bielanensi saltu, propè Varsaviam.

XV.

XV. FAGUS *Dodonæi*, Oxya *Bellonii & Theophrasti*, Germ. Buch-Baum, Pol. *Buk*, arbor procera, caudice crasso, multis ramis brachiato, cortice lævi, materie candida, solida, spissa, ad multa utili, flores à fructu remoti, amentacei, in globulos congesti, fructus esculenti in capsula echinata, acuminata, quadrivalvi, seminibus triquetris spadiceis feta. Ex fructibus Fageæ glandes vocatis, Pol. *Bukiew*, oleum exprimitur ad condiendos cibos, ad lumina lucernarum: succus assumitur pro toxici curatione interno, pro Serpentum plagis sanandis. Folia recentia contusa & imposita calidos rumores discutiunt, aqua inter cavos truncos retenta, hominum, & quadrupedum scabiem, impetiginem, lichenas, lotione simplici sanat. Orni nomen minimè habere debet, ait *Aldrovandus in Dendrolog.* nec Esculi, nam arbor ista est Quercûs species. Terram sibi peculiariter proportionatam amat, frequentissima in sylvis montosis, nonnihil humentibus. Fagus non procul à Civitate Elbingensi cæsa, securi difissa exhibuit varias occultas literas; *à Kulmo Medic. Doct. Disputatio Botanico-Physica de Literis illis in Ligno Fagi repertis*, est typis data, in qua primò historia lignorum figuratorum exponitur, secûndò diversæ authorum sententiæ adducuntur, tertiò ratio vera phænomeni hujus *à Schrockio*, *Verdries*, *Scheuchzero*, data approbatur his verbis: rectissimè statuunt isti occultas tales figuras tam profundè conspici in arboribus annosis, quia singulis, post peractam incisionem, sequentibus annis, novi semper fibrarum fasciculi, ligno undequaque acerescentes, novum quot annis arbori augmentum concedant, adeoque exsculptas imagines, tandem longè sub se relinquant, &c. Causa nigricantis coloris figurarum, in instrumentum ferreum, quo characteres sunt inciſi, reiicitur, cum enim ferrum multûm de acido vitriolico participet, & succus cum vitriolo commixtus nigricantem colorem induat, fieri aliter non potuit, quin instrumentum lædens, affluente ex sauciatis tubulis succo, eundem colorem produceret, quo vulnera ligni imbuta nigredinem contraxerunt. Ex Fagis mi-

minimè corruptis, planis, lævibus, optima materia pro vitro conficiendo, *ab Haur in Oeconomia Generali*, assignatur.

XVI. FRAXINUS *Dodonæi*, German. Eschen-Baum, Polon. *Jesion*, arbor procera, caudice assurgit recto, cortice tegitur lævi, fert oblongum folium, lignum albidum est, Chirurgorum vulnerarium seu sympatheticum. Fraxini semina, inquit *Erndtel in Viridario Varsaviensi*, folliculis membranaceis, oblongis, linguiformibus, sunt inclusa, flores imperfecti, staminei, aut amentacei à fructu remoti, ante folia erumpentes, & brevi evanescentes. Succus istius arboris utilis est contra Viperæ morsum. Tres species Fraxini *à I. B.* annotatæ, *à Schwenckfeldio in Stirp. Silesiæ*, positæ sequentes. Fraxinus foliis angustioribus fructifera *Cordi*, in autumno semen illius maturescit. Fraxinus sterilis seu latifolia, montium alumna. Fraxinus dura seu petræa, in præruptis & petrosis locis excrescens. Fraxinus crispa, German. Eschen-Flader, cujus materia undulata, ab arculariis ad mensas, tabulas, & alia utensilia, colligitur. Fraxini species quatuordecim *à Michelio in Novis Plant. Generibus* exponuntur.

XVII. GENISTA ANGULOSA & SCOPARIA *C. B.* Genista angulosa, trifolia, non spinosa *J. B.* Cytiso-Genista flore luteo *Tournefortii*, Capparis Germanica *Hübneri in Lexico*, Germ. Pfriemen-Kraut, Ginst, Genister, Pol. *Janowiec*, Cassubiis *Jerkowicze*, frutex est, secundùm *I. Bauhinum* diversus à Sparto, *ex Jonstoni* descriptione, radice dura, caudicibus lignosis, à quibus prodeunt virgulæ plurimæ angulosæ, semper virentes, faciles flecti, foliis obscurè virentibus, flosculis elegantibus communiter luteis, hi contriti strumas discutiunt, contra calculos prosunt, vomitum cient. Folia, & semina, sensu *Oelhafii in Elencho Plant. circa Dantiscum*, decocta & infusa cum vino, hepar, lienem, & renes aperiunt, hydropicos, arthriticos, nephriticos juvant, si ex aqua decoquuntur. Flores decerpti recenter & acetariis inditi, ait *Rajus in Dendrologia*, à plebe sumuntur in Aquitania, gemmantes flores dum adhuc virides sunt, in Anglia condiuntur sale & aceto,

men-

mensisque inferuntur; Capparum, Olearumvè commendatione. Succus ex foliis, ac summitatibus utilis est hydropicis, renum, vesicæ obstructionibus. Idem præstat semen sumptum, pondere unius drachmæ, quod durum, subrufum, inclusum est siliquis nigricantibus per maturitatem. Genistæ spontè nascentis nulla vestigia observare potuit *Clusius* in Pannonia, Bohemia, Austria, & Moravia, copiosè excrescit in Prussia, ac sæpe proceritatem viri attingit, vel superat in agris incultis, in solo arenoso, atque aprico, ad pagos *Redtowo*, *Grabowka*, *Chilonia*, *Cisowo*, *Zagorze*, *Reda*, *Zarnowiec*, &c. ad *Mickaw* non deest, floret mense Junio, & Julio. Occupat agros in Litvaniæ, & Curlandiæ nonnullis locis. GENISTELLA *Rivini*, foliis solitariis, oblongis, inordinatè caudicem ambigentibus, circa Varsaviam, *Erndtel Scriptore*. GENISTELLA SPINOSA *Rivini*, Genistella aculeata *I. B.* ibidem simul cum Genista Scoparia. GENISTA TINCTORIA Germanica *C. B.* Herba lutea *Plinii*, Ferula *Tragi*, Tinctorius flos *Fuschii*, Coroneola *Cæsalpini*, Chameleuce *Lobelii*, Genistella infectoria vulgi, Germ. Kleine Farb Pfriemen, Pol. *Ianowiec farbierski*, apud *Ionstonum* ex radice lignosa vitium cubitalium & teretium seges fruticat, quibus folia atro-virentia adnascuntur, flores in thyrsis lutei, siliquæ latiusculæ, glabræ, multa semina parva & subamara continentes. Colorem luteum flores præbent, qui si cæruleo superinducatur, in viridem abit. In Prussia provenit, *Gottschedii in Flora*, testimoniô.

XVIII. GROSSULARIA multiplici acino, non spinosa, sive Ribes *Officinarum*, Ribes rubra *Lobelii*, Ribesium fructu rubro, Getman. S. Johanns-Strauch, Polon. *Krzak Porzeczkowy*, est frutex tener & surculosus, acinos proferens rotundos, ordine pendentes, circa diem S. Joanni dicatam, maturitate rubescentes, dulces, non sinè admista quadam grata acerbitate, invitantes cibi appetentiam, juvantes febre ardente laborantes, vocatos Ribesiæ, Ribesia, Grossulariæ, Grossulæ, Germ. Sanct Johanns-Beeren, Johanns-Traublein, Ribes-

Ribeslein, Pol. *Porzeczki, Swiętoianki, Wino S. Jana.* GROSSULARIA ALBA seu Ribes albo fructu, Germanis Weisse Johanns-Beeren, Pol. *Porzeczki białe,* hæc Ribes, & superior in vivas sepes formatur in hortis. GROSSULARIA NON SPINOSA SYLVESTRIS *Jonstono in Dendrogr.* duplex est, fructu rubro & nigro, Ceanothus lævis sylvestris *Gesneri*, fruticans tenui vimine, cortice cinereo, acini minùs rubri, subdulces, fere insipidi. Grossularia rubra sylvestris *C. B.* inquit *Gottschedius in Flora Prussica*, Germ. Wilde S. Johanns-Traublein, Prussis Hinter Latten Wilde, provenit Oxyacanthæ fere foliis prona parte hirsutis, supina lævibus, solidis & crassiusculis, quatuor vel quinque baccæ ut plurimùm uni pediculo assistunt, acinis duobus aut tribus instructæ. Ribis sylvestre genus, *Trago* referente, in littoribus fluviorum, & torrentium, quandoque reperitur, virgis, foliis, & fructu consimili hortensi, nisi quòd longè alium baccæ ejus saporem habent, nimirum injucundum, gustatæ vomitiones cient, & fastidia pariunt. In Capitaneatu Pucensi, ad Mare Balthicum, excrescunt frutices cum Grossulis rubris, majoribus sæpe (quàm sint in hortis,) dulcibus, sapidis, salubribus. GROSSULARIA FRUCTU NIGRO non spinosa *C. B.* Ribes sylvestris baccis nigris *Clusii*, German. Schwartze Johanns-Traublein, in Prussia Bocks-Beeren, Pol. *Porzeczki czarne*, in Insulis Vistulæ, multisque aliis locis. Baccæ præfatæ nigræ, ob suum saporem ingratum, ac juniperinum, parùm in usu sunt. GROSSULARIA seu UVA CRISPA *J. B.* descripta est infra num. XLIII. sub nomine Uva acerba.

XIX. JUNIPERUS, Zaniperus *Crescentii*, Germanis Wachholder-Baum, Polon. *Jałowiec*, alia major, minor alia, quæ major est, in tantam molem abit, ut celsam arborem imitetur, rursus major dividitur in arborescentem & fruticescentem, arborescens magnitudinem arborum æmulatur, fruticescens ad molem arbuscularum accedit, vocaturque Juniperus fruticosa. Materia est decoctorum sudoriferorum ac diureticorum; odore traditur fugare reptilia. Baccæ

immaturæ sunt virides, maturæ nigricantes, Grana Turdorum denominatæ, Germ. Wachholder-Beeren, scatentes oleo aromatico nonnihil retinoso, insigniter sudoriferæ, diureticæ, immò *Ettmullero in Schrodero Elucidato*, vi balsamica pollentes, atque terebinthinatæ. Conducunt aquæ juniperinæ in affectibus nephriticis, gummi usurpatur pro suffitu, in affectibus capitis catarrhalibus, ex baccis Elixir, ex fungo Aqua Ophthalmica conficitur, Malvaticum Juniperinum in calculi cura, tam præservativè, tam curativè prorsùs egregium. Contra eundem calculum sumatur recens olla, baccis recentibus Juniperi ad dimidium usque impleta, ac cum vino & aqua, ad tertiæ partis consumptionem coquatur, decocti istius haustus unus, vel alter detur. Lappones, quibus natura pauca concessit, potionem habent ex baccis juniperinis, inquit *Cosmius in Magna Naturæ Oeconomia*, quam, ut Caffe, aut Thea, calidam sumunt, nec minùs utilitatis, quàm alii ex istis percipiunt. Plura nosse desideranti, *Scharffii Descriptio Curiosa Iuniperi* adferet, in qua usus internus & externus exponitur. Terra Juniperos circa Lovicium, in Regione Submontana, circa Sonczum, largè producit, in Cassubia traduntur non rarò focis, ignem intendunt fortiter, in Albæ Russiæ tractu, ex Urbe Novogrodensi, Minscum, & Vilnam proficiscenti, Juniperi sæpe occurrunt, ibidem baccarum triginta congii Germanicis grossis aliquot permutantur: in Magni Ducatus Litvaniæ Districtibus *Lidzki*, *Wołkowyiski*, Juniperi majores dicuntur esse, in Samogitia minores, in Varmia, & locis aliis fruticosæ, ac humi repentes crebræ. Artefacta ex lignis ejusdem arboris diutissimè incorrupta servantur. Juniperus Alpina, Suetica, & Polonica, in viretis Belgicis frequens. *Plukenet in Almagesto Botanico.* Ligni Juniperini in scobem attriti & derasi libras 12 coque ex aqua in lebete magno, donec pars tertia fuerit consumpta, tum demum decoctum, unà cum ligni rasura in labrum proiice, & in eo podagricus umbilico tenus sedeat. *Mizaldus in Historia Hortensium.*

XX.

XX. LARIX, Germ. Lerchen-Baum, Polon. *Modrzew*, arbor est alta, *Axtio in Tractatu de Arboribus Coniferis*, cortex à terra usque ad ramos crassus, asper, multis rimis hiulcus, rami multi, folia breviora, molliora, tenuiora quàm Pini, ab uno tuberculo numerosè prodeuntia, obtusa non aculeati coni sunt graciles, paulò longiores cupressinis, sub quibus bini fructus parvi, alati. Materies ligni durissima, interior rubescit, resinam liquidam fundit, albicantem, sed non sponte, nam caudex terebrâ usque ad cor est perforandus. Sola hæc arbor inter coniferas, adventante hyeme, folia deiicit. Idem tradit *Bellonius in Arboribus Coniferis*, addens, quòd affinitate, similitudine, foliis, & conis Cupressum mentitur, in Germania est rara, in tota Saxonia, Bohemia, Pomerania, ab eodem peregrinante non visa. Oblectatur cælo frigidiore, domus si construantur ex larignis tabulis, mansionum talium inquilini, sensu *Munsteri in Cosmographia Germ.* leprâ infici nequeunt. A nullis lignis tradit *Ionstonus in Thaumatographia*, magis liquescunt metalla, quàm à larignis. Muscus Laricis accensus, ait *Baconus in Sylva Sylvarum*, suavem spargit odorem. Sylvæ Palatinatûs Sandomirienses, circa *Skrzyńsko*, *Przytyk*, *Chlewiska*, *Radoszyce*, &c. arboribus aliis, Larices permistas habent, arboreta Ravensis Palatinatûs easdem exhibent, in vicinîis pagorum *Byliny*, *Dziurdziuły*, *Swieyki*, *Kalin*, *Regnowo*. Larigna sylva traditur esse in Lublinensi Palatinatu, villæ *Kłodnica* propior, in Siradiensi rara. Scepusii incolæ, teste *Belio in Prodromo Hungariæ*, multùm ex Laricibus resinæ colligunt, quæ *à Trago* Terebinthina Germanica appellatur. In pago *Błonie* Palatinatûs Lencicienses, Templum constructum ex Laricum lignis, sæcula aliquot traditur superasse. Ad Oppidum *Tuszyn* Palatinatûs Siradienses, Templum post annos quingentos octoginta septem, à fundatione durans visitaveram, sed adverti cariem ibi sensisse, ubi pluviis, nivibus crebris, perfunditur. In Siberia Larix frequentissima, ait *de Strahlenberg in Parte Septentrionalis & Orientalis Europæ, ac Asiæ descripta*, lignum ejus intensissimum calorem præbet,

facilè petrefit, ſi per anni dimidium in aqua fimeti, deinde aliquandiu in aqua pura jacuerit. In Italia hæc arbor perrara, *Valentini in Aurifodina Medica*, teſtimoniô. AGARICUM, Pol. *Modrzewowa Gąbka*, eſt Fungus innascens Larici, alium appellant marem, & eſt venenatus, flavescens, intricatus, femina candida, friabilis, levis, mollior, ſaporem habens dulcem amaro mixtum, hic in Polonia nascitur optimus, in calidis regionibus vilior, tormina ventris & cruditates componit, valet contra lapſus ex alto, aſthmaticis, ictericis, epilepticis, ſanguinem ſpuentibus, & aliter affectis quomodocunque exhibitus prodeſt. *Tylkowski Phyſica Curioſa Parte 8. Sect. 11. de Vegetabilibus.*

XXI. LAUREOLA folio deciduo, Mezereon Germanicum *I. B.* Daphnoides *Fuſchii*, Laureola femina ſeu Thymelæa Lauri folio deciduo *Tournefortii*, Chamælea Germanica *Dodonæi*, Laurus puſilla *Lobelii*, Piper montanum *Anguillaræ*, German. Pfeffer-Baum, Polon. *Wilcze łyko*, *Wilczy Pieprz*, eſt fructus ramoſus, craſſiore quàm Laurus folio, ferens baccas è nigro rubescentes, quibus guſlatis, os atque guttur accenditur. Eædem baccæ Officinis, ait *Sommerhoff in Lexico*, ſunt Grana gnidia, Semina Coccognidii, radix traditur eſſe ſic nociva, ut homini utenti illâ adferat necem. Cortex, ſenſu *Oelhafii in Elencho Plantarum circa Dantiscum*, ſubducit pituitam, laborantibus quartana, & hydrope, exhibetur. LEDUM *Matthioli*, Ledon foliis Rosmarini, *Lobelii in Icon. Plant.* Lada *Plinii*, Spirea odorata *Rivini*, ex Ciſti genere *Scaligero*, German. Porſch, Pol. *Kozieb drzewko*, eſt frutex in paluſtribus locis excrescens, hunc, inquit *Erndtel in Viridario Varſavienſi*, aliqui in Polonia, nefario auſu, ad temulentiam promovendam incoquunt cereviſiæ.

XXII. LYCOSTAPHYLUS *Cordi & Sirenii*, Sambucus aquatica *I. B.* Sambucus paluſtris *Dodonæi*, Opulus *Ruellii*, Platanus aquatica *Anguillaræ*, Germ. Kalinen-Baum, Polon. *Kalina*. Apud *Tragum* Sambucus aquatica habet medullam fungoſam, folia diſſecta, flores ſuaviter odoratos, baccas Cin-

Cinnabaris colore tinctas, autumni tempore, maturescentes, ingrati planè saporis, ita ut degustanti illas, nauseam & fastidia continuò pariant. Addit *Buxbaum in Enumeratione Plant. Halensium*, quòd baccæ sunt compressæ, umbiculatæ, officulo unico cordiformi fetæ. Arbor umbrosarum, riparum alumna est, pratensibus udis, convalliumque marginibus, familiaris.

XXIII. MYRTILLUS Germanica *Tragi*, Myrtus vulgaris, seu Pseudo-Myrtus, Vitis Idæa foliis oblongis crenatis, fructu nigricante, *C. B. & Tournefortii*, frutex exiguus *Dodonæo*, habens cauliculos & ramulos tenues, corticem virentem, baccæ Juniperinis respondent magnitudine, in summitate concavitatem deferentes, colore è cæruleo saturato nigricantes. Eædem baccæ Vaccinia nigra vocantur, Germ. Blau-Beeren, Pol. *Czarne iagody*, Russis *Czernice*, proveniunt in sylvis potissimùm pineis, frigida sunt & adstringentia, ventriculo æstuanti conveniunt, sitim sedant. Excoquitur horum succus donec crassescat, addito melle & saccharo, conservatur. Color quoque ex succo Vacciniorum, cum alumine & galla, temperato, conficitur ad picturas.

XXIV. OXYACANTHA *C. B.* Mespilus sylvestris Apii folio *Tournefortii*, Mespilus Apifolia spinosa sylvestris *Ionstoni*, Spina appendix *Plinii*, Sorbus aculeata *Cordi*, Germ. Hagedorn, Mespel, in Borussia Mahl-Baum, Polon. *Niesplik lesny*, fert baccas, per maturitatem in Septembri rubentes, communiter orbiculares, earum pulvis calculos & arenulas pellit, si in vino sumatur. Hic frutex aculeatus provenit ad vias, inter fruticeta &c. tonsilibus sepimentis inservit.

XXV. PHILLYREA *Matthioli*, Pseudo-Ligustrum *Dodonæi*, Germ. Eiben, Pol. *Czeremcha*, *Trzemcha*, *Kocierpka*, ad mediocris arboris magnitudinem ferè adolescit, apud *Dodonæum* fert folia oblonga, lata, veluti Cerasi minoris, flores albi plures ab uno tenui & oblongo pediculo ordine digesti dependent, quibus succedunt baccæ, per maturitatem nigræ, osse intus duro, non magno, crispis lineis imbricato,

quo nucleus continetur. Arbor eadem *Cnapio in Thesauro*, tenet baccas austeras, parvas, nigras racematim, erumpunt flores candidi, sed non suaveolentes, ut *Dodonæus* tradit, verùm graveolentes, quapropter *Smrodynia* vulgò denominatur.

XXVI. PINASTER *Bellonii in Arboribus Coniferis*, Pinus sylvestris montana tertia *C. B.* Pinus cujus officula fragili putamine seu Cembro *I. B.* Pinus sylvestris altera *Parkenson in Theatro Botan.* German. Limbaum, Slavis *Limbowe drewo*, Pol. *Limba*, Russis *Kedr*, id est Cedrus, *Bellonio præsente* arbor ramosa est, ut Pinus, ad cujus altitudinem quandoque attollitur, & ad crassitiem provenit, &c. folia ut Pini sunt longa ac mucronata, sed Pino duo tantùm insunt folia, econtra Pinastro quina, alioqui toto habitu Pinum refert, unde Pinastrum appellandam meritò censui, &c. Insignem de Pinastro habe notitiam, quòd folia ex crassiori surculo, per tubulum promat quina simul conjuncta, ipsum surculum ambientia, quæ nonnunquam ita in extremo eminent gracilia, numerosa, ut crinitum quoddam constituant, cæsariei referens effigiem. Coni cæteris molliores sunt, ob id aviculis obnoxii. Pinastri altissima montium juga obsident grandines, nives, gelicidia non reformidant, immò ab eis foventur & augentur. Peritissimus Artis Botanicæ *I. P. Breynius Medic. Doctor*, eandem arborem à Russis & Moschis *Kedr* dictam, *in Epistola ad me data*, decernit esse Pinastrum *Bellonii*, addens sequentia: nec Pinastro huic minor deberi videtur gloria, quàm Cedro Libani, dum præter materiem, quæ vetustatem ferre, nec cariem sentire perhibetur, Salutare Balsamum Carpaticum appellatum fundat, tot internis, externisque medicis usibus inserviens. Coni nuculas copiosas præbent, grati saporis & salubres, nuculis Pini sativæ non multùm minores, quarum usus inter bellaria, cibosque, Russis est familiarissimus, ex quibus quoque iidem exprimere Oleum dulce, quamvis citò rancescens, nôrunt. Cædant igitur Poloni ligna, eliciant Balsamum, colligant nuculas, in

in salutarès usus vèrtant, & habebunt in Pinastro majorem thesaurum, quàm si ipsam Cedrum Libani possiderent. Idem Pinaster *Bellonii*, PINUS CARPATICA *à Bruckmanno in Specimine Botanico-Medico Arboris Limbowe drewo* denominatur, estque illi odorem spargens. Olibano vel Thuris Gummi odorato æmulum, aspectus amæniſſimi, conifera, resinifera, in altitudinem assurgens notabilem, lata, ramorum perpetuò viridantium expansione, & umbra recreans, extrinsecùs cortice inæquali, rugoso, squamoso, puniceo tecta, intus trunco medulloso, foliis acutis & pungentibus, fructus conis Pini similes, sed edulibus nucleis gravidos ferens, qui accedunt ad Pineolos Italorum. Cedri speciem esse, vel Cedro saltem cognatam, *Belius in Prodromo Hung.* existimat, ast multa, quæ Botanographi de Cedro Libani montis memorant, non concordant, cum ista planta. Cum Cedro hoc tantùm commune habet, quòd lignum ejus putredinem, cariem verminosam tinearum, aliorumque lignivomorum insectorum morsus non sentiat. Extra Carpati montes saxosos posita arescit, in nativo solo fundit abundanter, præter resinam, Oleum resinosum, vel spontè, vel post vulnus inflictum. Resina commendatur in affectibus scorbuticis, & aliis, Balsamum Hungaricum, ex Libano, vel Oleum Carpaticum ex Libano, vocatur à Germanis Oel, à Slavis *Oleiek Limbowy*, & hoc quadruplex est, primum nativum, quod spontè ex ramorum apicibus exsudat, & in appensa vasa vitrea defluit, Oleis aliis excellentius, secundum destillatum, tertium expressum, quartum coctum, quod est album, pellucidum, fluidum, odoris Carvi, sed longè gratioris. Dosis pro diversitate ætatis, sexus, & morbi, variat, non facilè autem decem, aut duodecim guttulæ assumuntur. Virtutes ejusdem Olei *à Christiano de Hortis* inventore, encomiis magnis extolluntur, adhibetur contra dolores capitis, tollit affectus aurium, si aliquot guttæ illis immittantur, valet contra febres calidas, oppressiones cordis, si manè & vesperi sumantur guttæ duæ usque ad novem, contra dolores lateris,

&

& ſpinæ dorſi, ſi aliquot guttæ in aqua vitæ dentur, & corpus eisdem inungatur; contra calculum, præmiſſa purgatione, contra putredinem dentium, antiqua vulnera, & nova ſanat, ſi per introſumptionem, & applicationem externam curentur, &c. Præſtantius eſt hoc Balſamum ex Libano, Balſamo Carpatico de Frutice Krum Holtz dicto. Circumforanei in ſuis ſchedulis ſequentes vires Olei iſtius recitant: multùm juvat contra vertiginem capitis, ſi vesperi tempora inungantur, proficuum contra ſurditatem, & aurium tinnitum, ſi guttatim immittatur, utile contra calores internos, cordis deliquium & palpitationem, ſi manè & vesperi guttæ quatuor ſumantur in vino. Succinum Carpaticum, putat *idem Bruckmann*, nihil aliud eſſe, quàm reſinam ejusdem arboris puram, ſponte natam & deciduam, quæ tractu temporis, ſolis ardore frigorisque vi accedente, in duritiem Succino Maris Balthici æqualem abit. Plura *à Reimann in Tractatu de Succino eodem* proponuntur. Pinaſter *Bellonii* crescit copiosè etiam in *Permia*, & *Worchotunce*, montibus, item ad *Kedrowke* fluvium, Sagaciſſimi Luſtratoris *Meſſerſchmidt* Regionum earum, aliarumque plurimarum, per annos octo, teſtimoniô. Reperitur in *Petzora* fines ſuos extendente ad Mare Glaciale, inquit *Guagninus in Deſcriptione Moſchoviæ*, qui eam arborem Cedrum denominavit, ſub eodem nomine, ſcilicet Germanico Ceder, breviter meminit ejusdem arboris craſſæ in Siberia Strahlenberg, quæ in *Kamtſchacka* eſt parva, ſed multos proferens conos. Apud nos ſpectatur in petris ſublimibus, præruptis, difficillimè acceſſibilibus Pokutiæ, *Maniewo* pagum versùs, qui milliaribus aliquot diſtat à Civitate Stanislawovia, item circa villam *Zielona*, Monaſterium S. Baſilii *Skit* vocatum, &c. præterea non procul à Carpaticis lacubus quinque diſtantibus *à Nowytarg* Oppido, tribus vel quatuor milliaribus. Altitudo illius eſt talis, qualis Pini ſylveſtris, aut Abietis, craſſitudo unius orgyiæ, lignum inclinans ad colorem flavum; aſſeres ſerrando facti, in loculos ſepulchrales, armaria, ſcrinia, &c. efformantur, in ſcriniis veſtimenta, pelles ferarum, à tineis non corrumpuntur,

XXVII.

XXVII. PINASTER *Bellonii de Arboribus Coniferis*, Pinus montana tertia *Bauhini*, Pinus humilis, repens Alpina. Pinus ſylveſtris humilior *Mugho* dicta, Pinaſter pumilio, Frutex Carpaticus, Lignum curvum ſive falcatum, eſt enim inſtar falcis meſſoriæ incurvatæ, Germ. Krum Holtz, Slavis *Koſodrewina*, *Krempulec*, eſt *Bruckmanno in Specimine Botanico-Medico ejusdem Plantæ*, frutex coniferus & reſinoſus, ramos repentes penes terram infra, & ſupra rupes, ac gramina protrudens. Hi rami vel ſola manu contorti egregium oleum reſinoſum ſtatim fundunt. In altitudinem parùm aſſurgit, rariſſimè ſtipes accedit ad orgyiæ magnitudinem, cortex non differt rugoſitate & ſcabritie à Pini, vel Abietis cruſta, folia tenuia, inſtar Abietis, aut Pini, rigida, ſemper virentia, fructus ſquamoſus, compactus, durior, non major conô laricêo, ſub cujus ſquamis, nuclei bini minores delitescunt, avibus in autumno in prædam veniunt. Floret menſibus Majo & Junio, ſtrobilos maturos, in Septembri, & Octobri, profert. Lignum cum cortice, virtute ſua diuretica, Nephriticum lignum ſuperat longè, affectibus renum & veſicæ doloroſis adfert medelam. Cum vino generoſo decoquitur ad potandum, locò alius decòcti nephritici porrigitur, pollet ſale volatili, oleoſo & ſulphuroſo. Cineres egregium diureticum & diaphoreticum conſtituunt cum vino optimo, in hydrope exhibitum. Spiritus præparatus, externè tumorum duritiem reſolvit ſola iunctione, affectus ſpasmodicos, dolores nephriticos, & podagricos, ſedat, ac lenit. Oleum fruticis hujus vocatur Balſamum Carpaticum, Hungaricum, à patria, conſiſtentia oleoſa, & virtute egregia balſamica, Germ. Krum-Holtz-Oel, Slavis *Oleiek Koſodrewinowy*, per Hungariam magnis encomiis circumfertur, Viennam Auſtriæ deportatur, Germaniæ cæpit innotescere. Nativum Oleum præſtantiſſimum tempore verno guttatim delabitur in vitra alligata, & bene clauſa, ne pars ſpirituoſa in auras evolet. Oleum alterum dictum expreſſum, ex ſciſſis apicibus ramorum oleoſis, junioribus, viridibus, & foliis ſubjectis prælo paratur,

magis crassum, quàm nativum, quod pellucidum & coloris aurei existit, virtute tamen à nativo nihil recedit. Communissimum, & quod venale circumportatur, est coctum, longè minorum virtutum, & efficaciæ, quàm duo antecedentia. Arte rudi id parant agrestes, ramulos enim tantùm simul cum foliis in frusta concisos, aquâ additâ, ollæ indunt, & ad aliquot horas, pro meliori extractione, effervescere subditis ignibus sinunt, postea Oleum supernatans pro usu asservant. Quartum Oleum est destillatum, pellucidum, & ad albedinem vergens, vilius nativo, & expresso. Optimum est pellucidum, ad aureum colorem inclinans, fluidum, non crassum, flammam derepentè, instar spiritus vini, recipiens, & se celerrimè consumens, saporem balsamicum gratum, per aliquot horas in ore faucibusque conservans, odorem fermè habens Olei baccarum Juniperi. Destillatum, & coctum facilè crassescit, dulcedinem amittit, ac amarescit, præsertim resinâ lariceâ vitiatum. Parantur Olea dicta in Comitatibus Scepusienſi & Liptovienſi ab agrestibus. Hactenus *Bruckmannus tradit notitia.* Circamforanei in schedulis porrigunt sequentia: utile Oleum contra gravem tussim, si manè & vesperi, in vino adusto, guttæ quatuor sumantur, contra pleuritidem si eodem ungaris, contra paralysim, contra motus convulsivos, spinæ dorsi dolores, spasmum, & nervos læsos. Idem Pinaster fruticescens, *In Ephemerid. sive Observat. Medico-Physicis Academiæ Leopold. Nat. Curios. Centuriâ X.* traditur in Carpaticis Montibus crescere, caudice, ramisque distortis, foliis quinis (hæc est nota characteristica) ex uno tubulo seu centro, procedentibus, cortice rugoso & nodoso, estque species quædam Pinastri *Tournefortii* ignoti. Sensu verò *Breynii*, & aliorum, solo loco natalium & brevi statura differt à Pinastro *Bellonii*, nam hæc arbor in secunda depressiore regione, frutex autem in tertia regione, teste *Bruckmanno*, nascitur, quæ altitudo impedit, ut in excelsum excrescat, sed humilis semper remaneat. Provenit ad Stagna quinque in Carpato & alibi, in monte dicto *Babia gora*, in monte

Pilsko

Pilsko (Jelesniam versùs) dividente Minorem Poloniam à Comitatu Arvensi.

XXVIII. PINUS SYLVESTRIS *C. B.* Pinus montana prima *Lobelii*, Pinaster *Tragi & Dodonæi*, Germ. Fichte, Fichten-Baum, Polon. *Sosna lesna, borowa, choyka*, excelsior cæteris, sativæ ferè similis, fructus sunt strobili breviores & crassiores, quorum squamis interjecta semina oblonga, folia constanter gemella, ex una vagina prodeuntia, longa, acuiformia, multò quàm Pini sativæ crassiora, & duriora. In Anglia non provenit, teste *Leigh in Hist. Natur. Lancastriæ*, apud nos frequentissima. Lignum durabile est in aquis, atque ob id ad tubos, in aquarum ductibus expetitur. PINUS SYLVESTRIS MONTANA ALTERA *Jonstoni*, quæ caudice est nullo, sed ramos à radice humotenus fundit, qui humi repunt. Fructus primæ similis, sed paulò vegetior, & resinosior. PINASTER *C. Bauhino & Jonstono*, nihil est aliud, quàm Pinus sylvestris miræ altitudinis, & à medio ramosa, sicuti Pinus in vertice, copiosioremque Pino dans resinam. PICEA *C. B.* est Pinus minor, pinguior, folium tenuius, conum breviorem, horridiorem, ac magis resinum emittens. Pinetum, Polon. *Sosnina, Sosnowy las, bor*, Pinetum novellum, vel Pini nondum adultæ, Pol. *Choina, Sosnki, Choyki.*

XXIX. POMUS seu Malus sylvestris, Germ. Wilder Apfel-Baum, Polon. *Jabłoń lesna*, plura poma producit, quàm domestica, sed minora & rotundiora, cum cortice tenui, pediculo longo. POPULUS ALBA FOLIIS MAJORIBUS *C. B.* Populus latifolia, Farfarus nonnullorum, Germanis Weisser Pappelbaum, Pol. *Topola biała*, de ea *Dodonæus in Hist. Stirpium*, ita ait: in altitudinem assurgit, superiùs ramosa, caudicis cortex lævis, ramusculorum albicans, lignum candidum, facilè finditur, folia lata, incisa, angulosa, superiore parte glabra, virentia, aversa verò albida, ac lanuginosa, juli obloogi, papposi, initiô purpurascentes. Amat loca aquosa & palustria, copiosa in Regno nostro, ligni materies candidissima, levissima, à tornatoribus, aliisque artificibus

expetita. De Populo alba præfata, *Weiſsmannus in Obſervat. XCI. inſerta Actis Academiæ Cæſareæ Leopoldino-Carolinæ, Naturæ Curioſorum, in Volumine Tertio,* ponit ſequentia: tempore veris protrudit julos colore puniceo præditos, qui collecti, & radiis ſolaribus expoſiti, promunt elegans ſulfur vegetabile, coloris aurantii, ex quo varia medicamenta ad debellandum ſcorbutum præparari poſſunt, e. g. tinctura quædam cum ſale alcalino, & ſpiritu vini. In oculis Populi latitat balſamum illud nobile, nulli viribus ſecundum, quod initiò veris, in apice illorum conſpicitur, & mediante inſtrumento ligneo abradi vel colligi poteſt, colore flammeo, odore ſuavi, ſapore amaro præditum, quod ſtatim in apricum venit, ſi oculi inter digitos premuntur, illico liquorem iſtum balſamicum emittunt, qui digitis adhæret. Copioſius balſamum iſtud pretioſum acquiretur, ſi gemmæ ſeu oculi in aqua fontana coquuntur, ferventes ſacculo injiciuntur, & prælo exprimuntur. Oculi Populi cocti cum axungia porcina conſtituunt unguentum populeum, cum butyro verò majali ſi coctio peragitur, emergit butyrum balſamicum etiam internè egregios effectus morbis pectoris præſtans, externè verò ſi illinitur curat tineam, ſerpiginem, & alios cutis morbos à ſalibus ſcorbuticis provenientes. POPULUS ALBA FOLIIS MINORIBUS *I. B. & Lobelii in Iconibus pag.* 193. Caſſubiis *Białe drzewo,* hæc arbor, inquit *Rajus in Hiſtoria Plantarum,* non aliter fere quàm foliorum parvitate, à Populo prima differt. Occupabant olim locum, Populi ejusmodi, proceræ, craſſæ, quaſi calce conſperſæ, non procul à pago *Oſtrowo* Caſſubiæ, ſed ſunt, ſub tempus Svetici belli, exciſæ, una nunc è trunco producit ramos. POPULUS NIGRA *C. B.* Albarus *Crescentii,* Germ. Schwartzer Pappel-Baum, Polon. *Topola czarna, Oſina, Oficzina, Oſika,* proceritate non eſt inferior Populô albâ latifoliâ, ſubinde, inquit *Dodonæus,* excelſior, frequenter ramoſior, cortex lævis ſimiliter eſt, ſed ligni materia durior, minùs albida, nervoſior, ac difficiliùs finditur. Et *Rajo in Hiſtoria Plantarum,* eſt cortice lævi exalbido, & incano ob-

obducta, ramuli potissimùm albicant, materia dura, pallescente, ac minùs albæ, minusque fissili, quàm Populi albæ, radiees profundiores quàm in alba, antequam comparent folia, oculos protrudit mucronatos, odorato, luteo, ac pingui succo prægnantes. Folia hederaceis similia, sed minùs crassa, ex rotundo mucronata, serrata, atro virore splendentia, longis pediculis appensa producit, & quasi julos, in longo racemo coacervatos, longis pediculis appensos. POPULUS TREMULA *Dodonæi*, non multò minùs, quàm priores excelsa, cortex & ligni materies, ad Populi nigræ similitudinem accedunt, juli magis nigri, ac longiores, folia quoque magis atra, ac duriora, subrotunda, in marginibus profundè incisa, quæ è longioribus pediculis dependentia, continuò fere moventur, ac inter se collisa crepitant, cælo etiam tranquillo ac sudo. Radices hujus arboris firmiores, profundiùs quàm albæ descendunt. Eadem Populus tremula à quibusdam cognominata, existimatur Lybica *à Plinio* dicta, *à Gaza* Populus montana. Annumeratur *ab Hermanno* arboribus lanigeris, etenim tempore veris, julos profert, qui per maturitarem decidentes formam lanæ habent, & si rectè tractentur, in fila optimè trahi possunt. POPULUS TREMULA HUMILIS, Serotina, *Helwingii in Flora Quasi-modo-genita Prussiæ*, nunquam julos producens, folia circa Julii finem explicantur, ipsa humilis manet, & fruticosa.

XXX. PRUNUS SYLVESTRIS *J. B.* Prunus spininosa *Palladii*, Spodia *Theophrasti*, Spinus *Servii*, Germ. Schlechen-Dorn, Pol. *Tarn*, *Tarnina*, *Tarnosliwka*, est frutex habens ramos tenues, spinosos, fructus in autumno maturos atrocæruleos, cum viridi intus pulpa, parvo officulo, insigni adstrictiône præditos, Acacia Germanica, Agriococumela, Pruneola vocatos, (qui Germ. Schlechens-Dorn-Beeren, Pol. *Taraki*) interdum in racemos non exiguos exerescentes, si fuerint frixi in saccharo, remedium præstans contra dysenteriam adferentes. PYRUS SYLVESTRIS *C. B.* Pyraster *Ruellii*, Germ. Wilder Birn-Baum, Pol. *Gruszka lesna*, horrescit

ſpinis, ſed quas, culturâ adhibitâ, translatus deponit, caudex ejus rimoſus, cortex hiulcus, ex contuſis fructibus, aquâ affusâ, paratur potus.

XXXI. QUERCUS VULGARIS *Lobelii*, Quercus latifolia mas, brevi pediculo *C. B.* Germ. Eiche-Baum, Pol. *Dąb*, habet flores imperfectos, ſtamineos, ex julis pendentes, à fructibus ſejunctos, fructus in glandibus notiſſimos. Donata eſt hæc arbor ſingularibus multis, magnitudine, ætate, viribus, accidentibus variis, opinione *Sommerhoff in Lexico Pharmaceutico*, poſſet Lignum Sanctum Germanicum nominari. Magnitudinem conſiderans *Aldrovandus in Dendrologia*, ait, ſic Quercus vaſtæ reperiuntur in Regionibus Septentrionalibus, ut videantur quodammodò invidere majoribus elevationibus Poli ſuas altitudines. In Oppido olim dicto *Posok*, nunc *Janow* Palatinatûs Siradienſis, Quercus tam ampla ſteterat, ut cavum exeſæ perſonas decem aſſidentes menſæ rotundæ, famulosque circumeuntes, obſequiorum causâ, complecteretur. In pago *Klosowo* Palatinatûs Pomeraniæ, circumferentia Quercûs erat tredecim ulnarum, non minor & alibi ſæpiùs ſpectatur, nam tantæ vaſtitatis, ut eam capere nequeat complexus aliquot hominum extremis manibus ſe contingentium. Ex Quercu una navigium elaboratum, *Suhaleia* vernaculè, in Poleſia Polona dictum, pondera trecenta Tabaci, quorum unumquodque erat librarum triginta ſeptem, Pripetio fluvio, & Boryſthene, Kioviæ intulit. Ibidem ſimilia navigia orgyias quatuordecim vel quindecim adæquant longitudine, cum latitudine proportionata, quæ currum, unà cum equis duobus capit, manente ſpatio relicto vectoribus. QUERCUS CUM LONGO PEDICULO *C. B.* vulgò Florida dicitur præcox, glandibus cum capulis onerata, cujus *Gottſchedius in Flora Pruſſica* meminit. QUERCUS SEROTINA, procera foliis non deciduis, Quercus latifolia perpetuò virens *C. B.* hæc folia per hyemem retinet, julos, flores & glandes profert, ſub finem Julii novella folia explicat. QUERCUS SEROTINA humilis, foliis non deciduis, julis,

julis, & glandibus carens, hujus ſupinæ foliorum parti pilulæ adnascuntur, uvas quoque radicum fibris ſub terra adhærentes, fungos, aliaque excrementa paſſim producit, in locis arenoſis. Quercus gallifera ſeu Robur *C. B.* non eſt noſtri ſoli.

XXXII. RHAMNUS, Salicis folio anguſto, fructu vesco *C. B.* Rhamnus *Cluſii*, *Dioſcoridis* I. *Matthioli* II. Oleaſter Germanicus *Cordi*, Spina alba *Dalecampii*, Germ. Weiſſe Stech-Dorn, Weyden-Dorn, Sand-Dorn, Pol. *Bodłak*, *Bodzieniec*, Caſſubiis *Swiedwina*, ſecundùm deſcriptionem *Raji in Hiſtoria Plantarum*, eſt frutex tricubitalis, in quibusdam locis arborescens, ramis rigidis, frangi contumacibus, Oleæ foliis, ſed anguſtioribus, ſupernè viridibus, inferiùs candicantibus, floſculi totis ramis adnascuntur, ad foliorum exortus, herbacei, muscoſi, quibus ſuccedunt baccæ ſeu acini rotunditate & magnitudine Myrti, in ſe numeroſa congerie racematim compacti, ac ramis arctè applicati, affixi perexigua petioli appendice, colore flavescente ac luteo, maturitate crocato, ſapore acido ac peracerbo, unico intus nucleo, aut vinaceo, non lapidoſo, ut Corni, ſed dentibus facilè atterendo. Radice nititur multifida, diffuſa, totus autem frutex pulvere reſperſus videtur: Provenit in arenoſis maris littoribus, in maritimis plurimis locis Galliæ, Hollandiæ, Italiæ, Flandriæ, in Germania ad Lyeum, ad Rhodamum, Danubium, Rhenum, & alibi. Floret in Junio, poſt autumnum baccas maturat, de viribus nihil certi traditur. A *Lemnio* affatim ſativa elicitur, ac febricitantibus ſitim compescunt; folia igni ſacro & ulceribus illinuntur. Idem Rhamnus fruticescens, ad tres, aut quatuor ulnas in altum protenſus crescit in Caſſubia ad Mare Balthicum, ſæpe illius fluctibus, occupando, ad quartam partem milliaris, fundum pagi *Tupadła* ſpectantis ad Capitaneatum ſeu Præfecturam Pucenſem, item ad Lacum Haf, *Gottſchedio in Flora Pruſſica*, teſte. Lignum eſt inclinans ad colorem luteum, ſolidiſſimum, durabile, rami baccas numeroſas ferentes, ſpinis rectis, oblongis, acutis armati. Coronam

nam Christo Domino confectam, ex ejusdem arboris ramis, *Emmanuel Sa*, *Bellonius*, *Lemnius*, cæterique existimárunt. RUBUS IDÆUS SPINOSUS *C. B.* Rubus Idæus fructu rubro *J. B.* Rubus Idæus spinis exilibus *Cordi*, Germ. Hind-Beer-Strauch, Pol. *Krzak Malinowy*, est frutex *Tragi*, virgas, folia, & spinas, habens teneriores, ac inter omnia genera Rubi, innocentissimas, multò enim clementiùs pungunt. Mora Rubi Idæi, Germ. Hind-Beeren, Pol. *Maliny*, concava dulcia, jucundi odoris, quæ in Augusto maturescunt, intrà paucos dies concipiunt vermiculos, aqua calculosis est levamento si cochlearis unius dosi, cum cochlearibus quatuor vini, sumatur. Nascitur passim hic Rubus, inquit *Jonstonus*, in Poloniæ sylvis. Crescit Rubus Idæus & cum fructu coloris albi. RUBUS FRUCTU NIGRO *Tournefortii*, Rubus repens fructu cæsio *C. B.* Rubus major fructu nigro *J. B.* Rubus Batus *Sobelii*, Humirubus *Herbar.* Germ. Brom-Beer-Strauch, Pol. *Krzak Jezynowy*, virgultis retrorsum reflexis ad terram inclinans, reptatu propagationem acquirens, folia hirta aculeata ferens, fructus nigri, dulces, cum acore grato, Germanis Schwartze Brom-Beeren, in Prussia Blaue Krassel-Beeren, Pol. *Jezyny*, *Ostrężyny*, aristis quibusdam asperiusculi, refrigerantes, & siccantes, virgæ spinis & aculeis vestitæ, in dumetis, &c. frequentissimæ. RUBUS SAXATILIS ALPINUS *Clusii*, Rubus Alpinus humilis *Gesneri in Hortis*, Rubus minimus *Thalii*, Chamærubus saxatilis *C. B.* Germ. Kleine Stein-Beere, planta antiscorbutica provenit, *Gottschedio in Flora Prussica*, ad Mare Balthicum, in Curlandicæ Neringiæ montibus.

XXXIII. SABINA STERILIS *Ursini*, Pol. *Sawina*, *Sabina nieplodna*, *Nietota*, proveniens in Monte vetulæ ultra Cracoviam, contra equorum morbum vernaculè *Zetzy* adhibetur cum avena. SALIX PROCERA *Dodonæi*, Salix perticalis *Cordi*, Salix alba arborescens *C. B.* Germ. Weisse Weide, Pol. *Wierzba*, foliis oblongis, in acutum tendentibus, superiore parte virentibus ac glabris, adversa parte, lanugine molli,

molli & alba obsitis, ramusculorum cortex albidus, lanosus ut plurimùm est. SALIX CAPREA ROTUNDIFOLIA *Tabernæmontani*, Salix latifolia rotunda *C. B.* folia crenis destituta supernè virent, infernè canescunt, flores luteoli odorati, apibus grati, quibus succedit longum nucamentum, cum semine in pappos abiens. SALIX RUBENS *C. B.* Salix Sabina seu Amerina *Thalii*, Salix minor viminalis *Dodonæi*, Germ. Gold-Weide, cortex ex fusco splendet, folia viridia & serrata, lentitiæ est sequacis, calathis, cistellis, ac canistris aptissima. Eadem forsan est Salix Græca flavi coloris *Columellæ*, Auritalix *Officinarum*, à Polonis *Złotowierzba* appellata. SALIX CAPREA LATIFOLIA *Tabernæmontani*, Salix folio ex rotunditate acuminato *C. B.* crescit sparsim in sylvis nonnullis. SALIX LATIFOLIA sylvestris *Tabernæmontani & Bauhini*, Germ. Breite Seil-Weide, foliis crenatis, oblongis, acuminatis, suprà viridibus, infrà modò ex albidis, modò virentibus, corbibus pabulatoriis, messoriis, fiscellis, nassis, expetita. SALIX ANGUSTIFOLIA sylvestris, foliis crenatis, supernè ex virore splendentibus, infernè candicantibus. SALIX FRAGILIS LATIFOLIA *C. B.* albicant folia, ac iis quandoque innascuntur vesiculæ eruculis plenæ, virgulta levi manu franguntur. SALIX RUBRA foliis latioribus, crenatis, obtusis, prona parte atro-virentibus, supinâ cinereis, ad corbes inutilis. SALIX PUMILA ANGUSTIFOLIA I. *Clusii*, in parte una canescunt folia, in altera virent, vesiculas sæpe ferunt. SALIX PUMILA AQUATICA tenui vimine *Cnapii*, seu Siler aquaticum *Junii*, à Polonis etiam *Witwina*, *Kozlina*, *Mokicina*, denominatur, crescit ad flumina, in arenosis eluvionibus, parantur ex viminibus sportæ & sportulæ. SALIX PUMILA REPENS ad margines pratorum, & ripas longè latèque serpendo se propagat. SALIX LATIFOLIA MONTANA *Schwenckfeldii*, Germ. Seil-Weide, verno tempore emittit florem luteum, odoratum, quô apes delectantur, fragilis est, provenit in saltibus montium. Ex floribus Oleum saligneum paratur in Officinis, ad æstum febrium

temperandum. SALIX LATIFOLIA ACUTA PRATENSIS *Schwenckfeldii*, seu Salix cinerea, Germ. Haar-Weide, pratis humidis montium familiaris, ob lentorem doliariis conveniens. Flores lutei odorati, aqua florum exacuit visum, scabiem capitis sanat. Præter Salices enumeratas datur Salix folio crenato luteo *C. B.* Salix folio longissimo C. B. Salix rotunda latifolia C. B. Salix subrotundo argenteo folio C. B. Salix pumila brevi, angusto, & incano folio C. B. Salix oblongo Salviæ folio. Species varias Salicum *Dodonæus & Tragus in Historia Stirpium*, *J. Bauhinus in Historia Plantarum Universali* enumerat.

XXXIV. SAMBUCUS fructu in umbella nigro C. B. Sambucus campestris, Germ. Holder-Baum, Hollunder, Fleder, Pol. *Bez polny*, cortex illius bimulus, sursùm versùs abrasus, lacte decoctus ac potus, vomitu purgat, deorsum rasus, per alvum deiicit noxia, non absque molestia. Circa Oppida, pagos, sepes est frequens, facilè excavatur medullam fungosam habens. SAMBUCUS RUBRA C. B. Sambucus racemosa acinis rubris J. B. Sambucus folio laciniosо *Dodonæi*. Sambucus Cervina *Tabernæm.* Sambucus montana *Ursini*, Pol. *Bez lesny groniſty czerwony*, nascitur circa Varsaviam, *Erndtel* teste. Sambucus montana flore luteo, fructu coccineo, in Carpatiis montibus provenit. *Collectanea Naturæ & Medic. Vratislavienſia.* Sambucus aquatica J. B. Germ. Kalinen-Baum, Polon. *Kalina*, sub Lycostaphylo supra, num. XXII. est proposita.

XXXV. SORBUS AUCUPALIS *Ursini*, Sorbus sylvestris Alpina *Lobelii*, Germ. Quetzen-Baum, Pol. *Jarzębina lesna*, baccæ rusticis sunt in usu calculo expellendo, septem vel plures, sæpiùs sumuntur. SORBUS TORMINALIS J. B. *Lobelii in Iconibus Plantarum.* Cratægus *Theophrasti*, Germ. Eltzen-Baum, Sperwer-Baum, Areßel, Adlasber, Ungaris *Barkoczafa*, Pol. *Brekinia*, arbor procera, non procul à summitate ramosa, differens à Sorbo aucuparia, folia, Sambuci aquaticæ folia æmulantur, acutiùs tamen incisa atque serrata, pedis anse-

anſerini formam repræſentantia, excurrente in ſingulos angulos nervo, utrinque pænè glabra. Materies ſolida, lutea, Sorba ſeu baccæ rotundæ, rubræ, dum perveniunt ad maturitatem in autumno, acidulo, grato ſapore præditæ, à pueris multùm expetitæ. Frequens eſt hæc Sorbus in Helvetia, Auſtria, Pannonia, nascitur ut plurimùm in locis montanis, ſolo pingui, interdum ſaxoſo, transplantata in hortos, nullo negotio provenit. Occupat apud nos locum in Sylva Borkovienſi Monaſterii Pelplinenſis, & in Capitaneatu Oſiecenſi Pruſſico, & prope pagum *Osieki* in Caſſubia traditur eſſe. Baccæ adſtringentes alvum, contra dyſenteriam, tormina, adferentes remedium. SPINA INFECTORIA *Matthioli*, Spina cervina *Cordi*, Rhamnus Catharticus C. B. Rhamnus ſolutivus *Dodonæi*, Germ. Creutz-Holtz, Creutz-Beere, Weegdorn-Beere, Pol. *Szaklak*, frutex eſt, folio fere Pruni, flores hinc inde circa folia exeunt ochroleuci colore. Syrupus ex baccarum ſucco in arthritide, cachezia, hydrope, paralyſi, commendabilis. Eædem baccæ virides ac immaturæ croceum colorem præbent, maturæ & nigræ, cum modico aluminis, in mortario piſtilli circumactu tritæ, ſaturatè viridem, qui Safft-grün nominatur. Crescit in ſepibus, in ſylvis, in locis incultis. SPINA *Plinii*, ſeu Vepres, Sentis, Dumus, Rubus, Germ. Dorner, Pol. *Ciernie*, frutex obvius in Provinciis variis, in Litvana terra non excrescit, quia, inquit *Tylkowski Phyſica Parte 4. de Ortu & Interitu*, frigidior eſt, Spinæ verò calore egent, qui illarum humidum adurat, & induret. SPINUS ſeu Prunus ſylveſtris *Matthioli*, Prunus ſpinifera *Palladii*, Germ. Wilder Pflaum-Baum, Schlehen-Dorn, Pol. *Tarn*, *Tarkowe drzewko*, *Tarnosliwka*, *Krzak cierniowy na ktorym Tarki*, eſt frutex agreſtium prunorum ſpinis refertus. Fructus illius vocantur Pruna ſylveſtria, vel Pruna Spini, hæc ſi matura decerpantur, exſiccentur, in pulverem redigantur, cum Sorbi aucupalis fructibus Sorba dictis, cum Roſæ ſylveſtris, ſeu Roſæ caninæ fructibus rubris, pulvis hic triplex commixtus, ſumptusque in quantitate extremitatem cultri occu-

pante, efficaciſſimum medicamentum eſt contra Calculum, ſi bis, aut ter per hebdomadam, vel pluries ſumatur in potu aliquo. Dicta de tali pulvere probavit experientia. STAPHYLODENDRON *Plinii* & J. B. Piſtacia ſylveſtris *Urſini*, Nux veſicaria *Anguillara*, Germ. Pimpernauß-Staude, Pol. *Kłokoczka*, *Kłokocina*, densè frutificat, gaudet humidis locis, putatur animalia venenata arcere, ex ejus fructu orbiculi precatorii fiunt.

XXXVI. TAMARISCUS *Officinarum*, Tamarix *Tabernæmontani*, Myrica J. B. Germ. Tamariſchen-Staude, Polon. *Tamaryszek*, hic frutex *Dodonæo* non magnus eſt, caudices lignoſos non eroſos, complures ramulos, folia frequentia, parva, oblonga, teretia ac tenuia, quaſi lineolis transverſis & obliquis ſive inciſuris ſuperficietenùs exasperata, indiviſa tamen habens, flores muscoſi, numeroſi, albidi, aut ex albido purpurascentes, tenuium ſurculorum faſtigia occupant, quibus ſemen ſuccedit pappoſum. Fructus adſtringit, ideo cruentis excretionibus, cæliacis, profluviis alvi, regio morbo, lienoſis, odontalgiæ phthiriaſi, ſenſu *Dioscoridis*, prodeſt. Lignum tanquam ſingulare remedium ad omnes ſplenis effectus commendatur. Multi plus ſpei ponunt in corticibus ejusdem arboris. Cortices flavi venduntur in Officinis, decoctum ex ligno curat paralyſim, radix prodeſt in chronicis & hypocondriacis morbis. Vaſa ex lignis recentibus præparata ſi duodecim horarum ſpatio contineant aliquem potum, ille per os, & alvum, purgat.

XXXVII. TAVOLA à vocabulo Polonico *Tawuła*, Ruſſico *Tawołha*, Siberienſi in Birgiſia *Tawalga*, eſt frutex viri ſtaturam rarò ſuperans, cortice rubente, flore roſaceo albo, partim etiam pallidè rubeo, lignum ſolidum, projectum in aquam non ſupernatans, ſed fundum petens. Provenit in Ukraina ſubjecta Polono dominio, non procul à *Boh*, & *Sinawoda*, Ruſſis *Siniucha*, fluviis, in loco *Tawołhana bałka* nuncupato. Faſciculi plurimi Tavolæ allati ſunt in Poloniam à militibus redeuntibus ex Ukraina, anno 1703. poſt diſſimi-

limitationem peractam cum Othomanica Porta, Pactorum vigore.

XXXVIII. TAXUS *Plinii*, Milos *Theophrasti*, Germ. Eiben-Baum, Pol. *Cis*, arbor mediocris crassitudinis, circa verticem ramosa, reliqua parte enodis, semper virens, materies partim rubens, partim ex albo flavescens, folia Abieti & Piceæ foliis similia, sed ab utrisque distincta. Benignior in Regno nostro, quàm in Arcadia, & Hispania, in Belgio etiam minùs pernicioſa, & umbra caret periculo, in Anglia baccæ innoxiæ *Lobelio*, & non sub umbra tantùm arboris, verùm & sub ejus ramis, *Gorardus* aliquoties dormiviſſe se narrat; quapropter infert *Rajus in Dendrologia*, vel falsa esse, quæ de Taxo traduntur à veteribus, vel aëris constitutio, & conditio soli, hanc in ejus qualitatibus diversitatem efficiunt. Taxus Carpatica, apud *Belium in Prodromo Hungariæ*, non hominibus, sed insectis, atque his potissimùm venenatis exitiosa, Serpentes enim & Viperas, si umbram ejus subiverint, enecat, hominibus amænum, tutumque præbet perfugium, ut non modò umbrâ illius refocillari, sed somnum etiam, securi ab insectorum morsibus, capere possint. Baccæ coloris corallini, in Silesia, *Schwenckfeldio* teste, sine detrimento sanitatis, comeduntur à pueris. Lignum solidum, & ferendæ ætati maximè idoneum est, nam pluribus sæculis illud durasse accepimùs. Taxus, ait *Baconus in Sylva Sylvarum*, constat valido & flexili ligno, arcubus id probantibus, qui ex eo fiunt. Profert Taxos Palatinatus Sandomirienſis, circa *Szydłowiec* Oppidum, circa *Jezow*, *Stany*, *Gorzelnia*, *Kochanowe*, &c. pagos, & ad Montem S. Crucis. Non caret eadem arbore Palatinatus Cracovienſis, Siradienſis, Russiæ in Terra Premislienſi, ac Sanocenſi, Palatinatus Pomeraniæ in Capitaneatu Borzechovienſi, Osiecenſi. In Pokutia, Varmia, rasura ligni cum sale à villanis datur pecoribus vulneratis à cane rabido. TILIA, Germ. Linden-Baum, Pol. *Lipa*, in Opere priori, est proposita, cum usu medico. Tilia quomodo inversa plantari queat, ut rami in radices, & radices

in ramos excrescant, *Leeuwenhoek in Arcanis Naturæ detectis* edocet.

XXXIX. VIBURNUM *Matthioli*, Lantana *J. B.* Germ. Schling-Baum, Mehl-Baum, Pol. *Hordowina*, frutex lentus flexibilis, cortex rufus, & quasi pulvere farinaceo conspersus, lignum medullâ (quæ Pol. *Mlecz drzewny*) abundans fere ut Sambucus, baccæ primò virides, secundò rubræ, per maturitatem nigræ, in caudice frondes ubique binæ, æqualiter fermè à se distantes, cum foliis latioribus, itidem binis ex adverso enatis. Spiræon est *Theophrasti* Botanicis peritioribus, inquit *Rajus in Dendrologia*, negat *Jonstonus*. Viburnum *C. B. in Pinace*, alicujus singularis plantæ non est nomen, sed cujusque virgulti, fruticisvè proprium. In fundo pagi *Ormiany*, & alibi in Podolia copiosè colligitur *Hordowina*, crescit similiter ut Frutex *Tragi*, à Germ. Faul-Baum appellatus.

XL. VIRGA SANGUINEA *Ursini*, Virga sanguinea nostras *Cnapii* distinguentis à Virga sanguinea *Plinii*, Germ. Hadig-Staude, Pol. *Swidwa*, *Swidwina*, ex observatione *Dodonæi*, in arborem non excrescit, sed fruticosa permanet, virgæ ejus novellæ geniculatæ sunt, & obscurè purpureò colore rubent, intus medullam albidam ac fungosam habent, caudices vetustiores, ligni materiâ durâ ac osseâ Corno non cedunt.

XLI. VITIS IDÆA foliis subrotundis non crenatis, baccis rubris *C. B.* Vitis Idæa semper virens, fructu rubro *J. B.* humilis est, nec Vite Idæa nigra seu Myrtillo, altior, virgulæ tenues, pauci rami, folia semper virentia, baccæ racemosæ, sapore acido, Vaccinia rubra vocantur, Germ. Rothe Heidel-Beeren, Stein-Beeren, Pol. *Borowki*, *Kamionki*, *Czerwienice*. VITIS IDÆA fructu majore obscurè cæruleo, hi fructus seu baccæ à Pol. *Lochiny* denominantur, in humidis & paludinosis locis proveniunt. Forsitan Vitis Idæa dicta, eadem est cum Vite Idæa palustri *C. B. & Dodonæi*, Vaccinia proferente, quæ Germ. Moß-Beeren, Hinter-Karsau, apud *Gottschedium*. VITIS IDÆA fructu nigricante, Myrtillus Germanica *Tragi*, supra numero XXIII. est exposita.

XLII.

XLII. ULMUS MONTANA *Theophrasti*, Montiulmus *Gaza*, Germ. Ulm-Baum, Rüster-Baum, Polon. *Brzost*, secundùm *Jonstonum*, Ulmis aliis magis latifolia, diffundens se latiùs & altiùs, habens in foliis amplis, asperis, præter serraturas, quasdam lacinias. Adscribit ei *Dodonæus* materiem multò duriorem, ideo ad cochleas, molendinorum rotas, expetitam: & *Helwingio in Flora Quasi-modo-genita*, lignum est durum, robustum, tenax, totum fere medullâ seu optima parte arboris constans, quæ uno ictu per corticem facto statim attingitur, amat loca montana, & sicca. ULMUS SYLVESTRIS *Tabernæmontani*, German. Ilmen-Baum, Pol. *Ilm*, *Ilma*, præfato *Helvingio* fruticosior est Ulmo montana, & medullæ pauciſſimæ, ligno luteo pallido, lenta obsequiosa, ob quam lentitiam, carpentarii curribus, trahis firmandis inservientes circulos varios, aliaque inclinant. Cortex superiùs est crustosus & inæqualis, intus verò lori modo flexilis. In locis humidis, riguis, lutosis, invenitur. ULMUS SYLVESTRIS, aut ei similis, sive Tilia mas aliquorum, Germ. Wiecken, Stein-Linden, Pol. *Wiąz*, secundùm *Helwing*, florem primo vere protrudit, sed paulò majorem, & caulibus productioribus uncialibus insidentem, quibus siliquæ seminiferæ coloris cinerei, pastinacæ semini vix dissimiles succedunt, quorum efformatione simul folia explicantur, habentia per mediam longitudinem, rectum, à tergo magis conspicuum nervum transeuntem. Crescit in locis iisdem, in quibus & Ulmus sylvestris. Addit Botanicus alius, quòd foliis insident folliculi purpurei, oblongi, pisi magnitudine, muscas continentes exiles, quæ apertis iisdem avolant, insunt nonnunquam & vermiculi teretes, ex detracto cortice rustici in Litvania calceos parant. Tantùm genera duo Ulmi *Tragus describit inter Stirpes Germaniæ*, quorum alterum procerius, alterum latiùs se diffundit.

XLIII. UVA ACERBA *Ciceronis*, Grossularia simplici acino & spinosa *C. B.* Grossularia spinosa *Jonstoni*, Uva crispa *Lobelii*, Germ. Christ-Beer-Strauch, Pol. *Agrest*, frutex surculosus

losus est *Tragò*, multis virgis, & adnatis ramulis brachiatus, qui omnes undique spinis exiguis, rectis, acutis, plerumque binis, aut ternis conjunctis horrent, baccæ rotundæ, striatæ, granis multis prægnantes, immaturæ virentes & acidæ, maturæ flavescentes ac dulces, Germ. Christ-Beeren, Pol. *Agrest, Kosmátki, Truskawki.* Succus expressus è baccis Omphacium appellatur, liquidum id obsonium magis, quàm medicina, densum ac in sole concretum medicinis utile, diu durans. Frutices coluntur in hortis, & in sepes efformantur, non desunt in sylvis aliquibus, locisque aliis.

XLIV. VISCUM, Germ. Mistel, Pol. *Jemioła*, est frutex quibusdam arboribus adnasci solitus, virens per totam hyemem. Viscum in Abiete natum *ab Ettmullero* commendatur insigniter in arthritide. In Fraxino Viscum rarius est, & antea vix ab aliquo annotatum, ait *Gottschedius in Flora Prussica.* Viscum Quercinum, Dryos Hypear antiquitùs dictum, maximarum virtutum est Medicis, epilepticos validè juvat. Quercus non procul *à Toddupce* pago Belzensis Palatinatûs, sunt fecundissimæ præfati fruticis. Sylva Dermanensis in Volhinia, Visco Tiliarum extraordinariè abundat. Viscum Pyri sylvestris, cum foliis contusum, & pinguedini caponum, instar emplastri, mistum contracturas sanat. Viscum Corylinum in curanda epilepsia efficax *Ettmullero*, & *Rajo*, unum inter Urbem *Brody*, & Leopolim, in sylvis est decerptum, secundum propè villam *Narajow* Volhyniæ, in Corylo crassiore repertum. Nec opus est, tradunt *Ephemerides Curiosorum Naturæ*, *Ettmullerus*, & *Hoffmannus*, centesimum annum exspectare, ut Corylus Viscum producat. Viscum aucuparium, refert *Dale in Pharm.* è visco querno præparant aucupes, dum baccas tamdiu in aqua coquunt, donec dehiscant, postmodum in mortario contusas, tamdiu aquâ fontanâ lavant, quoad furfures & festucæ prorsùs separentur.

XLV. FRUTICES ad elenchum non deducti, quia Latinô vocabulô à me non donati sequuntur. BAHUN Russorum emittit in Majo flores luteos non ingratè olentes,

in

in Sylvis Pineis Poleſiæ Polonicæ, propè paludes. BERESTKA Ruſſorum eſt frutex à radice ramoſus, ad altitudinem ulnarum duarum nonnunquam aſſurgens, corticem primum pallidum habens, ſecundum rubeum. LELAK Ruſſorum, ſub cortice frutex flavescens, ramos exiguos, folia oblonga producens, formatur in tubulos, per quos attrahitur Tabaci fumus, crescit circa *Złoczow*, *Gołogory*, &c. in locis petroſis Palatinatûs Ruſſiæ.

XLVI. ARBORES SATIVÆ VARIÆ occupant terram noſtram, in hortis. BUXUS, Germ. Bux-Baum, Pol. *Bukszpan*, ſemper virens, lignum durum, & tam ponderoſum habens, ut in aqua ſubſidat. Unus eſt arborescens, alter frutex humilis herbam adæquans in ornamenta hortorum adhibetur. CASTANEA, Germ. Kaſten-Baum, Pol. *Kaßtan*, arbor alta, foliis ſerratis, profert fructus, qui Caſtaneæ nuces vocantur. LIGUSTRUM, Alcanar Officinis, Germ. Reyn-Weide, Pol. *Liguſtr*, *Pteßy zob*, Italis *Olivella*, eſt frutex elatior, crebris virgis lentis, & in ramos diviſis conſtans, floribus Oleæ ſimilibus, ſuaviter olentibus, baccis racematim aggeſtis, ſemine priùs virente, deinde nigro, Turdis majoribus & minoribus grato, refertus. MALUS ARMENIACA, German. Morellen-Baum, Pol. *Morela*, in Boryſthenis Inſulis ſeu terris aqua circumfluis, *Oſtrowy* idiomate patrio dictis, eſt frequentiſſima, profert fructus, pugni magnitudine, qui Techiniam, vulgò Benderum, & Kiliam, in ditione Turcarum, ab Ukrainenſibus deferuntur. MALUS PERSICA, Germ. Perſig-Baum, Pol. *Brzoskwinia*, ibidem producit fructus majores quàm in Polonia. MESPILUS, Germanis Meiſpeln-Baum, Pol. *Niesplik*, auget numerum arborum ſativarum. MORUS, Germ. Maul-Beer-Baum, Pol. *Morwa*, ait *Jonſtonus*, habetur paſſim in hortis Poloniæ. PINUS SATIVA ſeu Pinea, Germ. Zirbel-Baum, Krafft-Nußlein, Pol. *Sosna ſadzona*, *ogrodowa Liuba*, ſtrobilis includens nucleos, qui *pinelli* ab Italis denominati, noſtrarum & aliarum frigidarum regionum non eſt incola, niſi in hortis à frigore bene

defendatur. PRUNUS, Germ. Pflaumen-Baum, Pol. *Sliwa*, excrescens in Volhinia, fructus atro-cæruleos, Pruna Hungarica denominatos submittit pagis *Stobody*, circa Civitatem Moschoviticam *Sumy*, & *Merlo* fluvium positis. SABINA, Germ. Seven-Baum, Pol. *Sawina*, in latum se fundens, virens perpetuò, colitur. Duplex est *I. B. in Historia Plantarum*, baccifera, & sterilis, usus ejus apud *Schroderum*, in asthmate curando, in scabie infantum exsiccanda, in Serpentibus arcendis. SAMBUCUS flore subcæruleo, eoque numeroso, Italica dicta, Pol. *Bez Włoski*, hortos ornat. Ædificaverat *Nicolaus Radzivilius Dux in Olyka*, peregrinus cognominatus, *Mir* Arcem, non sine hortis & pomariis, viis quaquaversùs per milliaria aliquot, ad regulam exactissimè dispositis, fossas à parte utraque, & arbores fructiferas apposuit. *Starowolski in Polonia.* PYRUS procera, Monasterio Zukovienſi, in Prussia vicina, propter antiquitatem, aut ventum validiorem collapsa, dum protensis brachiis attigit terram, radices spontè in ea egit, ramosque quindecim propagavit, qui annis singulis proferunt fructus, repræsentant sylvulam quandam, ad jucundum spectaculum. Edita est *à Rudbeckio Dissertatio Botanico-Physica de Propagatione Plantarum per ramos*, prodiit Liber *Georgii Agricolæ de Multiplicatione Arborum, Fruticum, & Florum.* Ex Gedanensi Emporio, Plantæ hortenses teneræ, fructiferæ, numerosæ, sæpe exportantur navibus onerariis, ad exteras nationes.

XLVII. FUNGI, Calli terræ *Plinii*, Fermenta terræ *Nicandri*, Germ. Schwämme, Pilzken, Pol. *Grzyby*, *Bedłki* dividuntur *à Rajo in Historia Plantarum*, in Terrestres, & Arboreos, Terrestres sunt lamellati, & lamellis carentes, edules alii, sed tamen vescentibus periculosi, lethales alii. Ex semine generari Fungos, ait *Marsilius in Dissertat. de Generatione Fungorum*, nulla videtur ratione probabili asseri, cum nullibi summa adhibita sagacitate in inquirendo, hactenus semen potuerit detegi. Fungi debent suam originem, certæ quorundam corporum putrilagini, quæ calore agitata in fungosa con-

concrescit corpora, vegetabilibus, ex aliqua parte, similia. Etiam *Dillenio in Novis Plantarum Generibus*, Fungus est plantæ genus flore & semine destitutum, ex putredinosa fermentatione ortum, unde à quibusdam terræ ulcus appellatur, tempore humido & pluvioso præcipuè natum, substantiæ plerumque mollis & spongiosæ. Econtrà *Michelius in Novis Plantarum Generibus* asserit, Fungorum semen, multò magis Tuberum adeò exile esse, ut absque vitro optico clarè & distinctè spectari minimè possit. Semina Fungis inesse, etiam *Joh. Porta* affirmat. Species Fungorum varias *Helwing in Supplemento Floræ Prussicæ*, *Oelhafius in Elencho Plant. circa Dantiscum*, *Mentzelius in Lexico Universali*, *Marsilius in Differt. de Generatione Fungorum*, *Van Sterbeck in Theatro Fungorum*, exposuit. *Michelius in Novis Plantarum Generibus*, Species 627. enumeravit, Tabulas 14. iconibus eorum implevit. De propagatione Fungorum per radices, *Buxbaum in Comment. Academiæ Scientiarum Imperialis Petropolitanæ* tractat. FUNGUS POROSUS *J. B.* Fungus Augusti mensis *C. B.* Germ. Stein-Bültze, Pol. *Grzyb*, hic supernè fusci coloris est, infernè candidi, crassiore pediculo, senescens colorem mutat, & infernè ex viridi flavescit, substantia ejus solidior est, quàm in cæteris fungis, siccatur in furno, & servatur per totum annum. In vastioribus sylvis non rarò ad eam molem pervenit, ut galeri æquet peripheriam. Copia insolita Fungorum porosorum, in viciniis Oppidi *Merecz* Litvaniæ, reperitur, ad Palatinatus varios remotos vehitur. FUNGUS PALLIDUS AUTUMNALIS *I. B.* Fungus pileolo lato, orbiculari, flavescente *C. B.* Germ. Reitzcke, Pol. *Rydz*, capitellum inferius striatum habens, succum croceum fundens, prodit circa autumnum, palato fungis cæteris gratior, minusculus delicatus, magnus, vilior, sale conditus reponitur. FUNGUS FAVAGINOSUS *C. B. & Lobelii*, Boletus esculentus, in metam fastigiatus *Tournefortii*, Gallis *Morilles*, Germ. Morcheln, Pol. *Smarz*, hujus prima species, inquit *Erndtel in Viridario Varsaviensi*, est metæ similis, coloris atro-cinerei, Germ. Spitz-Morcheln, secunda

ſpecies pallidior, Germ. Stock-Morcheln, ab aliis dividitur in latiusculum & acuminatum, utriusque figura apud *Mentzelium in Pugillo Rariorum Plantarum*, ſub nomine Fungi poroſi pyramidalis, in metam faſtigiati, ſpectatur. Primo vere, tempore pluvioſo, crescit in locis incultis, pascuis, ſylvis, delectat divites. FUNGUS ALBUS PIPERATUS lacteo ſucco turgens *I. B.* Fungus albus acris *C. B.* Piperitis, Germ. Pfefferling, Pol. *Poddąbek*, rotundus, ſuccum lacteum fundens, ſed vellicantem, inſtar piperis, linguam, esculentus, Quercubus, & Carpinis ſeſe aſſocians. Lac ejus cum Syropo de Althæa ſumptum, urinam ciet, experimentô certô quorundam, & calculum frangit. FUNGUS MAGNUS TOTUS ALBUS, ſine ſucco lacteo, edulis, per ambitum crispatus, aliquando reflexus & inæqualis, *à Bauhino in Hiſt. Fungorum* poſitus, videtur eſſe idem, vel illi congener, qui Polonis *Skrzypiel*, Ruſſis *Hrusd*, magnitudine cribri farinarii, craſſus, penes querceta & alneta crescens, cum butyro, vel flore lactis ſumitur, frequens in Poleſia Polona per Palatinatum Kiovienſem protenſa. FUNGUS ESCULENTUS XVIII. *Cluſii*, pileolo lato, longiſſimo pediculo variegato *C. B.* duplex *Erndtelio*, unus ſupra & infra albicans, alter parte ſumma coloris fusci, immâ candidi, pediculo candido, maculis nigris aſperſo, in locis muscoſis & udis. FUNGUS RAMOSUS FLAVESCENS, vescus *I. B.* Germ. Ziegenbarth, Geißbarth, Pol. *Kozak*, *Koziar*, ex uno, geminove craſſo trunco, in alios minores, ad minimos usque creberrimis & anfractuoſis ſegmentis, Coralli fruticis in morem, finditur, in autumno prodit, inter querceta, & loca inculta. FUNGUS SPADICEUS ſive pileo lato puniceo, lacteum & dulcem ſuccum emittens *C. B.* Pol. *Kozlak* apud *Erndtel.* FUNGUS pileolo lato, orbiculari, flavescente *Erndtelii*, Capreolinus *Tabernæmontani*, hic licet ſit flavescens, non tamen ſucco croceo turget. FUNGUS CAMPESTRIS FUSCUS *Sterbeckii*, Gall. *Campignons*, Ital. *Pradelli*, Germ. Schwartze Pilzken, Pol. *Pieczarka*, in pratis, campis, terra fimo ſaturata excrescit, communiſſimi

muniſſimi eſt uſus. FUNGUS FAGINUS ſeu Fagis adnatus, Germanis Buch-Schwamm, legitur in autumno ad cibum. FUNGUS ADIPOSUS *Schwenckfeldii*, in ſylvis ſub Pinaſtris, Pineis, Fagis, Betulis, à Junio ad Septembrem, exſiccatur pro hyeme. FUNGI DIGITELLI, Germ. Finger-Schwämme, in digitos videntur diſſecti, quàm plurimi conjuncti, partim lutei, partim candidiſſimi, partim rubri, nati in ſylvis, juxta putrida ligna, & arborum truncos putrescentes, prorſus inſalubres. FUNGUS ORBICVLARIS *Dodonæi*, Fungus rotundus *C. B.* Crepitus Lupi *Tragi*, Boviſta *Dillenii*, Germanis Bowiſt, Pol. *Burchawka*, *Prochawka*, primò eximiè candidus, poſtea fuligine quaſi obductus. FVNGVS ORBICVLARIS argenteo-cinereus, longo & gracili pediculo. FVNGVS CRASSVS in metam aſſurgens *C. B.* caule craſſo, coloris cinerei, nullis ſtriis infernè notatus, ſed quaſi poroſus, non lactescens, candidâ tamen ſubſtantiâ. FVNGVS FLAVESCENS obſcurè mucidus, cochlear ferè repræſentans, ex lignis putridis enascens. FVNGVS RAMOSVS CANDIDVS *C. B.* FVNGVS CANDIDVS, pænè prona parte erinaceus *I. B.* FVNGVS ERINACEVS MAJOR, atro-cinereus, prona parte ſquamatus. FVNGVS ERINACEVS CANDIDVS *à Dillenio* deſcriptus. FVNGVS PYXIOIDES *Gottſtadii*, exilis, aſſeribus vetuſtis è Pino factis plerumque annatus. FVNGVS MVSCARIVS *Tragi*, Muscicida *Aldrovandi*, Pol. *Muchomor*, *Muchar*, quia enecat muscas, ſi fuerit lacte madefactus. Hujus duæ potiſſimùm ſunt ſpecies, altera orbicularis, ferè ſanguinei coloris, maculis albidis aſperſa, pediculo craſſo rubente, ac ſæpe fimbriato, altera rufescens, maculata, latior, in ambitu lacerata, inferiùs nigris ſtriis interſecta, tertia ſpecies eſt coloris fusci, quarta violacei. FVNGVS IGNIARIVS *Tragi* eſt Fagorum, aliarumque arborum, qui decoctus cum nitro, & ſulfure, facilè ignem concipit, Germ. Feuer-Schwamm, Polon. *Gębka*, *Zagiew*, *Hupka*. Fungi vernaculè dicti *Podsadki*, *Olszowki*, *Hołubki*, *Kurzeiki*, *Syroiezki*, *Węzowki*, *Wełnianki*, &c. ad fungos enumeratos referri

ferri possunt, vel alio nomine donari debent. PHALLVS *Adriani Iunii*, Coles terrestris *Bruckmanni in Epist. Itineraria X.* non solùm in sabuletis Hollandiæ & Zelandiæ, sed etiam est in viciniis Varsaviæ, in Prussicis, prope *Sopoty* & Olivam. Inter *M. S. Bibliothecæ Breyninæ* Gedani, *Ioannis Zachariæ Fungorum circa Gedanum nascentium Delineatio* reperitur.

XLVIII. TUBERA TERRÆ seu Fungi subterranei, Gall. *Trufes*, *Truffes*, Ital. *Tartufi*, Germ. Erdt-Schwammen, Erdt-Buylen, Erdt-Aepffel, Pol. *Grzyby ziemne* sunt *Rajo in Hist. Plant.* ordinis inferioris plantæ, aliis plantæ imperfectæ, natæ intrà terram, secundùm *Laurenbergium in Horticultura*, figuræ rotundæ, instar pomi, sed inæqualis, coloris nigri, aut obscurè rufi, sine radice, foliis, caule, pulpa intùs alba, non fungosa, neque odoris, neque saporis ingrati. Porci præ reliquis animalibus, facilè sub terræ cortice, hæc latentia Tubera olfaciunt sagaciſſimè, atque ob hanc rem, etiam ad acquirenda adhibentur. Ex descriptione *Erndtelii in Viridario Varsaviensi*, habent externam superficiem rugosam, & nigram, substantiam albam, odorem nonnihil gravem, ac hircinum, magnitudinem variam, juglandis, castaneæ, avellanæ, interdum pugillarem, sedem in locis arenosis, & inter stirpes. Species Tuberum horum *Steerbeeck in Theatro Fungorum* exposuit. Præter alios recentiores *Bruckmann in Specimine Botanico exhibente Fungos Subterraneos*, semina illis attribuit hisce verbis: oculo microscopico armato, dum superficiem nigram corticis accuratius inspiceremus, deprehendimus in ea puncta quædam dispersa nigerrima, quæ nihil aliud esse, quàm hujus plantæ semina pro certo habemus. Idem author ait, quod ista Tubera concoctu sunt difficilia, immò ventriculum aggravant, & ad certos morbos, puta apoplexiam, paralysim, dolores colicos, ventris tormina disponunt. His non attentis, in quadam regione, inter delicatissimos cibos numerantur. Effodiuntur circa Varsaviam in sylvis trans Vistulam, & ulteriùs in Gosenicensi Oeconomia Regia, vernali ac autumnali tempore. Non de-

desunt in vicinitate Oppidi *Dąbrowa* Palatinatus Sandomirensis, propè Cracoviam, Vistula superato, in Scepusio, & alibi. Ex sylva vasta Niepołomicensi, ruricolæ adferebant sæpius Cracoviam Italis hosce Fungos. A Tuberibus præfatis differt radix orbicularis plantæ dictæ Cyclaminus, Cyclamen *Officinis*, Panis porcinus, Pomum terrestre, Rapum porcinum, Germ. Schwein-Brodt, Pol. *Gdula ziemna*, descriptum *à Dodonæo in Hist. Herb. Purgantium*, nascitur in locis umbrosis, uliginosis, maximè sub arboribus.

PUNCTUM VIII.

DE ANIMALIBUS SYLVESTRIBUS, CAMPESTRIBUS, AMPHIBIIS, SUBTERRANEIS, DOMESTICIS, VENENATIS, INSECTIS.

I.

ANIMALIA ratione destituta dividuntnr in Gressilia, Reptilia, Natatilia, & Volatilia. Plurima Polonæ genti ferarum venatio, non minor copia armentorum. *Sylvius in Europa.* Multitudo ferarum & pecorum patuit maximè anno 1428. teste *Koialowicz Historiæ Lituanæ Parte 2. lib. 2. & Stryikowski in Annalibus*, dum celebratus est Conventus nobilissimus Principum, in Volhinia Luceoriæ, frequentiâ inusitatâ, magnificentiâ planè insolitâ Vitoldi Ducis Litvaniæ, quinquaginta diebus. Præter Vladislaum Jagiellonem Regem Poloniæ, Duces Masoviæ, Prin-

Principes Litvaniæ, & Ruſſiæ, Senatores Regni, interfuerunt, Sigismundus Cæſar cum Conjuge, & multis Imperii Principibus, atque Baronibus, Ericus Rex Daniæ, Paleologi Orientis Imperatoris Legati, Baſilius Magnus Dux Moſchoviæ, Boriſſus Tveriæ, Olha Reſaniæ Duces, Scytharum Tauricanenſium, & Transvolgenſium Reguli ſeu Chani, Magiſtri Equitum Teutonicorum, Duces Pruſſiæ, atque Livoniæ. Univerſis Vitoldi impenſis, victualia miniſtrabantur, copia planè incredibili & admiranda, nam ut taceam cætera, in dies ſingulos dabantur Boves 700. Verveces 1400, Feræ ſylveſtres varii generis, in ſingulas ſpecies, 100, Mulſi dolia 700, præter varium vinum, & cereviſiam expendebantur.

II. ALCE ſive Alces, Germ. Elend, Pol. Los, animal medium inter Cervum & Equum, ideoque Equi-cervus à *Gesnero* vocatum. Magnæ beſtiæ nomen accepit, à mole corporis, Bovem enim, immò Equum magnitudine æquat, eumque capite refert, Cervum cornibus, & altis cruribus. Ex *Goebelii Boruſſi Hiſtoria ſeu Brevi Deſcriptione Alcis*, adducuntur ſequentia: Alce caput magnum habet, quod quantitate, figura, & colore, reſpondet Mulino, oblongius eſt Cervino, minusque decoro aſpectu. Et quia eſt ſimilis Mulo, placuit quibusdam ut Onagrus diceretur. Nares patulæ & amplæ, labrum ſuperius craſſius eſt inferiori, propendens, ac inferius contegens, linguam Bovis habet, barba in mare quandoque dodrantalis. Altitudo interdum ſex Romanos vel ſeptem pedes complet, longitudo obſervata eſt à venatoribus quatuordecim pedum, cornua grandia, prælta, ſpecioſa in maris capite, ſeptendecim, aut octodecim cuſpidibus, quaſi ex lata tabula, aſſurgentibus præmunita, tam ampla ſæpenumerò ac tanto intervallo disjuncta, ut ſpatium duobus conjunctim inſedendi concedant, hæc quot annis abiiciunt, ut eſt obſervatum. Matrem ſequuntur vituli annis duobus vel tribus, quam tanto amore complectuntur, ut eâ trajectâ globo bombardæ, atque corruente, fixis pedibus conſi-

consistant, donec ipsi transfixi simul concidant. Cicurari pulli possunt, quando ante decimum quartum diem ætatis capiuntur, quo tempore etiam cursu celerrimi. Inculpatæ sanitatis animal jure dici potest, & apparet meras nugas esse, quas commenti aliqui de epilepsia hujus animalis. Nec exspirat conspecto sanguine suo, sed ictum unô globô aufugit, & vulnus curat, aut ictum quando non concidit, venatorem rectà adoritur. Magna est Alcium velocitas, quam adjuvant longa crura, & timiditas. Latibula sunt sylvæ densæ, uliginosæ, inter Quercus, Fagos, & præcipuè Tremulas frequentes, carpunt herbas virides, delectantur corticibus arborum, quandoque prodeunt ad Salices. Secundùm *Schottum in Physica Curiosa*, Alce à summo capite, usque ad humeros, & maximè in cervice pilos habet prolixos, ita ut collum, & barbam Hirci repræsentet, in aliis corporis partibus, pilorum longitudine non differt ab Equo, cauda est breviſſima. Captæ Alces cicurantur, & trahendis vehiculis aptantur, velociſſimus est illarum cursus, in nivosa præsertim glacie, adeo ut omnium Equorum celeritatem superent. Alii referunt, quòd ad equitandi usum cicuratæ, tantùm viæ, unico die conficiunt, quantùm triduò Equus. Quòd cornua mutent singulis annis, etiam *Baccius, in Tractatu de Magna Bestia Alce*, tradit, quòd fugiendo, fluvios & stagna latissima, natatu superent, *Vigandus in Historia Alcis* affirmat. Carnibus vescuntur multi, sed cibus est minùs gratus. Exstat *Heinsii Dissertatio Historico-Zoologica de Alce.* Tenent Alces prægrandes Albæ Russiæ sylvæ, fovent Palatinatus varii, Novogrodensis, Brestianensis, Kioviensis, Volhinensis circa *Stepań*, Sandomirienſis circa *Nisko*, Livonienſis in Capitaneatibus quatuor ad Poloniæ Regnum pertinentibus, Varmia iis non destituitur.

III. APER seu Sus sylvaticus *Varronis*, Germ. Wild-Schwein, Pol. *Wieprz dziki, Dzik*, dentibus magnis & recurvis armatus, terram invertens, *Bauhini* opinione, ut Carlinæ radicem inveniat. Coloribus non variat, ait *Rajus in Synopsi Methodica Animalium Quadruped.* sed eosdem semper servat,

hoc genus est autem è nigro paululùm canescens, id alii spectatores in Polonia, negant. Rostro, quàm Sus domesticus, est multùm productiore, auriculis brevibus & rotundioribus. Pili, quibus vestitur, alii longi, alii breves, secus quàm in Porco domestico. Calor in eo ingens, & dum occiditur, excitatione & ira fervescit, proinde dentes calent non modicè, cujus caloris est spuma indicium. Iidem dentes majores cæteris, multumque inflexi si ad lineam rectam deducerentur, mediam ulnam fere æquarent longitudine. Nullus Aper in Africa esse creditur, ait *Nierembergius in Historia Naturæ*, in sylvis vastis Palatinatûs Kiovienſis, Apri molis insolitæ & pingues, in Polesia Litvana, crebri tricubitales, rariores quadricubitales. Ex Apro occiso, Zolkieviam versùs, detracta pellis, atque elaborata, quòd ultra quatuor ulnas extendebatur, spectator retulerat. In Majori Polonia propè *Mechlin* pagum, Aper trajectus plumbea glande, ad Juvencæ mediocris molem accedebat.

IV. CASTOR seu Fiber, Germ. Biber, Pol. *Bobr*, animal ferum, iracundum & mordax fert dentes duos majores inflexos, prominentes ex ore, supernè albicantes, infernè flavescentes, pedes curtos & ad natandum compositos, caudam oblongam, latam, crassam, cartilagineam, pinguem, quæ natanti est pro gubernaculo. De eodem animali incolente Canadensem regionem, *à Juvencio in Historia Soc. Jesu*, ponuntur sequentia: in una sæpe domo, multorum capitum familia stabulatur, quodsi loci premuntur angustiis, discedunt juniores ultro, & sua sibi domicilia moliuntur, in eam curam incumbunt, sub prima autumni frigora, & mutuas sibi invicem operas commodant, tum ad secanda ligna, tum ad comportanda, ita ut plures uni eidemque succedant oneri. Castor in Imperio Japonico, est similis Europæo, *Kaempferi in Historia Imperii Japonici*, testimoniô. Caro comeditur etiam diebus destinatis jejunio, est *Schonveldo in Ichthyographia*, dura, bubulæ pingui similis, semper virus olens quocunque modo condiatur, malùm succum gignens, assa melior, quàm elixa, cauda

cauda multis, est in deliciis. Non pauci cum *Bellonio* asserunt, piscibus Castores vesci, instar Lutrarum, alii cum *Gesnero* negant pisces invadere hæc animalia, opinionem secundam confirmat *Wagnerus* experientiâ, nam in ventriculo Castorum anatomico cultro subjectorum inventa sunt frustula corticum arboribus detractorum, piscium verò & cancrorum nè minimum quidem vestigium apparuit, nec contenta pisculenti quidpiam redolebant, qualis fætor in Lutræ sectione non semel nares ferit. Et ex nido sublati Castores, domi aliti, piscibus ac carnibus non vescuntur. Anatome Castoris à *Gerardo Blasio* typis est tradita. Pinguedo Castoris calidè applicata avertit spasmum, & motus convulsivos, roborat, emollit nervos immobiles, sanguis contra epilepsiam remedium est selectissimum. Polonia etiam ob id laudatur, quòd pulchros atque copiosos Castores communicet. *Marius in Castorologia.* Vistula Urbes Prussiæ præterfluens Castoreum, German. Bibergeil, mittere in copia perhibetur, & *Sana*, qui Vistulam influit, id etiam suppeditat. *Francus in Additamentis ad Castorologiam.* Castoreum Dantiscanum, *Pometus in Historia Materialium*, Castoreo de Canada, utpote nimis sicco, & fere inodoro, multùm censet præferendum. Castorea Regiomonto, & Rigæ inferuntur ex Magno Ducatu Litvaniæ, Pol. *Bobrowe strzoie*, quæ nihil sunt aliud quàm vesiculæ seu folliculi hirsuti prope testes, optimi illi, *Jungkeno in Lexico Chimico-Pharmaceutico*, qui liquore intùs cereo, odore gravi & validò, succo oleoso, flavescente, sunt præditi. Ad ripas fluviorum Polesiæ Polonæ, *Teteref*, *Ussa*, *Zerew*, *Kamionka*, *Noryn*, *Irssa*, *Bobr*, *Zyd*, *Czartowiec*, *Hlinna*, *Uborc*, *Korczyk*, &c. ad proluvies seu Stagna *Trypec*, Castores exstruunt sibi domicilia, singulari industria. Si autem alicubi rivi minùs profundi fluunt, ut attollant aquas, objectamenta ex arboribus succisis, dentium ope, struunt. Qui pilorum præstantia, mollitie, & nigredine, assimilantur Mustelis Sobellis seu Zebellinis, sunt magni pretii, Nobiles, Pol. *Szlachta*; deteriores, consequenter minoris pretii Rustici, Polon. *Chtopi* appellati.

Præstantes circa Grodnam, Sluckum, & alibi capiuntur in minoribus fluviis. Castores albi in *Berezina* flumine disterminante Palatinatum Minscensem à Districtu Orszanensi Magni Ducatus Litvaniæ, inter nigros interdum versantur. Castor candoris nivei, tectus pilis molliſſimis, & veluti fericis, occisus in Palatinatu Novogrodensi M. D. Litvaniæ, detracta pellis missa est Dresdam, ad Musæum Regale simulque Electorale, causâ raritatis.

V. CERVUS, Germ. Hirsch, Pol. *Ielen*, animal timidum, velox, Equos superans cursu, vitæ longissimæ. An deponat cornua singulis annis, est disceptatio, *Majus in Hist. Animalium* ait, quomodo anni unius intervallo, ad magnitudinem tantam, ramorum multitudinem, duritiem, cornua pervenire possent? Experientia militat contra *Majum*, & meam opinionem, *in Opere Imo*, nam in theoriotrophiis seu septis continentibus animalia quadrupedia fera, annis singulis, Cervos exuere cornua, affirmant plurimi testes oculati, in sylvis etiam idem facere, & hinc maximè invia petere. Idem de Cervis *Vigandus in Historia Altis* tradit. Aliud Cervi genus habere Bohemiam, tradit *Balbinus in Historia Natur. Bohemiæ*, quòd, ut cæteri Cervi, cornua non amittit. Feminæ rarissimè cornua ferunt, ut *Maximilianus*, *Cæsar*, & *Scaliger* observârunt. Lappi Cervis, vice jumentorum utuntur, ad vehicula trahenda, cornua cruda & usta venum exponuntur in Officinis. Etiam in Pokutia *Cucolowsciis*, Cervi mansvefacti, & currui juncti aquam suppeditabant usibus variis. De usu partium Cervi in Medicina, *Graba in Elaphographia*, & *Ioan. Agricola*, plurima tradunt. Ossa in corde Cervi, annosi reperta, *ab Aldrovando in Hist. Quadrup.* delineata, pro cordiali & bezoartico remedio habentur.

VI. DAMA RECENTIORUM apud *Gesnerum*, *in Historia Animalium Quadrupedum*, Cervus Platyceros *Raji in Synopsi Animalium Quadruped.* Germ. Dam-Hirsch, id est Dama-Cervus, Gallis *un Dain*, Italis *Danio*, Pol. *Daniel*, Cervo minor est, à quo & cornibus palmatis differt. Totum cornu, ait *Ges-*

Gesnerus, longum est duos dodrantes cum palmo, hujus media pars superior lata, inferior rotunda, ut in Cervo, latitudo ad quinque digitos. Dorsi color subflavus, cum linea nigra, cauda longa usque ad poplites, ut in Vitulo. Latera aliquando maculis albis distinguuntur, quas senescens perdit. Feminæ aliquando totæ albæ sunt, ita ut Capræ videri possent, nisi pilo breviore differrent. De eadem Dama tradit *Platina*, quòd cum Capreolis fere convenit in qualitatibus, alimentum bonum caro ejus vescentibus præstat. In Anglia frequentissimum hoc animal, *Rajo in Synopsi Animal. Quadrup.* testante, nec rarum in Sylva vastissima *Białowiezensi* Litvaniæ, & *Zielona puszcza* vernaculè dicta, &c. ubi numerosè conservatur & alitur, id *in Puncto III. numerus XXIV. sub titulo Vivaria*, indicat. DORCAS, Caprea *Gesnero*, Capreolus aliis, Germ. Rehe-Bock, Rehe-Geiß, Pol. *Sarn*, *Sarna*, *Koza lesna*, à Capra toto genere differt, & ad Cervinum genus pertinet, Cervulus sylvestris Septentrionalis nostras nominari potest, inquit *Rajus in Synopsi Methodica Animalium Quadrupedum*, cornua ramosa gerit, cicur facilè redditur. Deserti Campi *Anczarycha* denominati, Dorcades numerosissimas ex sylvis adjacentibus prodeuntes alunt. Ibi & alibi in locis vernaculè *Stepy* Palatinatûs Kiovienſis, Dorcades centum, aut ducentæ, quandoque trecentæ constituebant greges, durante longiore hostilitate, ac incolarum paucitate. Contigit semel in Fortalitio Białocerkiewiensi, ut tormenta bellica exploderentur, ad intimandam viciniis hostilem irruptionem, excubitores enim è longinquo spectantes ferarum harum conferta agmina, & adventare clandestinè Tartaros existimantes proclamârunt periculum. Ukrainæ campos dum tegunt nives copiosæ, turmatim Dorcades, ad metas majores feni accurrunt, pabuli causâ. A *Szarogrod* Oppido, ne inferrent damna, non semel abactæ clamoribus, canibus, occisæ venditæ Germanicis quatuor grossis, Polonicis viginti quatuor. Fratribus tribus degentibus in *Korosteßew* Oppido Palatinatûs Kiovienſis, propè trecentæ Dorcades, incolæ uni

Sokoiowka pagi, centum viginti, hyeme una, intrà nives profundas cessere in lucrum. In Sylvis ultra *Zorawno* Oppidum Pokutiæ, venatores inciderant in Dorcadum gregem, sed ex illis Dorcas parva una sic circumspectè, diligenter, sedulò abducebat, circumibat, regebat socias diu, ut cum stupore, nulla ferarum harum præda insequentibus esset. Utuntur villani in Ukraina lintribus angustis & levibus, idiomate patrio *Narty* dictis, quibus per glaciem & nives congelatas celerrimè currunt, varii generis feras insectando.

VII. EQUIFERUS, Germ. Wild-Pferd, Pol. *Koń dziki*, nulla illius mentio est apud Græcos Scriptores, quoniam, ait *Gesnerus in Historia Animalium Quadrupedum Viviparorum*, Græcorum terræ non gignebant Equiferos. Septentrionem ferre Equorum ferorum greges, *Plinius* tradit, omissa descriptione, quæ instituitur. Magnitudo Equiferi est tanta, quanta in Equo pumilione Ducatus Samogitiæ, *Zmudzinek* dicto vernaculè, vel paulò major, membrorum compositio pulchra, color Alcis & Muris frequentior, inter colores alios. Numerosum gregem sequitur atque circuit Equus præcipuus, solus longè remotus gramina carpit, excubias agit, & si periculum aliquod imminere advertit, voce clamosa, acuta nuntiat. Solitus idem Mercatorum itinerantium Equos missos ad pascua, nec bene custoditos, noctu abigere, abactos gregi adjungere, in occasu Solis explorare, primò an alicubi insidiæ non sunt instructæ, secundò præire agmini properanti ad aquas. Erumpunt, tempore eo, Cosaci venatores latentes, prosternunt plumbeis globis, hastisque Equiferos, ut vescantur carnibus, potissimùm Equæ pullorum, ex pellibus subtilioribus detractis vestes, ex crassioribus calcei, frena, lora, conficiuntur. Vivi si capti fuerint, paulatim cicurantur, junguntur curribus, ferunt sessores. Vastissimi Ukrainenses Campi Deserti, Russis *Stepy*, Equorum talium sunt receptacula. Spectabantur inter Oppida *Raßkow* & *Jahorlik*, item *Human* versùs, eundo ad Cosacorum excubias vocatas *Gard*, ac prope Urbem *Siz nowa*, circa *Boh* fluvium

vium vicinum Tyræ, in tractu *Morawskie Szlaki*, comparebant & in viciniis Oppidorum *Lisianka*, *Bilitowka*, *Lebedyn*, *Czehryn*, durante Turcico bello, atque Tartarico, dum pagi à perpauco habitatore tenebantur, nunc crescente hominum cætu, decrevit ferarum istarum numerus, quæ propiora loca Euxino Ponto petiêre. Equiferus in Sylva Brzezanensi Russiæ, à canibus venaticis est compulsus in retia.

VIII. GULO *Olai Magni*, Crocuta *Maji*, Gulobrophagus, Germ. Viel-Fraß, Polon. *Rosomak*, ex descriptione *Schefferi in Lapponia*, & *Schurigii in Chylologia*, caput habet rotundius nonnihil, dentes validos, lupinis similes, corpus amplum, pedes breviores, quales Lutrarum solent esse. Non in terris tantùm degit, sed plerumque etiam in aquis, non feras solas insectatur, verùm & animantia domestica, ut in Suecia non semel est compertum. Ultimo loco posita sunt contra *Gesnerum*, qui Gulonem animalia viva non lædere, morticina duntaxat vorare, asseruit. Datur *Menabeni Tractatus brevis de Gulone.* Reperitur in Litvania, Moschovia, & aliis Septentrionalibus Regionibus. *Charleton in Exercitat. de Differentiis Animalium.* Capitur in Curlandiæ sylvis, teste *Rosino Lentilio in Memorabilibus ejusdem Ducatus:* in Alba Russia vicina Moschoviæ, idem animal voraciissimum occurrit interdum venatoribus. In Podolia, præsente sæculo, non procul à *Kumanow* Oppido, Nobilis cujusdam canes venatici Gulonem præstantem unum sunt assecuti, à ruricola alter occisus, venditusque *Smotrycz* Oppidi incolæ.

IX. LEPUS, German. Hase, Pol. *Zaiac*, à celeritate dictus quasi levipes. Carnis leporinæ salubritatem, contra illorum opinionem, qui eandem melancholicos reddere affirmant, *Paullini in Lagographia Curiosa* tuetur, nullumque fere animal reperiri credit, quod medicinæ magis inserviat, quàm Lepus: etiam *Boeclerus in Cynosura Materiæ Medicæ continuata*, plurima tradit de medicina ex Lepore. *Waldungi Lagographia*, seu *De Natura Leporum Tractatus* est impressus. In Majori, & Minori Polonia, in Russia, Prussia, &c. Lepores omnes

omnes sunt coloris ravi, in Litvania, Russia Alba, Polesia Polona, Curlandia, coloris albi & ravi. In Magno Ducatu Litvaniæ, Lepores ravi, minores aliis ac velociores, *Sieniahy* appellantur, Leporinæ pelles albæ, inde mittuntur Regiomontum. In Palatinatu Vitepscensi, ad confinia ditionis Moschoviticæ, Lepores nigri inveniuntur. In Volhinia capiuntur interdum Lepores longè majores ordinariis, habentes terga incana.

X. LUPUS seu Canis sylvestris, Germ: Wolf, Pol. *Wilk*, visu, auditu, odore, plurimùm pollens, sobolis amans, potens, cervix solida, crassa, dentes teretes, acuti, oculi splendentes, noctuque lucem ejaculantes, caput, ex observatione venatorum, est verminosum. Ventriculus amplior denotat voracitatem, quam vermes inclusi, & ab *Wepffero*, *Heysio*, aliisque observati augere solent. De Lumbricis in renibus Luporum, *Transactiones Philosophicæ Anglicanæ*, *Volumine* 36. *num.* 4. videantur. Intestina Lupi ad novemdecim, aut viginti pedes accedere, *Ioan. Faber* asserit. Ordinaria voracitas provenit ex nimio calore innato, & ex prædæ raritate, inediâ coactus, terram, argillam, pinuum fructus, vorat. Exstat *Saltzmanni Dissertatio de Lupo*, usus in Medicina partium Lupi tam internus, quàm externus à *Paullini in Lycographia* exhibitus. Anglia Lupis carere traditur, quòd frequentissimi sint in Poloniæ Regno, detractæ pelles, illata damna gregibus luculenter demonstrant. Catervatim noctu incedere, circumire pagos, ululatibus horridis implere aures, viatores infestare soliti, maximè Februario mense. Sylvæ vastæ, Montes Biesciadici arboribus densis operti sunt singulare receptaculum Luporum, pilis ravis seu grisеis vestitorum. Lupi prægrandes & atri sunt in ea Moschoviæ parte, quâ Litvaniæ jungitur. *Majus in Animalium Historia.* Lupi nigri duo in fovea præparata capti, non procul ab Oppido *Wielkie-Oczy* Palatinatûs Russiæ, ejusdem coloris & alibi visi. In Septentrionalibus Regionibus, Norvegia, Moschovia, Litvania, non secus ac Lepores, Vulpes, & Ursi candidissimi repe-

reperiuntur. *Rajus in Synopsi Methodica Animalium Quadrup.* Intraverant Lupi albi duo sylvam vicinam pago *Swirczyny* Culmensis Palatinatus, factaque strage in anseribus, abscessêre. In Volhinensibus campis villæ *Moßczenica*, prope Ostrogium, Lupus albedine conspicuus dum necem Ovibus inferre vellet, à canibus est apprehensus. Propè *Oleßow* in Palatinatu Brestianensi, sylva Radzivilianis venatoribus obtulit, una die, Lupum primum coloris albi, secundum rubescentem, tertium ravum, quartum ejus coloris, quem habet Vulpes crucigera. Actus in rabiem Lupus incolis viginti Polesiæ, intulit vulnera circa *Wtodzimierzec*, ex quibus nonnisi aliquot sanitati sunt restituti, superatô venenô. In eadem Polesia, anno 1718. pueri villanorum rapiebantur à Lupis, reddebantur viæ infestæ. Idem contigerat circa *Skempe* Oppidum Palatinatûs Siradiensis, ubi præter pueros, etiam adultorum hominum decades aliquot devoratæ. Comparuit anno 1724. in Kiovienſi Palatinatu, bellua non visa antea, minor Lupo, rostrô oblongô, à ruricolis *Roskaraka* appellata, hæc prope pagos *Ostapy* & *Wyhow*, de enecatis à se bobus tribus intestina extraxerat, relictis intactis carnibus.

XI. LUTRA seu Canicula aquatica *Junii*, Canis fluviatilis *Schoneveldi*, German. Fiſch-Otter, Pol. *Wydra*, Castore minor, corpore etiam graciliore, formâ rostri, oculorum, totius capitis, ait *Rajus in Synopsi Method. Animal. Quadruped.* Castorem æmulatur, dentes tamen canini, auriculæ parvæ, pili breves, animal amphibium, colore fusco ad castaneum deflectente, diu sub aqua se continet, vivit ex captu piscium, quos mira agilitate, & astutia venatur, plures catulos lactat, caro improbatur, quæ tamen ab aliquibus in cibum assumitur, axungia partibus convulsis, contortis illinitur, variis unguentis miscetur. Pilei, ex pellibus ad paralysim, vertiginem, & capitis dolores, salubres censentur, calceamenta podagricis utilia.

XII. LYNX seu Lupus cervarius, non quòd Lupo sit similis, sed quòd pari cum eo aviditate feratur, & in Cervos

vos hostiliter eat, Lupus Armenius, Germ. Luchs, Pol. *Ryś, Ostrowidz*, animal acutissimi visus, capite Felem repræsentans, auriculas curtas, apicibus nigris, villosis, sursùm erectis ornatas, ungues oblongos, præacutos, anteriores quinos, posteriores quaternos habens, Oculi fulgentes, & fere radiantes, lingua spinosa & aculeis referta, ut in Leone & Felle, *Rajo in Synopsi Methodica Animal. Quadrupedum*, referente. Agilis est, prosilireque longiùs potens, morsus acerrimi. Quòd invadat, & interficiat etiam Lupum, *Beslerus, in Gazophyl. Rerum Naturalium*, narrat. Carnes à culinis removentur, axungia articulis resolutis, convulsis, luxatis, commodè illinitur. Lynces plurimos Suecia tenet circa Helsingiam, toto corpore varios & maculosos, oculis perspicacibus, prominentibus, linguis serpentinis, quas in longum exerunt, collo flexibili, quod mirificè circumagunt, à Suecis Katt-Luchs vocatos. Qui in Moschovia, Litvania, Russia, Polonia, Hungaria, Germania, ait *Gesnerus*, & *Majus in Historia Animalium*, rari sunt admodùm insignibus maculis in dorso consperši, sed in ventre tantùm, Scotia & Suecia mittit omnium pulcherrimos, tam in dorso, quàm in ventre, aliisque membris, maculis plenos, sed non adeò villosos, uti nostrates, cum habeant pilos asperos, setosos, & breves, insuper nostrorum maculæ sunt rotundæ, istorum triangulares. In Curlandiæ sylvis, magis tamen Litvaniæ, *Rosino Lentilio teste*, copiosè capiuntur. Occisus Lynx in sylvis vicinis pago *Hłuszkiewice* Polesiæ Litvanæ, Lupos non paucos superans magnitudine. In Cassubia Lynces spurii dicti minores Polonicis & Litvanicis, ventre solo maculis vario, aliquando in prædam cedunt venatoribus.

XIII. MARTES, Germ. Marder, Pol. *Kuna*, ex genere Mustelarum sylvestrium. Martes fagina in sylvis fagineis versatur, Martes abietina in abiegnis vitam agit, & nidum super abietes, Sciurorum more, struit, pretiosa est, si pili plures candidi cum fuscis permisti fuerint. Martes Fagorum, ait *Rajus in Synopsi Methodica Animal. Quadrupedum*, magis

magis fuscæ sunt, majoreque cauda, & nigriore, gutture etiam albo, cum illæ flavo. Martes domestica seu domorum, tectorum, pilo ex fulvo nigricante vestitur, excepta gutturis parte, quæ albicat: vocatur etiam Martes saxatilis, nam habitat in saxorum rimis, & in cavernis. Martes abietum, ex Polonia adferuntur, inquit *Gesnerus in Historia Animalium*, colore fere fusco diluto. Martes nigræ frequentes in Litvania, Samogitia, in Montibus Biesciadicis Russiæ, inter quas præcipuæ nonnullæ ferunt pilos incanos, permistos nigris. Martes albæ in Palatinatu Mińscensi, & alibi, augent ferarum numerum. Ex Samogitia Rigam mittuntur nigræ, aliunde coloris fusci diluti. Martium pelles vocantur Mandurinæ pelles *in Constitutionibus Regni*, forsan à voce aliquorum Marturus & Marturius. MELES *Plinii*, *Varronis*, *Junii*, Pol. *Kot dziki*, *Zbik*, Mellis *Sipontino*, à melle, cujus avidissimum hoc animal est. Fortiter se defendit canibus, incolit sylvas, pellis expolita, atque induta exsiccat homines corpulentiores.

XIV. MUS AVELLANARUM descriptus à *Gesnero*, & *Rajo in Synopsi Methodica Animálium Quadrupedum*, Sorex *Plinii*, Germ. Hassel-Maus, Pol. *Mysz orzechowa*, *Koszatka*, Sciurô minor, colore murino, in dorso ac lateribus, candido in collo & ventre, oculis nigerrimis, prominentibus, auribus glabellis, cauda longiore, pedibus brevissimis, quorum anteriores, quatuor digitos, posteriores exhibent quinos. Conscendit more Sciuri arbores, infert nuces avellanas, & fructus cavernis terræ, arborum cavitatibus. Capitur in Volhinensibus coryletis, fruticetis, pomariis circa Cremenecum, Ostrogium, &c. in Prussiæ sylvis, aliisque pluribus locis.

XV. MUS PONTICUS, SCYTHICUS, VOLANS, Sciurus volans, latus quadratus, *Gesneri*, Pol. *Wiewiorka lataiaca*, Russis *Polatucha*, Moschis *Letaga*, pellis illius *præfato Gesnero in Hist. Animal. Quadrup. lib.* 1. longa est digitos octo, capite & cauda exceptis, latitudo eadem, superficies pilorum mirè mollium cinerea seu albicans, radix verò è fusco nigri-

cans, ventris & totius pronæ partis color candicat, pilis brevioribus interiùs fuscis, auriculæ minores rotundioresque quàm in Sciuro, juxta vel supra anteriores pedes, pilos fere in orbem eminentes gerit, qui appellantur alæ, nam quidam de arbore in arborem hunc Murem volare putant. Cauda quatuor aut quinque est digitorum, similis cæterorum Sciurorum caudis, hirsuta pilis densis albo nigroque colore distinctis. Pelliculis præparatis, quibus nihil tenerius, utuntur ad vestes subducendas, ad oculos dolentes abstergendos, vim quandam singularem, ad dolores oculorum mitigandos, aut curandos, eis inesse persvasi. Missæ sunt ad me pelles duæ ex Civitate Litvaniæ Vilna. Hactenus *Gesnerus*, qui hunc Sciurum volantem non spectavit, sed tantùm ejus pellem, etiam delineatam proposuit. Exactissima descriptio *à Klein Secretario Gedanensi* facta, & in Angliam missa cum figuris, hoc loco ponitur ad notitiam pleniorem. SCIURUS VOLANS minor est Sciuro vulgari, major Mure avellanarum, oculos nigros ingentes & exstantes habet, aspectu pulcherrimos, aures parvas, dentes acutissimos, quibus exquisitè mordet, noster, qui vitam apud me agit, satis est mitis, non appetit morsu digitum ori ipsius admotum, irritato tamen fidem vix habeat curiosus. Caudam, extra saltum constitutus, tergo apprimit, petauristam verò agens dimittit, hinc inde agitans. Vescitur pane absque sale, & summitates recentes betulæ in deliciis habet, nuces non curat, neque amygdala. Lectum ex musco betularum egregiè disponit, undique pedibus, mira facilitate attrahit, in ipso, quasi sepultus jacet. Interdiu, nonnisi solicitatus, aut siti pressus exit. Quòd ad ejus instrumentum volatorium attinet, cutis à lateribus, instar veli, ad palmam fere expandi potest, hoc ipsum velum posteriorum pedum genibus adhæret, cum anterioribus verò articulationi ossea adnectitur. Ad extremitatem modò dictæ articulationis, cutis quasi plumosa. Ubi quietus confidet, aut gressus naturales facit, articulatio hæc cum pedibus parallela distingui nequit. Quàm primum verò saltum

saltum facit, movetur illa, & cum anteriori pede angulum quasi rectum format, undè cutis, prout antea dictum, expanditur, quamvis etiam validus panniculus carnosus integram cutem permeans saltum fortiter secundet. Hinc colligo, animalculum hoc propriè non volare, sed loca, quæ sibi proposuit magis dissita, faciliùs ac reliqua animalia sui generis, saltu attingere, saltusque majores perficere posse, quod velis suis mediantibus, diutiùs in àëre morari valeat. Quòd ad patriam ejus attinet, ortum suum habet, in sylvis Districtûs Mohilovienſis. Ajunt autem accolæ sylvarum præfatarum, hæc animalcula quercus cavas inhabitare, museo betularum congesto se involvere, per diem integram dormire, noctu vagari, escamque sibi quærere. Hinc fieri, ut sequentem in modum capiantur. Ubi venatores judicant Sciurum latitare in quadam arbore cava, retia ad foramina ex arbore exeuntia explicant, & circa radicem arboris, ad truncum cavum ignem excitant, quàm primùm ergo fumus in arborem surgit, & cavitates permeat, illicò Sciuri relinquunt nidum, retibus concluſi in terram decidunt, & venatoribus in prædam cedunt. Pellis molliſſima, pilis canis, & ex nigro cinereis eleganter picta. Duo Sciuri ejusmodi vivi *Sereniſſimo Poloniarum Regi Auguſto II. à Joanne Zawiſa Capitaneo Minscenſi*, Varsaviæ sunt oblati, unum *Celſiſſ. Princeps Anna Radzivilia Cancellaria Suprema Magni Ducatus Litvaniæ*, mihi Gedanum submisit. Præfati Sciuri duo erant advecti ex Capitaneatu seu Præfectura Krzeczovienſi, posita in Palatinatu Mscislavienſi, inveniuntur & alibi, in Alba Ruſſia, ad confinia Moschoviæ. Descriptionem anatomicam Sciuri volantis *du Wernoy Societati* obtulit. *Ex Literis Petropolitanis, Commercii Literarii Semeſtre II.* testatur.

XVI. MUSTELA SOBELLA *Gesneri*, Muſtela Zibellina *Jonſtoni*, Muſtela Scythica, Martes Scythica, Ictis Scythica, Sathenus *Ariſtotelis*, Mus Sarmaticus & Scythicus *Alciati*, aliorum Mars Siberiaca, Germ. Zobel, Polon. *Sobol*, Muſtelarum omnium pulcherrima & nobiliſſima, Marte

paulò minor, *Agricolæ* tota obscurè fulva, præter guttur, quod est cinereum, *Rajo in Synopsi Animalium Quadrupedum*, anterior pars capitis, & auricularum coloris ex albo cinerei, dentes præalbi, inæquales, asperi, canini productiores, molares serrati, ut in Marte. Agilis est, & semper inquieta, caudâ utitur pro temone, Sciuri modo, de arbore salit in arborem, in umbrosis saltibus versatur semper, insidiatur aviculis. Certo tempore hyemis se abscondit, atque sic somno diutiùs opprimitur, ait *Stachlemberg in Parte Septentr. & Orient. Europæ descripta*, ut excitari non statim possit. In escam assumit nuces Pinastri *à Bellonio* descripti, mures, pisces, uvas rubeas. Datur etiam ut nix alba, sed valde rarò. Mustelis ordinariis illa præstantior, cui pili longi & ad nigredinem vergentes. Reperitur in Siberia, in extremis Moschoviæ seu Russiæ Magnæ sylvis, capitur laqueis, muscipulis, occiditur jaculis ligneis, in extremitate crassis, ne pellis lædatur, quæ multorum judiciô, à Sole unius diei, plus damni accipit, quàm si quis illâ, toto anno, utatur; ipsum animal semper umbram quærit. Dari Mustelam hanc etiam in Litvania, & Alba Russia, (intellige rarissimè) *Jonstonus in Hist. Quadruped.* tradit: *Joanne III.* regnante, trajecta est plumbea glande, in sylva vastitatis notabilis *Zielona puszcza* denominata. MUS PONTICUS seu Venetus, Aspreolus *Sigismundi Liberi Baronis*, vulgò Varius, Germ. Grau-Werck, Polon. *Popielica*, describitur *à Cesnero*. Muris Pontici pelles, vel murinæ pelles, Germ. Grau-Werck-Futter, Pol. *Popielice*, *Popielicze Futro*, in æstimatione & pretio est. Hic Mus in sylvis Regni nostri non comparet, potest tamen interdum, in Alba Russia, invisere arboreta vicina Moschoviæ, seu Russiæ Magnæ.

XVII. RENSCHIERON animal ab incolis appellatum, à nullo authore descriptum, magnitudine æquans Cervum, cornibus perarduis armatum, quorum utrumque in fastigio tridentem seu verticem triplicem ostentat. Hujusmodi fera est in Poloniæ vastissimis saltibus, missa pro splendido munere *Georgio Principi Saxoniæ*, *Turingiæ*, *& Misniæ*, anno

anno trigesimo primo, supra sesquimillesimum. Ita *Gesnerus in Animalibus Quadrupedibus Viviparis sub Rangifero, Joannem Agricolam Ammonum* adducens. Addit *Graba in Elaphographia:* Tarandi, barbaris Pyrandri Septentrionalibus *Rehenschier* appellati, sunt animalia, ut vult *Aristoteles*, apud Scythas, Bovis magnitudine, capite cervino non absimili, sed majore, cornibus albis, ramulis longis, distinctis, prælatis, & ramosis, quæ statim à fronte ramis duobus latis mucronantur, &c. reperiuntur in Norvegia, Suecia, Lapponia, Polonia, & vicinis Arctico locis.

XVIII. RUPICAPRA seu Capra Alpina, Capra montana, Capra sylvestris, Caprea, Italis *Cammaza*, Germ. Gemse, Pol. *Koza skalna, dzika*, coloris in rubro nigricantis, cornua longitudinis pollicum decem, nigra, polita, circa radices cava, supernè inflexa in uncum acutum & hamatum, posticam partem versùs, cauda exigua sed pilosa. Rupicapræ, inquit *Scheuchzerus in Itinere Alpino III.* gregatim communiter incedunt, socialitate gaudentes, non tamen absque aliquo ordine, ducem habent in altiori loco consistentem, qui, dum aliæ pabulum carpunt, auribus arrectis attendit, ad quosvis strepitus apertis oculis circumspicit, & si quid vel audiat, vel videat, sibilo acuto, claro, veluti signo dato, omnes monet, ut in fugam se recipiant. Reliquæ interim Capræ vigilantium militum officiô simul defunguntur, capita erigunt, nunquam securæ, nisi per hyemem in rupibus inaccessis, vel noctu degentes. Sic eædem Capræ meticulosæ, ut vel levis auræ motus protinus in fugam illas agat. Captæ juniores seu aliquot hebdomadarum interdum cicurantur. In certis Alpibus nullas gestant Pilas, frequentes in aliis. Lapides hi seu Ægagropilæ secundùm *Scheuchzerum præfatum in Itinere Alpino VI.* maxima parte ex Trichomonis herbæ surculis, in anniculis, vel bimulis, non verò adultis Rupicapris conflantur; si contundantur, congeries sunt plurimarum lamellarum, intus colorem cinereum, extrinsecùs virentem ex atro habentes. Virtutes in praxi medica easdem possi-

possident, quas Lapis Bezoardicus, de quo *Bontius in Medicina Indorum* tractans videatur. Greges Rupicaprarum in Scepusio, Bela Oppidum versùs, per Montes Carpaticos errant, sed ad venandum difficiles, nam ex relatione *Belii in Prodromo Hungariæ*, ubi semel venatorum vestigia, bombardarum strepitus, aut latratus canum observârunt, in agmen quasi quoddam coadunantur, inaccessa locorum scandunt, collocatâ in excubiis unâ atque alterâ sociâ, quæ adventantes è longinquo venatores si conspiciat, insidias balatu indicat. Non paucæ ex his Ægagropilas ferunt, German. Gemsene Kugiel, Pharmacopolarum Cracovienſium testimoniô, pelles detractæ ac concinnatæ crassiores sunt in ventre, quàm in dorso.

XIX. SCIURUS, Germ. Eich-hörngen, Pol. *Wiewiorka*, animal amabile admodùm pueris & feminis, caudam pro tecto, atque umbra, dum est sub diu habens, caro dulcis, ori grata. In Ukrainæ Palatinatibus Braclavienſi & Czerniechovienſi, inter Sciuros coloris rutili, nigricantes spectantur. Sciurus albus raritatibus annumeratus, à me est visus in Volhinia. Vicinia Urbis Leopolienſis obtulit cuidam nidum, de quo Sciuri proles candida una, secunda nigricans, tertia rutila est deprompta. In Magno Ducatu Litvaniæ, Sciuri multi Mures Ponticos *Gesneri* seu Aspreolos, Pol. *Popielice*, pilis imitantur, pelles murinis pellibus vilioribus permiscentur non rarò.

XX. SUHAK Polonis, Akoim Turcis, Akkiik Tartaris, Ovis sylvestris *Libero Baroni in Heberstein*, nam potiùs Ovem, quàm Capram specie refert, semper in campis degit, nisi nix alta sit, tunc enim sylvas petit. Labrum superius longius labro inferiori gerere, illudque carpendo gramina, per terram trahere dicitur. Pilis brevibus, crassis coloris grisei tegitur pellis, ex qua Ukrainenſibus hyemales vestes, & calcei conficiuntur, carnes sunt suaves. Cornua semiulnaria, inflexa modicè, translucent ad lumen præsertim circa medium, pars inferior fusca & non transparens. Circuli seu nodi tredecim, vel quatuordecim eminent, quorum tres

summi

summi sunt imperfecti. Parantur ex cornibus, quæ & feminæ ferunt, cochlearia, & cultrorum manubria. Iter agenti ex Civitate Ukrainensi *Human*, ad Stationes Cosacorum *Gard* denominatas, inde ad *Sicz nowa* Urbem ejusdem militiæ, *Suhaci* solent occurrere, gregatim per campos vagari, circa *Taszlicha*, *Swiniucha*, *Martwa woda*, *Ingul*, *Ingulec*, fluvios Ukrainæ. Tartaricum solum si intres, ad flumina, *Samara*, *Kuńska*, *Aneząhrak*, *Karaczahrak*, & *Ilmen* lacum, eorundem animalium pascuntur agmina. Confirmat *Matthias à Miechovia in Sarmatia*, his verbis: apud Tartaros *Snak* animal est quantitatem Ovis habens, in aliis regionibus non visum, lanâ grisеum, cum duobus cornibus exilibus, cursu velocissimum, esu carnis suæ suavissimum.

XXI. URSUS, Germ. Bär, Pol. *Niedźwiedź*, animal caput debile habens, oculos parvos, sed vires magnas, oculi, quod valde notabile, teguntur membranis nictitantibus, ventriculus perexiguus, & veluti in duos divisus, intestina uniformia, cutis in dorso admodùm dura, sub ventre tenuis. Dentes non differunt à Leoninis dentibus, nisi quòd sunt minores. Renum structura specialis, membranâ continens plurimos exiguos renes distinctos abinvicem, quorum unusquisque obductus est membranâ suâ, suntque hi renes passim connexi subtilissimis fibris. De eadem structura *Charleton in Exercit. de Differentiis Animalium*, ait: in Ursi renibus, detracta membrana investiente, appensa quasi ceraforum congeries videtur, & spatia intermedia adipe intimè hærente replentur. A Belgis, in Nova Zemla hibernantibus observatum Ursos obdormiscere, *referente Bacone in Sylva Sylvarum*, circa medium Novembris, & tunc Vulpes prodire antea exterritas. Ursus inter feras, quæ reperiuntur in Lapponia, principatum tenet, vocaturque sylvarum dominus, ibidem ursina carne non existimatur cibus delicatior. A *Scheffero in Historia Lapponiæ*, describuntur fusè cerimoniæ, cum quibus Ursi occiduntur, ex eorum carnibus parantur convivis fercula, inter cantilenas. Et in Helvetia, Rhætia, etiam delicata

palata Urſorum carnes non contemnunt. Maximè avidi carnium Urſi, ait *Majus in Hiſtoria Animalium*, quapropter nec à cadaveribus abſtinent, ſed ea, Luporum more, ſecum portant, & devorant. Apud Roxolanos, & Litvanos, ſunt Urſi ingentes. *Volaterranus à Gesnero* citatus. In Curlandia Urſi indigenatûs quaſi jure gaudent. *Roſinus Lentilius in Memorabilibus Curlandiæ.* Urſos niveo colore candentes in Moſchoviticis, & Litvanicis ſylvis reperiri eſt certum. *Gesnerus in Hiſtoria Animalium Quadrupedum.* Urſi albi intercepti in Scepuſii ſylvis, conjecturæ faciunt locum, ex intimiore Moſchovia, per juga montium, huc deviaſſe belluas iſtas. *Belius in Prodromo Hungariæ.* In Sylva Brzezanenſi Palatinatûs Ruſſiæ, ejusdem coloris Urſus occiſus à venatoribus. In confiniis Ruſſiæ Albæ, & Ruſſiæ Magnæ ſeu Moſchoviæ, Urſuli nonnulli teguntur pilis partim nigris, partim coloris argentei. Urſi nigri rariores ſunt & pretioſiores, rufi frequentes, diviſi in majores, & minores, qui apibus, & formicis infeſti. Majores robore tanto pollent, ut è gregibus, vel ſtabulis boves & vaccas, è ſtatione apum alvearia ponderoſa, è ruſticorum caſis vaſa victualibus plena ſurripiant, ac ſylvis inferant. In Palatinatu Polocenſi, circa *Gębokie* Oppidum, Urſus inſolitæ magnitudinis, Equorum aliquot decades, præter alia pecora, jugulaverat. Veſtibulum Arcis Levartovienſis, in Minori Polonia, Urſinam pellem extenſionis magnæ tenuit ad ſpectaculum. Ex Urſo occiſo pellis detracta fere ad ulnas ſex protendebatur, in Terra Chełmenſi, altera in Palatinatu Braclavienſi, tertia ad ulnas quinque, in *Bondargowo* pago Palatinatus Pomeraniæ, quarta longior dictâ, inter Grodnam & *Kaſſewo* eſt viſa. Non rarò ex Litvania advehuntur Gedanum pelles octo pedum, mittuntur ad Urbes & regiones alias. Inflicta à venatoribus vulnera Urſi interdum obturant musco, vel gramine, nè propter ingens profluvium ſanguinis defectionem virium patiantur. Solitarii non ſemper incedunt, nam anno 1721. in Poleſia Polonica, octoginta agmen unum conſtituiſſe obſervati.

Tra-

Traduut periti venationum, tamdiu Urſos vagari per ſaltus, tempore hyemali, quamdiu terra nivibus non cooperitur, his permanentibus, petunt latibula, ne prodantur à relictis veſtigiis. E cubilibus quòd interdum prodeant hyeme, ſemitæ ternæ circulares demonſtrant, in vicinia factæ. Olim apud aliquos Urſi ſic edocti fuere, ut in pedes duos erecti, inſiſtentesque ſuggeſtibus poſitis in axibus, lecticas ſuſtentarent in via, famulorum ſubirent vices, joci atque ſpectaculi gratiâ.

XXII. URUS ſeu Bos ſylveſtris, Thurus *Gesneri*, Germ. Auer-Ochs, Pol. *Tur*, *Wol dziki*, Tauro ſimillimus, ſed multò major, robuſtior, velocior, cornibus ut plurimùm non magnis, nigris armatus, caput craſſum & latum, pellem duris pilis, coloris ex rubro nigricantis veſtitam ferens. Tam firma vivo frons eſt, ut grandioribus globis bombardarum non potuerit *Sereniſſimus Elector* in venatione frontem perfodere, aut occidere, inquit *Bartholinus in Hiſt. Anatomic. & Medicar. Centuria VI.* at demortui calvaria ſtatim etiam levioribus globis eſt perforata. Dum occiditur idem animal, cranium & cerebrum redolet moſchum, *Ephemeridum Phyſico-Medicarum Germanicarum in Decuria II.* teſtimoniô. Carnem valde ſapidam dicit eſſe *Hubnerus in Lexico*, cornua valere contra epilepſiam, dyſenteriam, venena. In ea parte, quæ ad Pruſſiam vergit, ibi ingentes ac ferociſſimi, Taurorum ſpecie, reperiuntur. *Curtius Symphorianus Hortorum lib. 26.* Ars ſe alendi apud Pruſſos veteres fuit agricultura, res pecuaria, aucupium, captura Halecum, venatio in primis Alcis, & Urorum. *Hartknoch in Pruſſia Veteri & Nova.* Maſovia Uros habebat, in Sochaczevienſi ſylva vaſtitatis notabilis, vix non omnes interiêre. *Boterus Beneſius in Relationibus Communibus.* Litvanæ ſylvæ habebant Uros, nam Gediminum Ducem incumbentem venandi diſtractioni, non procul ab illo loco, in quo eſt Vilna condita, confixiſſe Bovem ſylveſtrem grandem, anno 1305. *Annales ejusdem Gentis, unà cum Guagnino*, divulgant.

XXIII. VULPES, Germ. Fuchs, Polon. *Lis*, *Liſka*, animal notum, & ab aliis fusè deſcriptum. De odore violaceo caudæ illius, *C. Bartholini Obſervatio, à Thoma Bartholino Actis Medicis Hafnienſibus, in Volum. III.* eſt inſerta, quæ eſt talis: nos obſervavimus ad quinque transverſorum digitorum latitudinem ab oſſis coccygis initio, pilos violæ odorem ſpirare: aperta cute pilos dictos à glandulis quibusdam minutis conglomeratis radices trahere vidimus, & quod notandum, collectio illa pilorum diverſi coloris à reliquis horrida erat, inſtar ſetarum. Non procul à *Koseierzyna* Oppido Palatinatûs Pomeraniæ, Vulpes alba viſa eſt à jaculatore. Vulpes nigræ ceſſerunt in prædam militibus venatoribus, non procul à *Ksinia* Oppido Palatinatûs Posnanienſis. Ad pagum *Dębowa łąka* in Culmenſi Palatinatu, Vulpes gregem Ovium infeſtabat, Agnos, Oviculas, Luporum more, rapiendo, & devorando. In Podolia præſtantiores, pilis longioribus ac denſioribus ſunt tectæ Vulpes, quàm in Provinciis aliis. Pulmo Vulpis exſiccatus, pulveriſatus cum ſaccharo, vino, aut jusculo ſumptus, tuſſim inveteratam amovet. Idem pulmo & hepar ſiſtit alvi fluxus, lineoſis uſui eſt. Adhibetur ad febrim tertianam depellendam. Adeps nervos rigentes emollit, alopecias ſanat, aurium dolores ſedat.

XXIV. VIVARIA, Germ. Thier-Garten, Polonis *Zwierzyńce*, ſunt ſepta continentia varias feras. Ad *Radzieiowice* Theriotrophium ſpatioſiſſimum, prope *Szoniec* pagum Palatinatûs Sandomirienſis amplum, in vicinià Stanislawoviæ Urbis Ruſſicæ, ad quadrantem milliaris protenſum, in conſpectu villæ *Cucotowce* refertum, non procul Zamosciò non vacuum, ad *Biatyſtok* Oppidum Podlachiæ, ad *Smolany*, in Varmia, concludit ſylveſtria animalia. Sepimenta vicina Białæ ſeu Albæ Ducali Radzivilianæ, in Palatinatu Breſtianenſi, Damarum, quæ German. Dam-Hirſche, Pol. *Daniele*, non rarò plûs quàm mille continent, ad Niesvieſium, Damæ eædem majores & minores numeroſæ fuerunt, Regnante *Sereniſſ. Joanne III.* in horto Zolkieviæ, non paucæ alebantur.

Ad

Ad Palatium *Czarnawczyſenſe Martini Radzivilii Inciſoris* M. D. L. ſimiles feræ cum aliis verſabantur.

XXV. ANIMALIA SUBTERRANEA quadrupedia varietate certare videntur cum animantibus verſantibus ſemper ſuper terram, quò tamen illa magis à luce publica removentur, latitando intrà cavernas, eò evadunt ignobiliora. Magnitudo impar vaſtitati ferarum ſylveſtrium & campeſtrium, proprietates pauciores, quapropter locum ſecundum obtinent in Regno Animali.

XXVI. CANICULUS SUBTERRANEUS vulgò dictus, Pol. *Piesek ziemny*, Ruſſis *Sczeniuk zemny*, iracundus, in vindictam præceps, morſibus petens, ſi quis urgeat. Cato domeſtico minorem videram, habentem caput non parvum, corpus teres, aures exiguas orbiculatas, dentes inciſorios quatuor prominentes ex ore, è quibus inferiores triplò fere ſunt longiores ſuperioribus, pedes breviſſimos, hirſutos, cum quinque digitis, incurvis unguibus, pilos breves, molles, coloris murini, caudam extenſam modicè. Deſtitutus oculis exiſtimatur, ſolicitè inveſtigavi & ego oculorum indicia, nec poteram invenire, minutiſſimi eſſe debent, æqualesque Talparum oculis, de quibus *Paulini* ex Anatomica inſpectione aſſerit, quòd vix aquilegiæ ſemen æquant, cinguntur pelliculâ, ſitum profundum obtinent. Quanquam non deſunt authores, qui cum *Ariſtotele*, non omnes quinque ſenſus externos eſſe neceſſarios omnibus animalibus perfectioribus arbitrantur, ſed ſolùm guſtum & tactum, quia duo iſti duntaxat ſenſus inditi ſunt à natura, ad conſervationem animalis, per tactum enim animal fugit noxia, proſequitur utilia, guſtus verſatur circa ſapores, quibus animal conſervatur in vita. Caniculus in campis, agris, hortis, terræ cavernas incolit, æſtate ſiſere, paſtinaca, &c. victitans, pro hyeme olera eadem foveis inferens, cum detrimento cultorum horti. Cautè occiditur, ne vulnus faciat periculoſum, ab aliquibus præfocatur duobus digitis, qui ſecundùm relationem aliquorum, morbos gutturis attactu curant. Toſta

atque redacta caro in pulverem, pecoribus cum aqua datur contra ægritudines certas. Reperitur hoc animal, in Podolia, Ukraina, Volhinia, circa *Suraż*, *Chodaki*, *Zienki*, *Moßczenica*, *Sczurowce*, & alibi, non rarò eruitur ab agricolis ibidem vomeribus.

XXVII. CRICETUS *Gesneri*, Porcellus frumentarius *Schwenckfeldii*, Mus magnus campi aliorum, Germ. Hamſter, Polon. *Chomik Skrzeczek*, *Myß wielka ziemna*, eſt Muri Alpino figurâ & magnitudine fere ſimilis, quem etiam ſopore hyemali, in domicilio ſubterraneo imitatur. E bucculis ejus veſiculæ utrinque amplæ, membranaceæ, ſub cute porriguntur, quæ ſenſim gracilescentes alligantur dorſo, tenui ligamento. Has, inſtar ſacci, tempore meſſis, granis tritici, ſiliginis, & aliis, ceu folles quosdam, infarcit, cuniculis infert commeatum, in futuram hyemem. Masculus infidelis eſſe traditur ab aliquibus, nam paratâ annonâ, femellam excludit, ſed hæc perfidiam fraude ulciscitur, propinquam quippe occupans cavernam, frumentis congeſtis, non ſentiente masculo, ex parte altera fruitur. Duo Criceti penes ſe ordinariè habitant, ad eos aditus adeò patulus eſt, ut poſſit inſeri manus. Proles ſeptena, interdum bis ſeptena editur, ut obſervatum eſt *à Naturæ Curioſis Vratislavienſibus*. In Thuringia caverna una, menſuram Viertel denominatam continebat tritici, ſecundam ſiliginis, tertiam hordei, piſi quartam. In Sileſia à Cricetis menſuræ novem piſi collectæ. Aliquando hæc animalia gregatim ad prata egrediuntur, dum æſtate, lucente ſole, decidit pluvia, more Catorum edunt ore ſonum ſe defendendo, caro à nonnullis in cibum aſſumitur, ſed ſuccum minimè bonum præſtat. In agro pagi *Tyſmienicziany* Terræ Halicienſis, Criceti tres fecerant aditus plures ad antra, nidos impleverant culmis, cavernas contiguas duas, tritici, ſiliginis, hordei, fagopyri granis, quæ vix medimni tres capere poterant.

XXVIII. HERINACEUS *Plinii*, Echinus terreſtris *Budæi*, Acanthio terreſtris *Galeni*, Germ. Igel, Pol. *Jeż ziemny*.

Duo

Duo sunt genera Herinaceorum, unum suillum seu rostrô porcinô, caninum alterum, capite canem referens, primi generis caro à multis comeditur, & ad plicam curandam applicatur, adipe inunguntur iidem cirri, herniæ pueriles curantur. Qui Echinos domi retinent anno toto, ait *T. Bartholinus in Actis Medicis Hafnienſibus*, tradunt eosdem, circa diem D. Martini, proripere se in angulum secretiorem, ibique tota hyeme conglobatum jacere sine motu, sine alimento, Martio mense tandem expergisci.

XXIX. MELIS seu Taxus, Blerellus, Echinus terrestris *Isidori*, apud *Cnapium in Thesauro*, Germ. Dachs, Pol. *Jazwiec*, *Borsuk*, est animal *Jonstono*, Vulpe majus, pelle villosa, rigida, coloris leucophæi, dorsum latum, dentes acutissimi. Summa Melibus sive Taxis cum Vulpibus antipathia, hi enim ubi egressus observaverint, latibula earum excrementis conspurcant & fætore, ut alia exstruere cogantur. Brevitatis pedum conscii non longè à latibulo egrediuntur, urgente bruma occultantur, & somno pinguescunt, pomis, uvis, crabronibus, vermiculis, &c. vesci solent. Duplex Taxus, *Sibbaldo in Scotia Illustrata*, Suillus seu Porcinus & Caninus, primi caro humidior, secundi siccior, Porcinus apud *Jonstonum præfatum* dicitur esse Canino major, Caninus rictu esse par Canino, illisque cibis vesci, quibus canis. Porcinum nondum vidimus, inquit *Rajus in Synopsi Animalium Quadrupedum*, & an detur ejusmodi dubitamus. Inter animalia varia, *Valentini in Prodromo Hist. Naturalis Hassiæ* Taxum præfatum ponit.

XXX. MUS ALPINUS *Plinii & Gesneri*, Mus seu Glis montanus, Germ. Murmel-Thier, Pol. *Bobak*, *Swiſzcz*, secundùm *Wagnerum in Historia Naturali Helvetiæ*, ab autumno ad ver usque, id est, ad sex fere menses sic protrahit somnum, ut nullo modo excitari queat. Commoratur in Montibus Scepusiensibus, visus in Russiæ Palatinatu prope *Podciemne*, *Zimnawodą*, &c. pagos. MUS NORICUS *Agricolæ*, Citellus *Schwenckfeldii*, Germ. Zieſel, Pol. *Suset*, in terræ cavernis habitat,

bitat, ei corpus, ut Mustelæ longum & tenue, ex descriptione *Raji in Synopsi Methodica Animalium Quadrupedum*, cauda admodùm brevis, color pilis ut Cuniculorum, quorundam pilis cinereus sed dilutior. Præterea *Gesnerus*, in pellibus colorem fuscum ex cinereo fere observavit, auribus caret, sed non caret foraminibus, quibus sonum, ut avis recipit. Ex hujus pellibus vestes solent confici. Complures in uno cavo reperiri ajunt, cum magna avellanarum castanearumque copia, in cibo delicati habentur. In Podolia, Volhinia, in Desertis Campis *Aweżaricha*, & in aliis *Stepy* vocatis, frequentior. MUS ALBUS DOMESTICUS Mariæburgi in Prussia est captus, anno 1725. catenulâ collo injectâ, propositus ad spectaculum. Mus & Catus, à Viro Religioso, ad concordiam, eamque familiaritatem adducti fuerant Cracoviæ, ut ex una patina sumerent cibum. Simile exemplum *à Webero in Arte discurrendi* ponitur. Alter Mus tener Posnaniæ sic cicuratus, ut escam de manu sumeret, sub culcitra duceret somnum, feritatis signa nulla ostenderet. Mus sylvestris, German. Wald-Maus, Pol. *Myß lesna*. Mus agrestis, Germ. Feld-Maus, Pol. *Myß polna*. Mus aquaticus, Germ. Wasser-Maus, Pol. *Myß wodna*.

XXXI. MUSTELA ALBA *Turnebii*, *Gesneri*, Mustela Alpina *Junii*, Hermelinus, Armellinus vulgò, Germ. Hermelin, Pol. *Gronostay*, in Litvania, & Alba Russia, &c. frequens, in Præfectura Tiegenhof Palatinatûs Mariæburgensis rarior, in Pomeraniæ Palatinatu sparsim reperibilis, incolens prata, foveas impletas ex parte aquis. Differt ab Hermelino Mus albus Armenius, pellis mollitie delicatissimus, de quo *Causinus in Polybist. Symbolico* narrat, quòd illi spurcitia tantæ est abominationi, ut limo ante ostium cavernæ illito, capi potiùs à venatoribus, quàm eo fædari patiatur.

XXXII. MUSTELA PRÆCINCTA appellari potest Latino idiomate, nam Russis est *Perewiazka*, Pol. *Przewiaska*, animal minus Putorio, albicans, transversis lineis ravis eisque pluribus cinctum, in sylvis degens, intrans terræ cavernas.

Ex

Ex pelle detracta conficiuntur marsupia in Volhinia, in qua circa Cremenecum, Surasium, aliasque Civitates, & pagos capitur.

XXXIII. POUCH Russorum, animal majus Mure domestico, rostrô oblongô cuniculos in terra facit, ut consumat sata in hortis. Tantus numerus creverat animalium horum prope *Suraż* Volhiniæ pagum, ut propter illata multoties colonis damna, olerum horti relinquerentur. PUTORIUS *Gesneri*, Martes domestica *Matthioli*, Pol. *Thorz*, in Palatinatu Minscensi Magni Ducatus Litvaniæ, fert pilos minores albidos, majores subflavos. TALPA ALBA, Pol. *Kret*, anno 1660. die 21. Septembris, occisa prope Gedanum. Talpam albam etiam *Schwenckfeld in Animalibus Silesiæ* ponit.

XXXIV. ANIMALIA QUADRUPEDIA DOMESTICA quàm numerosa sint in Regno, non tantùm greges dispersi per campos indicant, sed etiam Vratislavia & Brega Urbes Silesiæ vident, quæ mittunt Boves Polonicos in Bohemiam, Saxoniam, &c. obtinent Civitates Hamburgum, & Berolinum eadem animalia, ex Ukraina, Podolia, Russia, adducta. Agnovit quanta sit carnium abundantia Exercitus Saxonicus, Sueticus, Moschoviticus, Cosaticus, Tartaricus, sub tempus longum belli, *à Carolo XII. Rege Suecorum* illati Poloniæ. Curlandia sic pecorum dives, ut eam macellum Hollandiæ, quis dicere queat, nam carnes muriâ conditæ, Germ. Pekel-Fleisch, in Angliam per mare transportantur, & Hircorum, Caprarum carnes pariter paratæ, præsertim in Districtu Libaviæ venduntur nautis, Hollandiam & Angliam versùs ferendæ. Ita *Rosinus Lentilius Oribasius in Curlandiæ Memorabilibus.*

XXXV. BOS, Germ. Ochs, Pol. *Wol*, grandior in Ukraina, & Podolia, quàm alibi. In eisdem Provinciis, olim *Koniecpolski* hæres Civitatum, & Oppidorum populosissimorum centum & decem, pagorum centum octoginta sex, ante Cosaticum bellum à *Bohdano Chmielnicki* capite rebellionis

motum, post triennium quodlibet percipiebat à subditis tributum boarium, Pol. *Powotowczyzna*, constans millibus quatuor boum. Gedani in Prussia, præter Vitulos, Arietes, Porcos, teste *Curicken in Descriptione Historica ejusdem Urbis*, singulis hebdomadis, Boves trecenti mactabantur. Non rarò ibidem Boves Ukrainenses, Podolienses, sic saginantur à lanionibus, ut pretium Prussicorum florenorum centum obtineant, immò plurium. Caro bubula salita, Germanis Pekel-Fleisch, imponitur navibus onerariis variarum nationum, propter victum nautarum, & in hunc finem, Boves ducenti, aut trecenti sæpiùs occiduntur. Ex Classe Danica aliquot naves, anno 1726. acceperunt panes biscoctos numerosissimos, carnes bovillas octoginta millia librarum pondus æquantes. Interdum Boves impositi navibus, Lubecæ, aliisque Civitatibus maritimis advehuntur. Lapis, qui invenitur in ventriculis Boum, & Juvencarum, Tophus Juvencæ *à Plinio lib. 11. cap. 37.* ab aliis Globus bovillus, Tauroporus, Pila pilosa, Pila bovina appellatur. Hæc si scindatur, ex solis pilis constare videtur, leviſſima est, quantitate ovi anserini, pilæ rotunditate, quandoque ovalis figuræ, in cortice coloris fusci, vel nigricantis, aut qualis esse solet Lapidis Bezoar Occidentalis. Etiam in Equorum, Arietum, Ovium, ventriculo secundo, ejusmodi Pilas reperiri, *Worm in Musæo* affirmat. Verisimile est, ait *Jacobæus in Musæo Regis Daniæ*, bestias dum cutem pilosam lambunt, adhærentes linguæ madidæ pilos sensim deglutire, qui salivæ mixti, à motu imprimis ventricali peristaltico implicantur sibi invicem, & densantur in globulos. Idem sentit *Rajus in Synopsi Methodica Animalium Quadrupedum*, sub titulo Cervus. Inveniri lapides, & in Taurorum felle, Scriptores referunt, apud Turcas nullum præsentius remedium est, ad morbum regium propulsandum. Lapis in felle Bovis repertus, Alcheron à nonnullis vocatur, apud *Boetium de Boot*, qui contusus, naribusque inditus visum acuit, ac fluxus, nè descendant in oculos, prohibet. Ad Gedanum in Schottlandia, in Bovis vesica fel-

fellea inventus est lapis coloris crocei. Concreta varia lapidea nata intrà Boum viscera Bulithi sunt *Bromellio in Specimine I. Lithographiæ Suecicanæ*, ab eodem authore Lapides intrà Equos geniti Hippolithi denominati. Dentes Bovis mactati Gedani, circa annum 1724. alterius Hoppenbruchi, anno 1726. tartareâ crustâ aurichalco assimili, orta opinor ex certis graminibus ad escam, aut aquis ad potum sumptis, obducti fuerant. Dicta est crusta tartarea, à tartaro lapide vini, seu fece vini lapidosa, quæ Germ. Weinstein, lateribus dolii adhærescente. Simili modo Vervecum, & Agnellorum dentes interdum tinguntur. In Curlandia Vaccæ duæ lac ex uberibus propriis exsugebant, & herum fructu penitus defraudabant, ubera Colocynthide, aliisque amaris inungebantur, sed conatu frustraneo. *Rosinus Lentilius in Parallelismo ad Observationes in Annum II. Decadis I. Ephemeridum Naturæ Curiosorum.* Bos lactaria, in locis multis Insulæ Mariæburgensis, Elbingensis, & Gedanensis, habens opima pascua, dat lactis stoffos duodecim, id est ollas sex, diebus singulis. Casei in gustu teneri mittuntur ad nationes exteras, ac pro Hollandicis caseis, commutantur pecuniâ. *Hartwich in Geographia Insularum prædictarum.* Inferuntur navibus interdum Sueciæ & Lubecæ, curribus Francofurto, aliisque Civitatibus. Opera lactaria etiam circa Graudentum strenuè exercentur, casei positis supra præferuntur à multis. In Cassubia Mirachoviæ, Buculæ quatuor, anno 1667. sunt enixæ gemellos. Vacca in pago *Laßki* distante Jaroslaviâ leucis duabus, una die edidit Vitulum primum manè, secundum circa meridiem, tertium horis vespertinis.

XXXVI. CAPER, Germ. Bock, Pol. *Koziet* dictus à carpendis virgultis. Extraordinariæ magnitudinis erat in pago *Lelikow* Terræ Chelmensis, sæpiusque solitus inebriari cremato seu frumenti spiritu sibi porrecto, quô dum carebat, urgente habitu, quærebat eundem potum solicitè & semel cum olfeciſſet in cella reconditum, cornibus excussô obstaculô, invenit aditum, rejecit dolii obturamentum, hausit

quantùm potuerat. Emulgebatur Caper ſeu Hædus in vicinia Urbis Luceorienſis Volhiniæ, alter lac præbuit in pago *Koniuchy* Litvaniæ. Profuiſſe lac Capri epilepticis, *Matthiolus Epiſtol. lib.* 3. teſtatur. Cracoviæ in Hirci annoſi veſica urinaria, repertus calculus magnitudine juglandis, inſtar ſilicis durus, foraminoſus, coloris ſubcinerei, bullas in aqua excitans. *Rumphius in Muſeo Amboinico.* Capri & Capræ, Ruſſicè *Szuty* dictæ, in Ukraina cornibus deſtituuntur.

XXXVII. EQUUS, Germ. Pferd, Pol. *Koń*, obſervatur ſexies mutare vocem, dum gaudet, hinnitum in longum trahit, in fine acuit, deſiderium ſocii exhibet trahendo hinnitum, ſed in fine deprimendo, in dolore gemitum edit, dum irascitur, acutè ſonat & breviter, dum timet, obſcurè ac demiſſè, complacentiam teſtatur aliquam, voce edita craſſa & interrupta. Equi Polonici ſunt Tartaricis ſimiles, de quibus *Guagninus in Deſcriptione Tartariæ*, habet ſequentia: fortes ſunt, laborem, inediam, curſum diutiſſimè ſuſtinent, ramis, corticibus, foliis arborum, pascuntur. Emptus Equus Cracoviæ, ac in Italiam ductus Aſinos perſequebatur maximè, concutiebat pedibus, penes ſe ſtare non permittebat, nec fenum Aſino ab agaſone datum deguſtabat.

XXXVIII. OVIS, Germ. Schaaf, Pol. *Owca, Owieczka*, auget animalium quadrupedum domeſticorum numerum. Oves gemelliparæ ſeu proles duas, partu uno, edentes, in Litvania frequentes, alibi raræ. Ovium cornutarum etiam *Graba in Elaphographia* meminit, ſpectantur plurimæ in Magno Ducatu Litvaniæ, paucæ prope Helam Peninſulam Gedanenſem, aliisque in locis. In Majori Polonia, Pruſſia, &c. Oves albæ greges conſtituunt, in Ruſſia, & Litvania, nigræ albis permiscentur. Verveces, Germ. Schepſen, Hämmel, Pol. *Skopy, Barany cxyßczone*, Pruſſia circa Conecum, &c. mittit Saxoniæ, Major Polonia Sileſiæ, Marchiæ Brandeburgicæ eadem animalia, lanam Vratislaviæ, &c. Emporium Gedanenſe Hollandiæ, non verò Angliæ, quâ abundat, vendit. Texturæ pro veſtimentis lanæ, Pol. *Materie wełniane*, numeroſiſſimæ

rosissimæ parantur Gedani, ibidemque commutantur pecuniâ, navibus onerariis submittuntur exteris nationibus.

XXXIX. PORCUS seu Sus domesticus, Germ. Borck, Zahmes Schwein, Pol. *Wieprz*, animal setosum, nam materia cornuum abire putatur in setas, quæ sunt majores in dorso, ubi illa per spinam diffunditur. Setæ millibus duodecim Prussicis æstimatæ, Gedanô, oneraria navi, sunt missæ à mercatore ad regionem transmarinam, ex Samogitia & Litvania Regiomontum & Rigam deferuntur, ex Polonia quidam millia tria Gedani numeravit pro illis. Porci & Porcæ passim ferunt ungulas fissas, rarò non fissæ spectantur. In Silesiam Porci numerosi aguntur ex Majori Polonia, ex Russia Ungariæ submittuntur succidiæ. Custode omni remoto, in Polesia Litvana, Porcorum, Porcarumque greges totum tempus vernum, æstivum, & autumnale in sylvis transigunt, instante hyeme, remeant sponte ad pagos. Hucusque valde arcanum, certumque remedium adversùs epilepsiam habitum, inquit *Valentini in Aurifodina Medica:* in utroque latere Suilli capitis, quædam prorsus alba & friabilia ossicula reperiuntur, quæ in Epilepsia præstant.

XL. PORCELLUS INDICUS seu Porculus Guinicnsis, Cuniculus Indicus, Cuniculus Americanus, German. Meer-Ferckel, Meer-Schwein, Pol. *Swinka Zamerska*, corpus brevius habet, & plenius quàm in Cuniculo, aures humiles, subrotundas, digiti seni anteriores, quini posteriores, cauda nulla, colore variat, caro assa editur, & pro deliciis habetur. Addit *Cosmius in Magnæ Naturæ Oeconomia*, quòd carnes, Cuniculi domestici carne minùs candidæ, & humidiores, pingues, suaves, adeps subflava, lardo suillo similis. Exacta descriptio Porcelli ejusdem, unà cum anatome, *à Charletone in Exercitationibus*, ponitur. In Hispaniola Indiæ Orientalis Insula, animalium horum mira fecunditas, in domibus variis Provinciarum nostrarum aluntur, fetusque edunt.

XLI. ANIMALIA VENENATA in aliquibus locis occurrunt facilè, in aliis reptilia noxia nulla degunt. Serpentes in Auſtralibus partibus virulentiores ſunt *Kirchero in Mundo Subterraneo*, quàm in partibus ſuppoſitis Septentrioni, ſub Zona torrida virulentiſſimi. Quomodo morſus animalium venenô infectorum curandi, antidota varia præſcripſit Ars Chirurgorum, ſimplex remedium à quodam adfertur fortunæ inopibus. Primò folium braſſicæ capitatæ attritum manibus, ſine mora vulneri eſt applicandum, ſecundò folium ejusdem oleris contritum, modicoque melli permiſtum, bis alligandum qualibet die, per totum triduum.

XLII. DRACO, Germ. Drache, Pol. *Smok*, acutiſſimi viſus eſſe credebatur, ideoque antiquitùs theſaurorum, ædium ſacrarum veſtibulis appingebatur cuſtos, *Macrobii* teſtimoniô. Fusè tractat *Kircherus Mundi Subterran. lib.* 8. de Draconum geneſi, aſſerens, ex variorum animalium quadrupedum, volatilium, natatilium ſeminibus putrefactis, ſeu ex putredinis à diverſa ſeminum confuſione provenientis fermentatione Dracones nasci. Idem ibidem de Draconibus alatis, bipedibus, quadrupedibus, innixus authoribus, & oculatorum virorum teſtimoniis, non dubitat, dum ait, qui negaret Dracones, omnium temporum hiſtoriis, & experientiæ oculatæ contradiceret. Dracones *Franzio in Hiſtoria Animalium*, nihil ſunt aliud, niſi Serpentes valde annoſi, & admodùm aucti, in quocunque genere, & idcirco non differunt à Serpentibus reliquis, niſi magnitudine. Opponit ſe ſententiæ huic *Bochart*, diſtinguit Dracones à Serpentibus, notas characteriſticas exponendo, quarum prima eſt, vaſta moles, ſecunda, barba ſub mento, & palearia, tertia dentium ordo triplex, quarta, color niger, rufus, aut cinereus, quinta, rictus oris ingens, ſexta, quòd aspiratione ſua non ſolùm àérem attrahat, ſed & aves ſupervolantes, ſeptima, ſibilus terribilis, & aliquando lugubris. Dracones deſcribuntur *à Jonſtono Hiſt. Nat. Serpentum lib.* 2. alati & non alati, bipedes, *à Schoto in Phyſica Curioſa* recenſentur, ubi per alas non

non intelligit pennas, sed membranas in dorso, instar pinnarum. Eadem animalia *Bocharti Hiero - zoicon* attingit. Draco ingens Tiburinum agrum infestans, non animalia duntaxat, sed & homines devorans, virulento halitus sui veneno, vel ipsum aërem, magna mortalium strage, inficiens *à Kirchero in Latio* ponitur. Visi sunt Dracones alati, inquit *Scherer in Atlante Novo* adducens *Dapperum*, à primis Americæ inventoribus, hodie frequenter spectantur in Insulis Philippinis, testantur id literæ *à P. P. Societatis*, inde ad nos scriptæ. Meminit Draconum & *Sperlingius*, *Kirchmajerus*, *Beckherus in Dissertationibus peculiaribus*. Præter eos *Scheuchzerus in Itinere Alpino V.* Dracones Helveticos exposuit, tabulis æneis illustravit, conclusitque his verbis: satis superque ex hactenus allatis Draconum Helveticorum exemplis, illisque collatis cum exoticis patere dari id genus bestias, seu proprium constituant animantium genus, seu Serpentum monstris, quod multi volunt, adnumerari debeant. Patet item non unius esse speciei omnes, alios nempe alatos, alios apodes, seu Serpentibus apponendos, pedatos alios, quos cum Lacertis potiore jure conferas, differre item colore, squamis, figurâ partium corporis. Draco in eo loco fuisse à multis traditur, ubi nunc Wormditum seu Orneta Oppidum Varmiæ. Dracunculus, Pol. *Smoczek*, Lublini in platea vernaculè *Oleyna ulica*, in lapidea dicta *Miecznarnia*, latitans prodibat sæpiùs, caput cristatum habens, assimileque capiti galli gallinacei, collum crassum cum palea deflua, corpus, plus quàm ad cubitum, protensum, squamis minutis obsitum, caudam prolixam, pedes oblongos quatuor, quorum pars ima gallinæ digitos exprimebat. Pueris necem intulisse traditur, & globo plumbeo tunc est prostratus, dum illos insequebatur. Pellis ei detracta, in Pharmacopolio Collegii S. J. servabatur ad spectaculum. Dracunculus coloris viridescentis, alis duabus, pedibus quatuor instructus, prope Calissium, pagum *Zawodzie* versùs, inventus est in terra, sub nido Ciconiarum, vulnera in capite retinens, opinione multorum, à volucribus præ-

præfatis inflicta. Hæc mihi retulit ſpectator fidei optimæ. Dracunculi duo in Domo Religioſa, intrà Civitatem Breſtenſem Litvanicam, poſiti comparuerunt, ab obviante futuris damnis, neci ſunt traditi. In Palatinatu Posnanienſi villa *Strzeżno* diſtans milliari medio à Civitate Valcium dicta, habebat in fundo ſuo Draconem protenſum ad ulnas quatuor, craſſum, terribilem, qui in pascuis oves, arietes, agnellos aggrediebatur, devorabatque ſæpiùs, tandem à paſtore invigilante damno, plumbeo globo eſt trajectus. Tulit vaſtum caput, rictum oris prægrandem, aſſimilem rictui ranæ, alas binas, vespertilionis alis conformes, corpus coloris ſubviridis permiſti violaceo. Erant non pauci ſpectatores cadaveris, unus ex illis Vir religioſus id mihi Gedani retulit.

XLIII. SERPENS GRANDIS, Pol. *Połoz*, capite magno, collo tenui, corpore craſſo, ſcabroſo, ravo, ventre ſubalbido, longitudine perticali. Occiſus Serpens ejusmodi non procul *à Berſtada* Oppido Ukrainæ, dicebatur cubitorum novem menſuram exceſſiſſe. Serpens ex Poloniæ Regno allatus, duodecim pedes longus, inter raritates Arcis Dresdenſis in Saxonia ſpectatur. Serpens extenſione corporis orgyiam, craſſitudine perticam æquans incurrebat in oculos villanorum aliquot, anno 1723. in fundo *Zienki* pagi Volhinenſis, prope Suraſium.

XLIV. SERPENS MINOR vulgaris, Germanis Schlange, Polon. *Waz*, alius eſt terreſtris degens in pratis, aggeribus, ædificiis, aquatilis alius, &c. Hyeme intrat cavernam, ibique per menſes frigidos habitat veluti ſemimortuus, exſpectans tempora veris. Anguis in genere Serpentem denotat, in ſpecie accipitur pro Serpente non venenato, Coluber etiam dicitur. Fert fama Serpentes annoſos, coronas in capite gignere, easque deponere, omni auro pretioſiores, ſed inquit *Vater in Phyſiologia*, absque omni fundamento, nunquam enim coronæ tales in Serpentum capitibus viſæ, illæ verò quæ ab impoſtoribus aliisque exhibentur, ex Squillarum marinarum chelis, ad fallendos credulos ſunt for-

formatæ. Idem sentit *Bromell in Specimine I. Lithographiæ Suecanæ*, dum ait, Agyrtæ parvas quasdam protuberantias ossèas, candidas vel spadiceas venum exponunt, quas Serpentum coronas esse perhibent, capiti eorum innatas, mira de virtutibus & viribus earundem jactantes. Existentiam coronarum talium defendunt *Kunrath & Lentilius in Miscell. Curios. Germanicis*, sed eam negant *Velchius*, *Wagnerus*, *Jenichius*, & alii, qui apertè demonstrant coronas has esse porcorum dentes molares, quos decussis quibusdam eminentiis, lævigant, expolitos affabrè adeò efformant, ut coronarum speciem præseferant. Certò dari Serpentum coronas asserit *Hannemannus in Ephemerid. Medico-Physicis Germanicis*, sed non apud agyrtas & circumforaneos, eisque vim miram adversùs epilepsiam, ac morbos alios adscribit. Opponit se *Hannemanno &c. Joannes Breynius in Tractatu de Coronis Serpentum*, argumenta illorum infirma vocat, statuitque coronas easdem nihil aliud esse, quàm Squillas Mantis dictas, *à Rondeletio* spolium, vel dentem molarem ex inferiori maxilla porcelli ablactati. In Varmia Serpens albicans, cum capite rubro, ad mensuram cubitorum trium fere protensus, prope Framburgum spectatus. Insolita multitudo Serpentum, intrà & circa Arcem Prussicam *Sobowidz* fuerat, hæc ut submoveretur, quamvis nemini noxia, per tempus longum, fere diebus singulis, aliquot millia occidebantur, evecta dolia quatuor oppleta ovis. In Polesia Litvana, & Polona, ubi humida loca proferunt herbam Russis *Turzyca*, *Paryto*, hæc dum floret, Junio mense, hebdomadarum duarum spatiò, Serpentes relictis pratis, locisque uliginosis, ad vicinorum pagorum domos, horrea, stabula, &c. se recipiunt, odore, vel qualitate aliqua alia pulsi. Contingit ut Serpens ex uberibus Vaccæ lac sugat, Vacca verò à suctione illius noxam nullam percipiat. In *Stanislai à Lasko* defuncti ventriculo Serpentes fuisse repertos, *ex Manlio Schenckius Observationum Medicinalium lib.* 3. tradit. CÆCILIA, seu Cæcus Serpens, *Plinii*, German. Blindschleiche, Pol. *Waz slepy*, oculis quidem

non penitùs carens, ut vulgò creditur, tamen obscura adeò habent vestigia, ut vix appareant in capite, dentes canini nulli, sed alii, in maxilla inferiori, duplici vel triplici ordine positi sunt subtilissimi, & tactu potiùs, quàm visu explorandi. Inventa Cæcilia in Bielanensi sylva, prope Varsaviam, *ab Erndtel Authore Varsaviæ Physicè Illustratæ.* HYDRUS seu Coluber in aquis vivens, German. Wasser-Schlange, Pol. *Waż wodny*, extraordinariè frequens in fluvio *Bug*, ad pagum *Jabłeczna*, alibi reperibilis facilè etiam bicubitalis.

XLV. LACERTUS *Plinii*, Lacerta *Ciceronis*, Germ. Eydechse, Pol. *Jaßczurka*, non rectè à quibusdam Vipera denominatur, quadrupes est, linguam & caudam quasi Serpentis fert, multarum specierum, propter magnitudinem & colorem. Lacerta viridis pulchra, candicante ventre, pedibus brevibus, prope dumeta & sepes versatur, in ejus ventre reperiri tradit *Rulandus* Sauritem gemmam contra venena potentem, ossa prosunt Comitiali morbo affectis, oleum ex viva paratum oculos rubentes & lippientes clarificat, & puros reddit. Lacerta cinerea seu vulgaris, formâ aliis similis, sed minor passim occurrit. Lacerta aquatica major, & Lacerta palustris minor *à Schwenckfeldio in Reptilibus Sileſiæ*, est descripta. Lacerta viridis alibi rara, in Palatinatu Pomeraniæ frequens.

XLVI. VIPERA, German. Natter, Pol. *Zmiia*, dicta quasi vivipera, quòd non ova, ut Serpentes cæteri, sed fetus vivos pariat. Solers scrutator naturæ *Redus* observavit, Viperarum venenum non in dentibus illarum latere, neque in cauda, neque in felle, quod Physici multi credidêre, sed in vesiculis duabus dentes tegentibus, quæ per morsum compressæ ac reclusæ liquorem quendam subflavum emittunt. Etiam *à Charas Novæ Experimenta circa Viperas, cum Dissertatione de earum Veneno*, sunt edita. Viperæ circa Varsaviam in copia, præcipuè autem magnus proventus illarum est prope *Fawory* prædium, uno lapide distans à Civitate, inter colliculos & convalles, quæ ex loco præfato ad Vistulam ducunt,

&

& in locis aliis trans flumen idem ſitis. Squamoſæ ſunt, maculoſæ, longitudine cubitali & plus, collo anguſto, capite latiori, dentibus caninis inſtructæ, prodeuntes, primo vere, ex antris ſuis, ſub Corylorum & Alni radicibus formatis. Mira varietas eſt, in hac Serpentum ſpecie. Prima Vipera coloris ex fusco cinerei, cum maculis, in dorſo, itidem fuscis aſt obſcurioribus vel nigricantibus, in ventre coloris griſei, aut ex nigro albicantis, menſuræ pollicum triginta & plurium, non menſurato capite. Secunda Vipera ejusdem coloris, niſi quòd in ventre pallidior, & quaſi cærulescens, femina fortaſſis ad mentem *Raji*, viginti ſex pollices longitudine exæquans. Tertia Vipera ejusdem coloris, aſt paulò dilutioris in dorſo, eisdemque maculis ornata, parum tamen obſcurioribus, pollicum viginti longitudinis. Has tres ſpecies, pro una fere habeo, communiter appellantur Germanicè die Haſel-Schlagen, & creduntur eſſe venenatiſſimæ. Quarta Vipera tota nigra, in dorſo ſine maculis interſperſis, in ventre cærulescens, capite anguſtiore, longitudinis pollicum ſeptem ſupra viginti. Quinta Vipera ex griſeo colore albicans, cum maculis nigris in dorſo, ad menſuram pollicum viginti quinque protenſa. Sexta Vipera tota in dorſo ex fusco rubentis coloris, cum maculis obſcurioribus, in ventre autem continuo tractu rubens & flammea, longitudinis pollicum ſedecim ſaltem, capite paulò anguſtiore, valde venenata hæc dicitur, atque à Germanis die Feuer-Schlange appellatur. Septima Vipera tota cinerea Cæciliam repræſentans primo intuitu, & formâ externâ, niſi quòd oculis manifeſtè, & præterea dentibus caninis ſit inſtructa, longitudine octodecim pollicum menſuram æquat, & durioris ad tactum ſit conſiſtentiæ, præ cæteris. Hactenus *Erndtel in Varſavia Phyſicè Illuſtrata.* Vipera in villa *Pieciſyce* Majoris Poloniæ erupit è latibulo ſtabuli, fronti dormientis puellæ inflixit vulnus, & dum excitata pendentem conaretur avellere, iteratis morſibus eandem arroſit in manibus, atque pectore. Mox puella in lividum colorem abire, grandi

tumore affici cæpit, ita, ut amissa hominis specie, instar dolii turgens horrorem cernentibus incuteret. Nec poterat cutis tenera infectionem virulentam sustinere, unde impar malo, findi cæpit multis hiatibus. In partibus Russiæ, & Podoliæ, reperitur certum genus Serpentum, quod caput atque os habet anatinum, & *Zmiia* vocatur. *Redus in Experimentis circa Insectorum Generationem.* Animal venenosum à Russis *Weretelnica* dictum, gracile, protensum ad mensuram cubiti, coloris ferruginei, in Campis Desertis latitat. Prope pagum *Zaiezkow* Palatinatûs Posnanienſis, animal, è Viperarum genere, pecora varia veneno infecerat. Vicinia Oppidi *Zbrzez* positi penes fluvium *Zbrucz*, tenuit animal cum capite, collo, & cauda Serpentis, corpore quasi Anatis, alis Vespertilionis.

XLVII. BUFO seu Rubeta terrestris major, Germ. Kröte, Pol. *Zaba ziemna krostawa, wielka,* veneno plena, muta, in locis humidis, marcidis, in terra, fimo, interdum sub Salvia habitans, telluris limositatibus, lumbricis, rore, apibus &c. vitam conservans. Antipathiam ejus cum Mustela, Talpa, Araneo, Formica, Ruta, *Paullini in Bufone Curioso* describit, salivam statuit admodùm esse venenosam, quâ conspergunt sæpiùs herbæ nascentes, fungi, animalia, &c. Usus Bufonum internus, & externus proponitur in odontalgia, ossiculum è brachio *ab Helmontio* mirè deprædicatum. Bufo arefactus bubonibus pestilentibus, papulis, apostematis, imponitur, vulneri illato morsu Serpentis alligatur, plantis pedum admotus phrenitidi, & febribus succurrere dicitur. Valcii in Majori Polonia, Bufo grandis prodire solitus ex cavo tertæ, incedere noctu per conclave, lucernamque positam humi exstinguere, hic ferventi aqua copiosè effusa, vitâ privatus est, in sua latebra. In Arce Mariæburgensi, inter fimeta vetera, Bufo inventus illius molis, cujus est batillum ferreum ad pavimenta purganda. BUFO PALUSTRIS MAJOR seu Rubeta lacunarum *Schwenckfeldii*, Germ. Wasser-Kröte, Pful-Frosch, Pol. *Zaba błotna*, Rubetæ terrestri similis, colo-

coloris in dorso fusci, in ventre pallidi, in cænosis lacunis paludibusque vitam agens, vox ejus querula, acuta, profunda. BUFO MINOR seu Rubeta minor flammea *Libavii*, Rana fossilis *Agricolæ*, Germ. Feuer-Kröte, furva tergo, ventre pallido sive citrino, maculis punctisque rubris variato, muta, venenata, in vepribus frequens. BUFO PALUSTRIS MINIATUS seu Rubeta palustris minor *Schwenckfeldii*, Germ. Gülden-Kröte, dorsum ejus fuscum, venter albicans, maculis minii colore varius, passim in paludibus, & aquosis scrobibus, degit.

XLVIII. RANA, Germ. Frosch, Pol. *Zaba*, est animal amphibium, quadrupes, oviparum, vulgatæ notitiæ, multiplicis speciei. De generatione Ranarum, earum semine, carne, &c. *Leeuwenhoek in Anatomia* tractat. RANA AQUATICA, Germ. Wasser-Frosch, vulgò Reger, Pol. *Zaba wodna*, innoxia, rariſſimè apud nos in cibum recepta, caro ejus est laxa, humida, putrefactioni obnoxia. Oleum Ranarum levat morbum articularem, emollit duritias, Aqua Ranarum epilepticis cum suis additamentis præbetur, Aqua Spermatis Ranarum articulariis cruciatibus, inflammationibus nobile præsidium, conducit ambustis corporis partibus. RANA AQUATICA SUBCITRINA sublutea, in ventre candicans, vocalis in fluviis, piscinis lacunis, præ aliis ad cibum electa ab aliquibus. RANA AQUATICA VIRIDIS in tergo, in ventre alba, innoxia, edulis est. Hæc *à Ganser in Turrice Corporis Humani*, omnibus Ranis præfertur, si in fluviis, aut in fontibus puris manet. RANA LUTARIA, Germ. Pfül-Frosch, Polon. *Zaba błotna*, formam habet similem fluviatili, coloris lividi, in locis cænosis, in paludibus plerumque vivit, muta, à culinis amota. RANA ARBOREA, Dryophyta *Plinii*, Ranunculus arboreus, Germ. Laub-Frosch, Pol. *Zaba drzewna*, parva, in tergo viridis, in ventre alba, arbores saltu petens, clamosa maximè noctu, venenata creditur esse, si manu viva teneatur, febres fugare dicitur, pinguedo illita, inquit *Schwenckfeld*, dentes sine dolore evellit, secreto non

fallente. RANA HORTENSIS, Germ. Garten-Frosch, Pol. *Zaba ogrodowa*, coloris viridis declinantis ad flavedinem, voce caret, ad mensas non admittitur, veneni particeps, vivit in hortis, pratis, locis umbrosis. RANA CALAMITES parva, similis arboreæ, viridis, muta, venenata, in arundinibus seu calamis potissimùm habitans; à bobus devorata distendens adeò ventres, ut interdum crepent. RANA TEMPORARIA seu Rana pulverigena, pluvia, Germanis Regen-Fröschlein, Pol. *Zaba dżdżowa*, Ranarum omnium minima, ex pulvere & imbre æstivo nata, judiciô aliquorum, in dorso rava, admisto furvo & quodammodo cæruleo seu ferrugineo colore, sub ventre lutea, aliquando pallida, muta, post pluviam apparens, saltitans, venenata, vitæ brevis, nam hyeme non durans. Ranæ an in nubibus interdum generantur, an ex àére decidant, sententiæ authorum variæ, *in Opere Primo pag.* 406. adducuntur.

XLIX. INSECTA, Germ. Ungeziefer, Pol. *Robactwo przewięzyste nasinane*, sunt alia reptilia, sine pedibus, alia gressilia, quibus pedes non desunt, alia volatilia seu alata, alia natatilia. Multa adeò exigua, ut oculorum nudorum aciem penitus subterfugiant, sed per microscopia optimæ notæ, ait *de Lanis in Magisterio Naturæ & Artis*, veniant in conspectum. Veteres existimabant Insecta nasci per solam putrefactionem, seu fermentationem impurorum humorum, absque ullo semine prolifico, aut ovulis, recentiores scrutatores naturæ, inter quos *Redus*, per varia experimenta probat contrarium, confirmat *Sturmius in Collegio Experimentali sive Curioso*, inquiens, Insectorum, quæ vulgò creduntur excrementa, Germ. Geschmeiß, sunt ova, ex quibus Insecta progenerantur. Et *Swammerdamus in Historia Insectorum Generali*, præter numerosos alios, Insectum nullum ex putredine genitum asserit, in primo ortu Nymphas vermiculos esse probat, ordines quatuor mutationum naturalium in Insectis exponit, ope figurarum ad vivum æri incisarum dilucidat. Plurima curiosissima de Insectis *Gadartius in Metamorphosi, & Historia*

Historia Natur. Insectorum, *Rajus in Historia eorundem*, *& in Methodo*, *Frisch*, *Blankart*, *Merian*, *Malpighius*, *Vallisnerius*, *Seba Thesauri Rerum Natural. Tomo IV.* tradiderunt.

L. APES, matres mellis *Varroni*, German. Bienen, Pol. *Pszczoły*, duplices sunt, domesticæ, & sylvestres, quæ in sylvis exercent mellificia, minores prioribus, aspectu horridiores, iracundiores, sed labore præstantiores, secundùm *Leeuwenhoek in Epistolis Physiologicis*, non relinquentes aculeos in corporibus punctis. Species plures Apum sylvestrium, *à Rajo in Historia Insectorum*, descriptæ. Apis caput si quis exactè considerat, ait *Kircherus Mundi Subterranei Parte 2.* illud bovino capiti simile asseret. Plurima digna notitiâ de Apibus *Schwenckfeld in Insectis Silesiæ* annotavit. Frequentia ingens Apum domesticarum est in Volhinia, in Polesia Polona per Palatinatum Kiovienſem protensa, sylvestrium non minor. Plura de Apibus & mellis copia, infra *in Puncto XII. sub numero VIII.* exponuntur. APES TERRESTRES, Pol. *Cmiele*, domesticis sunt breviores, duplò crassiores, hirsutæ, &c. *ab Aldrovando in Insectis* descriptæ. ARANEI, Germ. Spinnen, Pol. *Paiąki*, capite minimo, corpore ut plurimùm rotundo, crusculis octonis. Differunt forma, quantitate, colore, textura, loco. De Araneis in genere & specie Tractatus curiosus editus est *à Lister in Historia Animalium Angliæ.* Lapidem Araneorum prægrandium, capsulis, vitris, &c. per septennium, includorum *Bruckmannus in Epist. de Arachneolitho*, ad fabulas refert, adducit experientiam. Concludimus, inquit *Tylkowski Physicæ Curiosæ Parte 9. de Sensitivis*, in pixide araneum non unum, nullus abiit in lapidem, quamvis detenti septenniô, aruerunt tantùm, & per pixidem nigrum sparserunt venenum, aliqui vero sua tela, pixidem oppleverunt relicto seminio. In contrariam sententiam abit *Dillhenius in Ephemerid. Germanicis*, Araneum, inquit, scatulæ foramine unico supernè perviæ inclusi, hic ultra trimestre spatium sine ullo alimento vixerat tandem exstinctus est. Lapillus non in Araneo ipso dissectò inventus, sed in tela circum-

circumtexta, grano milii non decorticati æqualis, rotundus, albicans, minùs durus, cum apophasi fusca. Et *Francus Medicus Ulmensis* fide partim propria, partim Civium duorum fultus, Araneorum lapillos tres coloris varii descripsit. Araneus stellatus domesticus, Araneus sphæricus, Araneus muscarius, Araneus longipes, Araneus terrestris seu terram inhabitans, Araneus gramineus totus viridis, Araneus subrubeus, Araneus luteus *à Schwenckfeldio* ad paginam deductus. COCHLEÆ TERRESTRES seu Cochleæ edules, Germ. Schnecken, Pol. *Slimaki*, passim in vineis, pomariis, frutetis, sepibus degunt, accipiuntur Martio, & Aprili mensibus, alio tempore cibo inutiles, commendantur phthisicis. CRABRONES, Germ. Hornnußen, Pol. *Sierszenie*, Vespa vulgari duplò majores, formâ ad ipsam accedentes, favos sive anthrenia, quàm Apes vel Vespæ artificio, nunc in arborum truncis, nunc sub earum radicibus in terra efformant, Apes ita prehendunt, ut Accipitres aves, duces habent. CULICES, Germ. Mücken, Pol. *Komary*, quadruplices sunt, arborum, fimetrarii, paluſtres, vinarii. Culices in Polesia Polona frequentissimi, majoresque quàm alibi. ERUCÆ, Germ. Raupen, Pol. *Gąsienice*, ab erodendo dictæ, quòd folia arborum & olerum erodant, fusè descriptæ *à Rajo in Hist. Insect. à Gedartio in Metamorph. Insect. à Schwenckfeldio.* FORMICÆ, Germ. Ameisen, Pol. *Mrowki*, si annosæ fuerint elaborant mel candidissimum, intrà terram, quod in autummo, vel in principio veris, quæritur sedulò, nec facilè, nec apud omnes invenitur. Mel istud melli Apum si permisceatur, diluatur aquâ, & porrigatur Apibus, auget earum vires, ut fætus numerosè producant, strenuè laborent. *Kącki de Apiariis Cracoviæ Polonicè impressis.* Formicarum genus dum senescit, ait *Cardanus*, alatum efficitur, sed ab editis alis parum supervivit. Sylvestres Formicæ ex arboribus defluentis picis optimos grumos in terram deferunt, qui ita calore particulas humidiores expellente foventur, ut sæpe in massam confluant, de terra eruti vendantur,

dantur, pro thure. FUCI, Apes imperfectæ *Plinii*, Germ. Bruth-Bienen, vulgò Threnen, Pol. *Trądy*, Russis *Trutnie*, Apibus similes, sed majores, sine aculeis. Adducit observationem *Gomesii Kircherus Mundi Subterr. Parte 2.* à quo Fucus prehensus, digitis & ungue dum comprimeretur, ruptis visceribus, in posterioris partis pellicula, bovini capitis figurâ, cum expansis cornibus, rostro adunco, affabre formatâ emersit. Hoc idem in aliis quinque Fucis, simili modo pressis, præfatus author expertus. Opera sola in calefaciendis fætibus Apum, Fuco attribuitur à veteribus, Apiarii Russi affirmant, quòd etiam aquam labori suppeditet, & quia non mellificans alimenta consumit, imminente hiberno tempore, spoliatur alis, vel pellitur ex alveari. Fucus quòd mel non devoret, *Kącki, in Doctrina de Apiariis* tradit, adducens experientiam ex præfocatis plurimis Fucis natam, in quibus nihil mellis repererat, nec odorem succi mellei perceperat. GRYLLI, Germ. Hummel-Mäusgen, Gryllen, Pol. *Swierczę*, ex Locustarum genere sunt *Aldrovando*, Cicadæ similes, domestici, & campestres, ex quibus masculi solùm cantillant, *Rajo in Methodo Insectorum* asserente. GRYLLO-TALPÆ *Wormii & Muralti*, Pol. *Niedźwiadki*, sunt insecta *Erndtelio in Varsavia Physicè Illustrata*, superantia fere minimum digitum longitudine, & crassitie, quibus ex ano utrinque fibræ duæ pilosæ egrediuntur, alvus ex octo plicis squamatis leviterque hirsutis, castanei coloris, constructur, dorsum alis binis acuminatis tegitur, pedes sunt quatuor, in extremitate bifurcati, pectus munitur scuto testaceo paululùm hirsuto, ad latera capitis utrinque branchiorum loco, processus duo geniculati, duri, ac instar chelarum, serrati exstant, Talparum pedibus simillimi, caput intrà sinum scuti latet acuminatum & barbatum, cornuaque duo infra oculos, & post nasum eminent. Hoc insectum in hortis præsertim, magnum sementi ac radicibus infert damnum, & communis præterea apud hortulanos est traditio, læsionem ab ipso homini inflictam esse pernicioſissimam, carnemque inde ita exedi, ut decidat

per frusta, unde ut Scorpius metuitur à quibusdam, nomenque idem Polonicum etiam traxisse videtur, *Niedzwiadek* enim Ursulum apud Polonos denotat. De venenositate hujus animalculi nullam certam allegare possum experientium. Eadem Gryllo-Talpa, quæ reliquis est hirsutior, periculosior simul esse creditur. HIRUDINES seu Sanguisugæ, Germ. Eglen, Blut-Igele, Blutsäuger, sunt insecta paludstria, instar lumbricorum oblonga, lubrica, lineis & punctis nigris varia, os eis trisulcum, quod ex vulnere cuti inflicto apparet. Hirudines minores spectantur subfuscæ, subvirides, nigræ, variæ, majores equinæ dictæ, nam equum sugentes plures occidere valent. LIBELLÆ, Italis *Perle*, Polon. *Koniki*, *Skoczki*, *à Mouffeto in Theatro Insectorum*, propositæ, *à Jonstono in Historia Naturali*, in maximas, medias, minimas divisæ. Corpus oblongum, teres, in tres partes divisum, alæ quatuor longæ, cartilagineæ, pedes posteriores longi, caudæ bifurcatæ. Animalcula ad Vistulæ, aliorumque fluviorum littora, æstatis tempore, frequentissima, quæ ad Libellas vel Perlas ab authoribus referuntur. Illa species autem, de qua hîc loquor, ait *Erndtel in Varsavia Physicè Illustrata*, hoc singulare habet, quòd præter Libellarum aliarum modum, tota sit coloris cerei, & cauda bifida longissima, vel duabus setis in insignem longitudinem productis sit instructa, cum notæ hactenus Perlæ ferrugineum, & viridem lucidum in corpore habeant colorem, setis autem longioribus penitus careant. In Prussia hæc insecta vidi, longè quàm Varsaviæ copiosiora, præsertim circa Mariæburgum, ad fluvium Nogat, ubi circa Festum S. Joannis, aliquando fluvium fere totum contegunt, piscibus in escam cedunt. Hoc animalculum à quibusdam habetur pro Ephemero, & verum id est, quòd nonnisi per dies paucos conspiciantur, circa illud tempus, fluminibus & rivis innatantes hæ Libellæ. Apud nullum, quos mihi inspicere licuit, authorem, veram hujus iconem invenire potui, nisi apud *Blancardum in Theatro Insectorum*, *Tabula XII.* ubi litera G. sub Ephemeræ ex Galliis transmissæ nomine, hoc

no-

noſtrum animalculum perfectè exprimitur. LOCUSTÆ, Germ. Heuſchrecken, Pol. *Szarancza*, ſunt *Kirchmajero in Disputatione de illis*, inſecta gradientia, ſalientia, volantia, vaga & inſtabilia. Corpus habent asperum, caput inſtar equi, frontem anguſtam, oculos præduros ac eminentes, dentes acutos, alas membranulis conſtantes, fragiles, pedes ſex obtinent, Rege carent, prodeunt tamen univerſa per turmas ſuas, volantque ordinatè. Non ſolùm morſu, pascuis, ſegetibus, pratis, hortis, pomariis, nocent, inquit *Mouffetus*, ſed etiam ſtercore nigro, viridi, mordace, gravi, bilioſaque imprimis atque acri ſaliva, quam multam ex ore inter rodendum fundunt. Locuſta à *Rappolt Truſſo* ita deſcribitur: caput magnum habet, labia quinque, dentes molares binos nigerrimos, permagnos, craſſos, duriſſimos, totidem inciſores, quibus omnibus frendere ſolet, lingua curta, craſſa tamen & ſubdura, oculi proſtantes, magni, ac fixi. Totum caput galea cornea duriori armatum, duplicique criſta ſuperbiens, os redundans ſalivâ, collum, & humeri lorica cornea duriore, cuculli demiſſi formam referente, induuntur. Thoraci à tergo adnatæ ſunt alæ quatuor, quarum binæ ſuperiores maculatæ. Sub pectore ſex pedes obſervantur, minores quatuor, quorum primum par cucullo adnatum eſt, alterum medio pectori, in regione primæ coſtæ, &c. Binis pedibus longioribus à terra ſubſaltat, menſuram corporis ſui vigeſies ſaltu ſuperante, quatuor prioribus culmum cingit, quo abſciſſo, ſpicam in terram delabentem ſequitur, nullo negotio evacuandam. Mas femellâ gracilior ac minor eſt. In feminis ovarium magnum, & plus ducentis ovis oblongis, flaviſſimumque laticem continentibus prægnans. Species ſexdecim Locuſtarum *Schwammerdamus in Hiſtoria Inſectorum*, exponit, plures mares eſſe, quàm femellas *Willughby* tradit. Celeri alarum ad pedes poſteriores affrictu pleræque ſtridorem edunt, nonnullæ alarum mutuo ad ſe alliſu, ſecundùm *Rajum in Methodo Inſectorum*. In lucem editæ *Scufonii Obſervationes circa Locuſtas, & Ephemerid. Academ. Cæſareo-Leopold.*

insertæ. Leguntur *Treuneri Phænomena Locustarum*, præcipuè nuperrimarum Jenæ, datur *Crellii Dissertatio de Locustis in Germania*. De differentiis earundem *Mouffetus* scripsit, *à Jonstono* ad figuras æneas sunt deductæ. Ukraina Regio Cosacorum, æstate sicca, infestatur Locustarum examinibus, eò perductarum Solano, aut Vulturno vento, sic ut sereniſſima tempestate, àérem obscuriorem reddant, & consumant frumenta. Ponunt ova in autumno, deinde moriuntur, ex ovis autem, quorum ducenta, vel trecenta ponit quævis Locusta, exclusis proximè sequente vere, denuo producitur copia tanta Locustarum, quæ majus longè damnum prioribus inferant, nisi pluvia enecet ova, & insecta ipsa, aut nisi exoriatur Aquilo, vel Corus, quo ferantur in Pontum Euxinum. Porci etiam regionis istius avidè devorant ovorum magnam partem. Fatigatis Locustis humus cubile est noctu, quam, in altitudine trium, quatuorve digitorum occupant. *Oldenburgius in Actis Philosophicis Societatis Regiæ Anglicanæ, ex Beauplan. Descriptione Provinciarum Poloniæ.* Anno 1084. Locustæ Russiam populabantur. *Fritschius in Catalogo Prodigiorum.* Anno 1476. insecta eadem totam fere Poloniam vastârunt. *Idem ibidem.* Sub exortum Cosaticorum, & Tartaricorum motuum, Locustæ visæ in iisdem locis, in quibus est tumultuatum. Tantum earum agmen postquam consederat, equorum ungulas in viis obtegebat. Mirùm non ulteriùs rabiem eam rusticam progressam, quàm istæ pervenerant. Nondum Lublinum attigerant, versis velis, Orientem à quo ferebantur, repetiêre. *Jonstonus in Historia Naturæ de Insectis.* Invaserant Locustæ Volhiniam anno 1710. ultimis diebus Augusti, nec tantùm maturas messes, sed recenter concredita semina terræ, & excrescentia nonnihil in gramen, radicitùs absumpserant, postea relictis ovis, frigore sunt exstinctæ. Sequenti anno, ex recondito semine in terra, prodiere novæ ad inferenda solita damna. Multitudo circa *Polonne*, casas villanorum ita impleverat, ut vix cibos sumere, quieti indulgere permitteret. Anno 1719. circa Niemieroviam, & non procul

cul à Civitate Leopolienſi, Locuſtæ ſegetes, &c. depascebant. E Palatinatu quodam Regni noſtri Locuſtæ quædam fætus teneros impoſitos dorſo transferebant, volando ad loca alia, ſpectante viamque peragente *Viro Religioſo de Societate Jeſu.* Ad Czerniechoviam Urbem Poloniæ, puer relictus in campis, à Locuſtis eſt conſumptus. *Collectanea Naturæ & Medicinæ impreſſa Lipſiæ anno* 1722. Anno 1728. diebus Junii, in Territorio Wschowenſi, & alibi, Locuſtæ damna inferebant. Sequenti anno, parvæ alisque deſtitutæ in Palatinatu Posnanienſi apparuêre. Anno 1730. Junio menſe, inſecta eadem, ad Wſchowam, Lesnam, Ravicium, Mederecum &c. volatum, damnaque promoverunt. Hæc de Locuſtis, quæ Exercitus Dei ſunt appellatæ, Ægypto, & Judææ ſubindè in pœnam immiſſæ. MUSCÆ, Germ. Fliegen, Polon. *Muchy*, inſecta volatilia, bipennia, notiſſima, differunt magnitudine, forma, & colore. Musca grandior cærulea, vulgari major, ex cæruleo nigricans, magna bombilatione ſtrepitum, & ingratum ſuſurrum edens. Musca viridis, Muscæ vulgari, magnitudine & forma ſimilis, præter colorem, qui Smaragdi viret more. Musca verſicolor habet caput & pectus, inſtar Smaragdi virens, alvum Hyacinthi fulgore radiantem, alas quaternas fuscas. Præter has, ponitur *à Schwenckfeldio*, Musca grandior oculata, Musca grandior oculata verſicolor, Musca caudata. PAPILIONES, Germ. Zwieſpalter, Pol. *Motyle*, inter inſecta alata ponuntur, in diurna, nocturna, magna, media, minima dividuntur, coloris candidi, lactei, lutei, nigri, ferruginei, &c. Species Papilionum *Aldrovandus* depinxit centum octodecim, *Mouffetus* octoginta ſex, *Gedartius* octoginta quinque, *Rajus* plurimas; *In Muſeo Kleiniano* Gedani, Papiliones ſexaginta ſpecie differentes, in Pruſſia capti, aſſervantur. SCARABÆI CORNUTI ſeu Scarabelaphi *Cardani*, Cervi volantes, Germ. Gehörnte Käfer, Pol. *Jelonki*, caput eorum cum thorace obſcurè rubet, alarum vaginæ caſtanei coloris, cornua rubentia, inſtar vitri ſplendentia, ramoſa, oculi ex fusco rubei, pedes ſeni, &c. Scara-

bæus ex Russia allatus, toto corpore infuscatus, juncturas globosas septem vel octo habens in cornibus. *Jonstonus in Historia de Insectis.* Scarabæorum cornutorum est multitudo ingens inter rupes Podoliæ, ex quibus aliqui digiti minimi sive auricularis attingunt extensionem, alibi sunt minores. Alii Scarabæi dicti pilularii vel stercorum, Polonis *Krowki*, Scarabæi Majales seu Cantharides unctuosæ, Scarabæi rutili majores, & minores, Scarabæi bufonii, &c. *à Schwenckfeldio* propositi. SETÆ AQUATICÆ seu Pili aquatici, Germ. Wasser-Säyten, Pol. *Włosy wodne*, insecta ab exilitate vocata, quòd ut pili equorum caudæ sunt, longitudinis cubitalis. TABANUS, Germ. Brame, Pol. *Bak*, *Slep*, è muscarum majorum genere, vulgò Musca caballina, armentis infesta, corpore obeso & crassiore, caput nigrum, in cujus fronte antennæ duæ obscurè rubentes porriguntur, oculi conspicui nulli, thorax superior fuscus, &c. VESPÆ MAJORES, Germ. Grosse Wespen, Pol. *Osy*, Apibus fere similes, aculeatæ, nidos in arboribus cavis, in tectis, in terra figentes, cellas sexangulas & favos habentes, Apes maximè infestantes, singulari proprietate gaudentes contra quartanam, hyeme pereuntes defectu pabuli. Vespæ minores prioribus, ferunt alvum flavi & nigri coloris, pedes & antennas longas, valde tenues flaventes, nidos ad parietes, fenestras, arbores, suspendunt. VERMES INSOLITI, anno 1638. Septembri mense, in ditionibus fere omnibus Russiæ seu Roxolaniæ, sic sementem corroserant, ut vix alicubi spes appareret in herba. Visi in Regno nostro vermes oblongi, rubri, habentes in alis planis crucem nigram expressam. *Rußel in Thesauro Crucis Dominicæ.* Polonus nobilis *Białobrzyski* homo plethoricus, carnosus, gravissimè laborans scorbutô, cum maximo dolore lumborum, & calculi suspicione, post medicamenta nephritica sumpta, arenulas excrevit aliquoties, cum insectis vivis nigricantibus, formâ Scorpionis, magnitudine minima, quæ vixerant per triduum. *Bartholinus in Centuria IV. Histor. Anatomicarum.* Vidua *Georgii Sperling* Mercatoris Gedanensis,

passa

passa est vermem in capite, qui admotâ cepâ in cineribus assa, per aurem dum prodire conatur, extractus est. *Ephemerides Physico-Medicæ Germanicæ.* Vermiculus albus, cuticulæ durioris *à Wendland Pharmacopola & Cive Elbingensi*, sublatus, è palpebra pueri rusticani, annorum duorum. Hic vermis consumpsit, vivendo diebus quatuor, amygdala dulcia duo. *Ephemerides eadem.* Puella annorum duodecim, Torunii ejecit vomitu vermem spithamam longum, crassitie minoris digiti, in capite rubicundum, in corpore album. *Ephemerides eadem.* Serpens formidabilis ingrediens os & ventriculum uxoris *Jacobi Zielemers Sartoris*, in pago Crudentz prope Gedanum degentis, ibidemque fœtum excludens describitur in *Novis Literariis Maris Balthici & Septentrionis anno* 1700. *editis.* Virgo Deo dicata Cracoviæ, ingenti dolore capitis affligebatur diutiùs, tandem post uberes effusas lacrymas, post orationes prolixiores, dum sternutat, per nasum simul cum sanguine, vermis coloris albi, teredini similis erupit, liberamque fecit à cruciatibus. Puer Gedani, currente sæculo, post sumptam casu tincturam corallinam Millepedes, qui Polonis *Stonogi*, rejecit vomitu. De Millepedum vomitu, *Schurigius in Chylologia pag.* 499. videatur. In Minori Polonia, Rana ejecta est à quodam per vomitum, unà cum numerosissimis aquatilibus viventibus, exiguis, nigris, tabellæ ansatæ formâ, quæ vernaculè *Kianki*, *Praczyki*, denominata. In Prussia, post medicinas à quodam Chimico datas, è Nobili Viro vermiculi tam numerosi prodiêre simul cum lotio, ut pugillos duos implere potuerint. Grodnæ, anno 1732. Faber ferarum post sumptam medicinam Lacertas, & vermes varios movit ex stomacho. Colloquia cum Medicis peritis ac Chirurgis si instituentur, sæpius vermium extraordinariorum, variorum numerum grandem hi adducent, ex artis specimine corruptos humores, sanguinis vitium exhibendo, cæteraque scrutando.

PUN-

PUNCTUM IX.

DE AUIBUS FERIS, ET FAMILIARIBUS.

I.

AUES, Germ. Vögel, Pol. *Ptacy*, *Ptaßki*, sunt animalia volatilia, sanguinea, rostrata & pennata, magnitudine, forma, coloribus, cæterisque qualitatibus, inter se diversa. Aues terrestres in locis siccioribus plerumque degunt, aquaticæ in aquis, vel circa aquas versantur. Inediam volucres aliquæ ferunt, tempore longo, nam *Redus in Observationibus de Animalculis in Corporibus Animalium Vivorum repertis*, ait, quòd Vultur sine cibo vixit unum & viginti dies, Accipiter octodecim, totidem Buteo, Aquila regia viginti octo diebus. Grana quævis fæce vini, & Cicutæ succo imbue, & auibus objice, omnis auis inebriabitur. Volucribus & Piscibus Poloni abundant. *Æneas Sylvius in Europa.* In Poloniæ Regno, Nobilitati & Urbanis delicatus est victus, mensæque eorum tum alitibus omnigenis, tum feris animalibus, tum piscibus usque ad luxum interdum onerantur, aromatum maximus quotidie usus. *Starowolski in Polonia.*

II. ACCIPITER CYANOPUS, seu Falco hyacinthinus *Alberti M.* id est cæruleis pedibus, Germ. Blau-Habicht, Polon. *Rarog*, idem vocatur *Rarog Polak*, & *Rarog Krzeczot*, ex descriptione *Schwenckfeldii in Auiario Silesiæ pag.* 256. est ferox, corpore grandi, punctis & notis quibusdam stellas referentibus respersus, ideò *ab Ebero & Peucero* Accipiter stellaris dictus, oculi varii, pellucidi, circulus aureus, pupilla nigra,

nigra, corpus oblongius, crura seu tibiæ, respectu femorum, breves ac crassæ, pedes magni, crassi, cærulei seu azurini, dorsum, alæ superiores, & cauda Indici coloris. Venatur Perdices, Coturnices, Cornices, Columbas, &c. nidificat in arboribus excelsis montium. In Palatinatu Russiæ, non procul ab Oppido *Sołotwina*, & alibi, nidum ponit in petris, capit Anseres, Grues, Lepores. Non deest in Sylva vasta Kluczkoviensi Terræ Vielunensis in Podlachia, in Lituania circa Brestam, Albam Ducalem, *Biała* vernaculè, in Pokutia.

III. ACCIPITER PALUMBARIUS seu Falco Columbarius, quòd Columbas potissimùm persequatur, Germ. Tauben-Falcke, Pol. *Jastrząb Gołębiow*, apud *Willughby in Ornithologia*, Buteone vulgari major, in supina parte fuscus, in pectore & ventre albus, transversis lineolis nigris variegatus, crura & pedes flavi, ungues nigri, alæ complicatæ, ab extremitate caudæ multùm deficientes, quâ notâ, & magnitudine sua, ab Accipitribus omnibus distinguitur, Anseres, Grues, aves majores & minores invadit, Lepores rapit. Secundùm *Schwenckfeld*, dorsi, colli, verticis, alarum & caudæ color fuligineus, pectus, venter, maculis ex fusco rubentibus, flavis, candicantibus distinguitur. Rostrum coloris cornei, breve, crura flaventia obtegunt plumulæ villosæ, subobscurè rufæ ex femoribus dependentes, ungues insigniter hamati, nigerrimi. Icon alitis hujus *apud Bellonium* exstat.

IV. ACCIPITER FRINGILLARIUS *Alberti*, *Gazæ*, Accipiter minor *Gesneri*, Nisus *Junii*, & aliorum recentiorum, Germ. Sperber, vulgò Sperwer, Pol. *Krogulec*. Nisus dicitur à conatu, nisu, quòd aves se majores rapere nitatur, rostrum obtinet breve, subcæruleum, crassum, modicè uncum, iris oculi intensè flava, vertex, collum, dorsum, alæ coloris castanei, nigricantis, obscurè fusci, tibiæ & pedes lutei, ungues nigri, incurvi, cauda supina tota fusca, lineis quatuor transversim ductis per intervalla, notata. Citò mansuescit, velox ad volatum, Fringillas, Alaudas, Coturnices, Perdices,

venatur. ACCIPITER MACROPTERUS cum alis complicatis, ad extremitatem caudæ fere pertingentibus, circa fluvios, lacus, & maris littora, in Prussia spectatur, pisces capit. ÆSALON vel ÆSALO *Junii*, *Turnebi*, Merillus *Isidori*, Falconellus, Germ. Smirle, Pol. *Drzemlik*, ex genere Accipitris cyanopi esse dicitur, sed minimus.

V. ALAUDA, Germ. Lerche, Polon. *Skowronek*, avis parva, canora, &c. Alauda non cristata *Aldrovandi*, Alauda terrena, German. Feld-Lerche, in campis degit, gracile & rectum rostrum habens, pedes obscurè flaventes, cinerea, maculis fuscis respersa, præter ventrem, qui albidus est, & inclinans ad flavedinem, vescitur granis, vermiculis in agris, in arboribus nunquam consistit; prima avis, quæ tempus vernum cantu prænuntiat. Alauda cristata seu Alauda capellata, Alauda viarum, Germ. Heubel-Lerche, magnitudine & colore, canoræ fere similis, rostrum longiusculum, acutum, aliquantùm recurvum, dorsum cinereum albo maculatur, venter & pars alarum interior albicant, cauda nigricat, & hæc avis canora est, sed prior præfertur, rarò evolat, & evecta alis statim procumbit, in viis sæpe obvia, Pol. *Dzierlatka*. Sanguis recens ex aceto acerrimo, aut vino generoso calido haustus, calculosis efficacissimè subvenire fertur. Alauda arborea seu sylvatica, Alauda cristata minor *Aldrovandi*, Germ. Wald-Lerche, cristam gerit, corporis color subfuscus, parte prona albicans, pedes subrubei, cantilenam nullam peculiarem edit, gregalis est. Alaudarum carnes saporis boni, succi laudabilis, comestio tamen copiosa illarum minùs probatur *à Michaele Valentini in Actis Physico-Medicis Acad. Naturæ Curiosorum*. Maxima frequentia Alaudarum non cristatarum notatur, iter agendo Inovladislaviâ Bidgostiam, *Redâ* Gedanum, & alibi in Provinciis multis. De Alaudarum captura *Balbinus in Historia Naturali Bohemiæ*, de venatione alitum aliarum, *Olina in Aviario* videatur. Ad Gedanum in Schottlandia, Alauda vixit in cavea viginti quatuor annis. ALAUDA PINETI, Pol. *Skowronek borowy*, *Lerka*, *Ledwuchna*, coloris ravi, rubricosi, in aurora suaviùs canens.

VI.

VI. ALUCO MAJOR, Germ. Huhu, Nacht-Vogel, Polon. *Lelek*, ex genere avium nocturnarum prædatricum, secundùm *Aldrovandum*, habet corpus denso plumarum tegmine vestitum, quod in causa est, ut Caponem æquet magnitudine, si verò denudatur, vix par pullo gallinaceo. Alæ magnæ ita, ut ultra ultimam caudam protendantur. Hoc peculiare, ut palpebram à summo oculo ad imum adducens conniveat, auriculis seu cornibus caret, sed horum loco, habet veluti coronam quandam è plumis constructam, quæ faciem totam obit, oculi magni, atri, pectus, & venter albescit, rostrum album, & admodùm aduncum, ungues adunci, crura plumis candidis, pedes pilis conteguntur, dorsum colore plumbeo, notulis albidis variegatum. Eadem avis transversim inter volandum fertur, captum sive animalculum, sive aviculam, sive murem integrum deglutit, tam ampla enim gula est, ut bolos ovo majores integros transmittat, neque aliud quidpiam cibi assumere aggreditur, antequam devorati animalculi ossa, pilos, plumasque à reliqua carne secretas rejiciat ac revomat. ALUCO MINOR *Aldrovandi*, in multis priori similis est, nec Columbam domesticam magnitudine excedit. Anterior corporis pars plumulis candidis cincta videtur, quas circulus luteus ambiens claudit, oculi nigerrimi, rostrum album non adeò aduncum, pectus, venter, alæ interiores, femora, plumis cinereis teguntur, cauda rufa lineis transversis distinguitur. Tibiæ, & pedes villis horrentes, nonnihil rubent, binis ante, & totidem retrò digitis instructi, unguibus longis, validis, acutis, atris, armati. Aluco minor rariùs conspicitur, quàm major, invenitur in locis campestribus, in rimis antiquarum turrium, quercuum cavernis, præruptis locis.

VII. ANAS FERA, Germ. Wilde Ende, Pol. *Kaczka dzika*, plurimi generis est, propter fluviorum, lacuum, stagnorum frequentiam, & Balthicum Mare vicinum Prussiæ. ANAS CAUDACUTA *Aldrovandi*, Anglis *Sea Pheasant*, de ea *Willughby* habet sequentia: caput gracile, collum longiuscu-

lum, mandibula inferior penitus nigra, ſuperior partim cærulea, partim nigra, color plumaginis in toto corpore ferrugineus ſeu brunneus. Prona pars tota, collum, pectus & venter albicant, plumæ ſub cauda nigræ, pedes cinerei, aut plumbei, &c. Incola eſt Pruſſiæ, in locis maritimis. ANAS FISTULARIS *Willughby*, Penelope *Aldrovandi*, habens caput, & collum ſuperius coloris rubei, non ſinè maculis nigricantibus. Pectoris partem ſuperiorem, ut & laterum, ad alas usque viciniores, color pulcherrimus ornat, cum lineolis transverſis nigris creberrimis, pennæ ſcapulares, ut & laterales, ſub alis, lineolis transverſis nigris, & albis alternis undulatis pinguntur, medium dorſum fuscum, pectus, & venter albus, pedes ex fusco albicante plumbescunt. ANAS LATIROSTRA MAJOR *Gesneri*, Anas platyrinchos, Anas Schellaria, Clangula *Fabricii*, German. Breitſchnabel, magnitudo ejus *Schwenckfeldio*, Anatis mediocris, roſtrum duplò fere latius, ungue corneo anteriore, & latiore parte donatum, undique aculeis, ſetarum inſtar, ſerratum, nigrum, caput ad medium collum ex rubicundo fuscum, pennulis ex cæruleo viridantibus, collum dilutè cinereum maculoſum, gulæ pars inferior alba, venter ſpadiceus, oculi luteoli pupillam cingunt cæruleam, pedes coloris minii, unguiculi fusci: inter volandum, crepitaculorum ſonum alis repræſentat. ANAS FULIGULA I. *Gesneri*, Mergus cirratus minor ejusdem, Querquedula criſtata, ſeu Colymbus *Bellonii*, & *Willughby*, à quo ita deſcribitur: roſtrum, præter apicem, qui niger eſt, obſcurè cæruleum, caput, præcipuè vertex obſcurè purpureum, ad nigrum vergens, aut potius nigrum, cum aliqua purpuræ mixtura, unde Venetiis, & alibi in Italia, *Capo nigro* dicitur. Cirrus ab occipite retrò dependens, color in cervice, ſcapulis, dorſo, parte ſupina, fuscus obſcurior, & propemodùm niger, alæ breves, tegetes omnes nigræ, cauda perbrevis, crura brevia, & poſteriùs ſita, pedes lividi, aut obſcurè cærulei, membranæ connectentes digitos nigricant, digiti longi, corpus breve & craſſum, latum.

Tra-

Trajecta globo plumbeo in Capitaneatu Lemburgenſi prope Lebam. ANAS NIGRA *Aldrovandi* apud *Willughby*, *ex Jochſon* deſcriptione, Anate vulgari major, roſtrum latum & breve utrinque flavescit, medio nigricat, cum unco rubro, caput, & pars colli in nigro virescit, pedes, & crura externa parte rubra, internâ citrina, membranæ & ungues nigri, corpus reliquum totum nigrum, præter lineam uncialem transverſam, albam in medio alarum, & maculam ponè oculum utrumque albam. Plumæ totius corporis adeò molles & delicatæ, ut Anas holoſerica non immeritò poſſit nominari. Apud *Aldrovandum præfatum* Anas eadem eſt nigra, roſtro nigro, rubro, & luteo, à Gothlandis *Swärta* denominatur, incubat novem vel decem ovis, comparet in Pruſſia. ANAS CRISTATA VI. *Schwenckfeldii*, Germ. Straus-Ende, colore vario ornata, venter totus candidus, dorſum cum ſplendore nigricat, remiges pennæ, cum cauda, ex fusco, linea alba longiuscula dorſum ab alis ſeparat, caput totum, cum vertice criſtato retrorsum reflexo, ſplendidè viret, roſtrum digitos tres longum, latiusculum, ſerratum, nigrum, oculorum circuli crocei, pedes flavi. ANAS ERYTHROCEPHALOS, Germ. Brandt-Ende, in capite, collo & pectore rubet colore hepatis, roſtrum fuscum, latum, linea fusca à collo ad dorſum porrecta, dorſum, cauda, & alæ nigricant, venter albicat, maculis flavis reſperſus. ANAS MEDIA *Schwenckfeldii*, Germ. Mittel-Ende, vertex ejus niger totus, & media alarum pars, pectus albis, nigris, cinereis pennis variè maculatum, venter, & alæ interiores albæ, dorſum cinereum, alarum ſuperiores & majores pennæ cinereæ, mediæ partim rubent, partim nigro, partim albo colore transverſim diſtinguuntur. Paſſim occurrit in locis paluſtribus. Species Anatum numeroſæ *ab Aldrovando*, *à Schwenckfeldio in Aviario Sileſiæ*, enumerantur. Stagna ſeu lacus artefacti aliqui in Podolia tenent Anates fuscas majores vulgaribus, roſtrô longô, caudâ explicatâ, nec non arrectâ inſtructas. Anates toto corpore albæ, ſi ventrem

rubescentem demas, innatant Tyræ ad Samboriam, alibi aliis fluminibus, hæ ornant pileos cute simul cum plumis detracta. In Prussiæ aquis, & in fluvio *Prypec* Polesiæ, Anates latirostræ, Russis *Płytynosy*, versantur, in eodem fluvio &c. Anates magnæ, vernaculè *Sleßenie*, aliæ cum lata extremitate pedum, *Hradice* denominatæ, aliæ albæ, cum collo ac rostro longiore, spectantur. In Ukraina Anates, Cosacis *Hohole* sunt bicolores, id est plumis albis & nigris vestitæ, rostra lata habentes, aliæ rostro oblongo, crasso, nigro, à natura donatæ. Querquedulæ minores Polonicis, patrio idiomate *Cyranki*, & Anates subnigræ, piscium odorem edentes, Volhiniæ, Russiæque stagnis majoribus innatant. Prope *Rozanke* Oppidum Palatinatûs Brestanensis, flumen *Bug* fert non rarò Anates coloris nigricantis, superantes mole vulgares. Anates aliquæ hiemare solent, in locis irriguis, quæ non congelantur; quandoque verno, æstivo & autumnali tempore, associantur ita domesticis, in piscinis, ut unà cum eis, ante noctem, ingrediantur clausuras. In Mari Balthico vicino Cassubiæ, Anates variegatæ ferunt rostrum gracile, in extremitate crassum, pedes magis natatui, quàm incessui accomodatos. Ad Mare idem, Anates magnæ, latirostræ, sibilantes, (fert fama) quòd nidos ponant in cavernis, ut ibi excludant ex ovis pullos. Adsunt Prussiæ & Anates latirostræ, fuscæ, cum alis partim albis, partim cæruleis, partim virescentibus. In loco Putzkerwick nominato, ad *Okswia* pagum, & alibi, Anatum variarum est ingens numerus. Gedanum, anno 1628. post Festa Pentecostes, multitudo tanta Anatum ferarum est advecta, quanta ab annis plurimis non est visa. Sæpe currus duodecim, scaphæ aliquot oneratæ hisce volucribus, adducebantur. *Ex Historiis Curiosis ejusdem Civitatis, & Hennenbergeri Explicatione Tabulæ Majoris Prussicæ.* In fluviis aliquot ex paludibus longissimis latissimisque prope Pinscum Urbem Palatinatûs Brestianensis multitudo stupenda est Anatum, ideoque ibi una, Prussico grosso non rarò emitur.

VIII.

VIII. ANSER FERUS, German. Wilde Gans, Pol. *Gęs dzika*, minor est Anſere domeſtico, ſed figurâ corporis ei ſimilis, deſcriptus *à Schwenckfeldio*, alta àéris petit, volatque more Gruum, ordine literato, ad lacus & piſcinas majores frequens, palmipedum de genere eſt, nam digitos membranâ ſibi invicem conjunctos habet. Caro dura, nigricans, & difficilis concoctionis. Lingua aſſata calculoſis commendatur. In Volhiniam, anno 1722. Martii diebus primis, advolârunt Anſerum greges numeroſiſſimi, & prope *Oſtrog*, *Doroſtaie*, *Poberylce*, &c. ad flumina, & ſtagna conſederant. Ingens volucrum earundem turba ad *Pańkowce* pagum, occupare ſolet ſtagnum continens *Horiń* fluvium. In Cujavia, ad *Gopło* lacum non minor frequentia. ANSER ARBOREUS *Gesneri*, Anas arborea *Schwenckfeldii*, German. Baum-Gans, Pol. *Gęs, Kaczka drzewna*, multò minor Ansere fero, Anatis magnitudine, caput, roſtrum, collum pronum, dorſum, alæ, cauda coloris nigri, circa oculos, & in collo ſupino albicat, ubi & maculis cinereis notatur, pedes lati & fuſci, nidificat in arboribus cavis, in nidis Cornicum, & Ciconiarum, volat more Anſerum ferorum, caro eſt minùs ſuavis. ANSER MARINUS, Germ. Meer-Gans, Pol. *Gęs morska*, Lari ſpecies maxima, ſupernè nigricat, infernè albet, collo longo & roſtro, caudâ breviſſimâ, palmipes, innatat Balthico Mari, etiam prope Fortalitium Mundenſe, interdum ſpectatur ad os Viſtulæ: qui in lacubus apparet, non eſt verè Anſer marinus, ſed minor & alterius ſpeciei.

IX. AQUILA CHRYSAETOS à Græcis dicta, Latinis Aquila quaſi aurea ſeu fulva, Germ. Adler, quaſi Adel-Aar, Pol. *Orzeł przedni*, ſola genuina eſt, & legitimorum natalium, omnium maxima, fortiſſima, nec non Aquilarum pulcherrima *Aldrovando Ornithologiæ lib.* 2. icon illius ibidem poſita, deſcriptio eſt talis addita: ab extremo roſtro, ad ultimam caudam commenſurata, quinque dodrantum longitudinem explebat, longitudo totius à roſtro ad extremos ungues, erat quatuor ſpithamarum, & mediæ, lata erat expanſis

panſis alis ſpithamas octo, roſtrum palmam & pollicem unum longum. Acies roſtri hamata, ſeu uncus nigricans, reliquo roſtro corneus color ad cæruleum dilutum tendens, fusco maculatus, plumæ colli rigidæ, ferrugineæ, palpebræ binæ oculum tegebant tum ſupernè, tum infernè, pupilla ſaturi nigroris. Alarum & caudæ color fuscus, eoque magis, quò pennæ majores, cæterarum totius corporis minutiorum plumarum, ex fusco ferrugineus ſeu caſtaneus erat, maculis ſparſim intercurrentibus albis, crura ad pedes usque plumoſa, ferruginei coloris, pedes ſubflavi. Interdum vocem quandam querulam, lamentantis in morem, & clamoſam edit, minimè obſtreperam aut ſtridulam, ſed acutè ſonoram. *A Schwenckfeldio* ſub nomine Aquilæ regalis, nobilis, veræ, Chryſaetus eſt deſcriptus. Nidus ejusdem avis *à Rajo in Synopſi Methodica Avium*, his verbis exponitur: in Angliæ ſylvis, prope Derventiam fluvium, inventus eſt è bacillis ſeu virgis ligneis grandioribus compoſitus, cujus altera extremitas rupis cujusdam eminentiæ, altera duabus betulis innitebatur. Bacillis junci inſternebantur, juncis ericæ, ericis iterum junci, in quibus jacebat unicus pullus, cum uno ovo urino, adjacentibus cadaveribus, unius Agni, unius Leporis, & trium Grygalli pullorum. Erat autem nidus iſte quadratus, duas ulnas latus, planus & æqualis. Pullus fere adultus, Accipitris palumbarii figurâ, Anſeris prope pondere, tibiis ad pedes usque plumoſis, in cauda fuerat annulus ſeu zona alba. In ſylvis Palatinatûs Pomeraniæ, prope lacum *Wdzice* ſeu *Wdzidze*, Chryſaeti nidus impoſitus proceræ pinui eſt repertus, unà cum pullo hujus Aquilæ, cum Lepore integro uno, dimidio altero, & fruſto Capreoli, pullus idem *in Pelplinenſi Monaſterio S. O. Ciſtercienſium* alebatur diutiùs, carnes, & animalia plurima, devorabat avidè, & præter alia indicia ferocis naturæ, ſemel aggreſſus puerum, vix ei necem non intulerat, tandem dum ſat ageret alis decurtatis, *Weriſa* fluvium transmeare, lapſus, aquisque abreptus interiit. Altera proles ejusdem Aquilæ, anno 1726. ad idem Monaſterium allata habuit tibias

tibias totas plumis tectas, ita ut prior, caudam zonâ albi coloris cinctam, multùm robusta, & vorax. Sublato dupli fætu ex nido, transferre se debuit dictus senior Chrysaetus, nam in antiquo sylvæ loco non comparuit. AQUILÆ CARPATICÆ seu quæ in Carpaticis rupibus nidificare consueverunt, eo sunt robore, ait *Belius in Prodromo Hungariæ*, ut non Lepores modò, atque Mures Alpinos in prædam rapiant, sed ipsas quoque Rupicapras, crebris, iisque vehementibus alarum & rostri ictibus conficiant, dentque in petram præcipites. AQUILÆ MAJORES coloris fusci, in Volhinia, inter *Krzeminiec & Podkamien*, in Pokutia, in Lituania, & Polesia Lituana, circa *Turow*, *Pererow*, &c. sunt frequentes, ibi fistulatores seu bombardas exonerantes, Polon. *Strzelcy*, præter ferinam carnem, etiam aquilam dare sunt obligati heris, in vim tributi annui. AQUILÆ MINORES, Valeriæ *Gazæ*, Pol. *Orliki*, nigricantes sunt, sed viribus proximæ aquilis fulvis, per Regnum totum sparsæ. Aquilæ duæ Civitati Torunensi fuêre spectaculo singulari, una in tecto Templi S. Joannis, anno 1722. anhelans capta à Studioso, altera in platea, inter Collegium P.P. Soc. J. & cæmeterium, anno 1723. in manus pueri venit.

X. AQUILA PYGARGUS *Plinii*, Albicilla *Gazæ*, Hinnularia *Roberti Constantini*, ab *Aldrovando* sic descripta: magnitudine est mediocri, rostro toto luteo, adunco, nempe à principio ipso sensim ac leniter ad extremam usque unci aciem incurvato, oculi pupilla nigerrima, iris lutea, verticis ac colli totius color est dilutè castaneus ex cinereo, apices tamen plumarum magis nigricant, dorsum, alarumque pars superior ferrugineis obscurè plumulis, ac subnigris integuntur, uti fere & venter ac femora, cauda ab uropygio ad finem usque tota albicat, unde meritò Albicillæ nomen *à Gazæ* datum, duæ tamen pennæ minores, & quæ reliquis majoribus ac principalibus incumbunt, extremo nigræ sunt, tibiæ totæ fere nudæ, eæque cum pedibus intensè luteæ, ungues acerrimi. Gaudet planis, & lucis, nonnunquam

montes, cæterarum avium more, ac sylvas petit, multis aquilis aliis robore non inferior. Cervorum hinnulos invadit ac rapit, hinc etiam Hinnulariæ cognomen obtinuit. Icon Pygargi *in eodem Aldrovando & Bellonio* proposita. Hæc avis capta prope Gedanum, anno 1658. die 22. Februarii, altera occisa ad pagum *Ciepielsk* distantem à præfata Urbe duobus milliaribus.

XI. AQUILA MORPHNUS seu Clanga *Aldrovandi*, Aquila anataria *Ornithologi*, Planga, Planca aliorum, Aquila nævia *Schwenckfeldii*, magnitudine æquat Gallinam domesticam, longitudo ei spithamarum duarum, cum dimidia, latitudo alis extensis spithamarum quinque, & digitorum trium, rostrum aduncum, nigro-cæruleum, digitos duos longum, color totius corporis obscurè ferrugineus, præter maculam, in prona parte, albam, quâ pectus, veluti zonâ adornatur. Pupilla cærulea subnigricans, collum pronum maculis longiusculis, ceu lineis respersum, femora plumosa, ultra tibias medias croceas, digiti quoque ejusdem coloris, ungues nigri acutissimi. Capit anates, columbas, aviculas, mures, spectatur in Prussia, & alibi. Eadem Clanga *à Willughby* similiter est descripta.

XII. AQUILA ALBA seu Aquila Cygnea *Aldrovandi*, Germ. Weisser Adler, Pol. *Orzeł biały*, de ea, *Alberti* hæc sunt verba: album genus aquilæ rarum invenitur, aliquando in Alpibus & rupibus, circa Rhenum, ut sæpe experti sumus. Est autem hæc aquila tota alba, magnitudine fere Herodii, (id est Chrysaeti) ignobilior tamen, minùsque velox. Vivit venatu Leporum, Cuniculorum, & hujusmodi parvorum animalium, nam aliquando Catulos, Vulpeculas, Porcellos, & pisces in summa aqua natantes rapit. Aquilæ albæ ad Cremenecum, Zaslaviam Volhiniæ, Cudnovum Ukrainæ, Opatoviam Minoris Poloniæ, sunt visæ, quòd etiam nidificent, in locis aliquibus Podoliæ, non deest testimonium. Sub tempus electionis *Michaelis I. Regis* Respublica congregata in campis ad Varsaviam spectavit Aquilam albam supra se volantem.

Pastorius in Diademate Gloriæ.

XIII.

XIII. AQUILA NIGRA *Schwenckfeldii*, Melanætus seu Valeria *Aldrovandi*, Aquila Leporaria aliorum, quòd Lepores potissimùm rapiat, Aquilla pulla, fulva, Germanis Schwartzer Adler, Pol. *Orzeł czarny*, minor est reliquis, longitudo spithamarum trium, latitudo spithamarum sex, rostrum admodùm aduncum, in extremitate nigrum, alibi color corneus, subcæruleus est, supra narium foramina, rostri initium membrana quædam flava transversim obvestit, pupilla nigra, iris charopa, & ex luteo nonnihil rufa, caput & collum magnum, & crassum, vertex ac cervix coloris obscurè ferruginei, cum albicantibus notulis, dorsum superius totum fumati coloris, alæ ad ultimam caudam fere exporrectæ, quarum pennæ majusculæ transversim nigris maculis notatæ, remiges nigrantes superiores, minores flavescentes, cauda alba spithamalis longitudinis, lineis ad extremum latis transversis exornata, inter oculos, & rostri initium, utrinque pili nigri rigent, sub mento horridæ plumulæ, nigræ, instar barbulæ exstant, palpebræ inferiores candidæ, longissimis plumulis, quasi lanugine, intectæ, pectus ex flavedine albicat, maculis nigris distinctum, venter totus niger, crura non alta, tota propemodum plumulis cinereis operta, ungues nigerrimi, adunci, acutissimi. Incolit sylvas & montes, audacissima est, omnis generis aves, Columbas, Monedulas, Cornices & Lepusculos persequitur. Hæc *ex Schwenckfeldii Aviario Silesiæ*, quæ siquidem contermina est Palatinatui Cracovienſi, & Posnanienſi, facilè est inferre, etiam Regnum nostrum habere hanc Aquilam, & sequentem.

XIV. AQUILA OSSIFRAGA *Aldrovandi*, Aquila barbata *Plinii*, Harpe *Oppiani*, Germ. Beinbrecher, Polon. *Orzeł łomignat*, invenit nomen Ossifragæ ab animalium trucidatorum confractis ossibus, descripta est *ab Aldrovando & à Schwenckfeldio* taliter: omnium maxima est, longitudo ejus ab extremo rostro, ad ultimam caudam, quinque fere dodrantum, alis verò extensis spithamas undecim lata, rostrum aduncum ex corneo colore fuscum, nonnihil ad cæruleum ob-

obſcurum accedens, rictus palmum & digitos duos longus, inferior mandibula excavata inſtar canalis, in mento oblongæ & anguſtæ plumæ ad arunci ſpeciem prominent, inter oculos & pares utrinque plumulæ tenues rigent. Color totius corporis ſubalbus, fuscus, ferrugineus, reſperſus maculis albis, venter albidus, maculis latiusculis ferrugineis notatus, remiges pennæ ex fusco, cauda ex nigro & albo maculata, femora & crura fuscis oblongis, aliquando fulvescentibus ſeu potiùs ferrugineis plumulis, ad medium usque obteguntur, infima tibiarum pars, unà cum pedibus, colore luteo intenſo tincta, & ſquamulis rotundis inæqualibus prædita, ungues nigerrimi ſemicirculum explent. Vivit venatu anſerum, anatum, Leporum, Capreolorum, Hinnulorum, quin etiam piscium, ut eſt obſervatum. Quidam utuntur pedibus, ut iis candelabra imponant. Species varias aquilarum *Bellonius*, undecim *Frantzius in Hiſtoria Animalium*, ponit. AQUILA VALERIA *Gazæ*, Aquila minor, Melanæus *Willughby*, German. Kleiner Adler, Polon. *Orzeł mnieyſzy*, *Orlik*, Valeria dicitur à viribus, quibus valet, Corvo duplò major, Pygargo minor, maxillæ & oculorum palpebræ plumis deſtituuntur, & nonnihil rubescunt, caput, collum, pectus coloris nigri, in medio dorſo magna macula triangularis, ex albo rufescens, roſtrum in extremitate nigrum, deinde areola ad cutem flava, cutis autem nares tegens rubra, oculorum irides avellaneæ, crura paulò infra articulos genuum vulgò creditos, plumis veſtita, tibiæ infra plumas rubræ, ungues prælongi.

XV. ARDEA, Germ. Reiger, Pol. *Czapla*, avis piscivora, prælongis cruribus, multiplex eſt. ARDEA CINEREA MAJOR fert roſtrum ex viridi flavicans, crura, & pedes praſinos, inſidet arboribus, & in eis nidificat. ARDEA CINEREA MINOR priori ſimilis, victum quærit ad fluvios, & piscinas. ARDEA ALBA MAJOR criſtâ carens, Ardea alba minor criſtata, ſeu cumulum pennarum gerens in capite. ARDEA SUBCÆRULEA habet verticem capitis,

alas

alas ſuperiores, & pedes ex fusco cæruleos. Mas in capite fert pennas fere dodrantales ſubcæruleas, ternas ut plurimùm, rariùs plures, retro extenſas, quas certo tempore abjicit. Eſt apud *Schwenckfeldium* & ardea nigra tota, præter alas ſuperiores cæruleas, æqualis Ardeæ cæruleæ magnitudine: item Ardea rubra Cornicis magnitudine, cum capite acuto parvo, oculis flaventibus, collo longo, dorſo rubicundo, ventre obſcurè candido, alis ad cæruleum colorem vergentibus, remigibus pennis nigris, linea alba per medium collum & pectus excurrente. Hæ duæ volucres an Provincias Polonas incolant, dubius maneo. Axungia ardeæ illita, cum axungia Coturnicis, dolores podagricos lenit, & oculorum discutit nebulas. Ardeæ albæ criſtatæ in fluvio *Horiń*, in Stagnis Lachowcenſibus Palatinatûs Volhiniæ, in Czolhanenſibus Ruſſiæ Rubræ, in aquis vicinis Podoliæ, ſpectantur. In Pruſſia Ardeæ candidæ, cum roſtro & pedibus flavescentibus, aliæ circa oculos & dorſum colorem cæruleum, in roſtro ad luteum tendentem ferentes reperiuntur. Ardea cærulea inſigniter variegata prope *Grebin* villam Inſulæ Gedanenſis, anno 1660. in Julio, globo trajecta.

XVI. ARQUATA *Aldrovandi*, *Gesneri*, Arcuata *Cosmii*, à roſtro arcuato ſic dicta, Numenius *Jonſtoni*, Pardalus I. *Schwenckfeldii*, German. Jut Vogel, magnitudo ejus Gallinæ villaticæ, apud *Schwenckfeldium præfatum*, roſtrum nigricans, circiter octo digitos longum, ſicut arcus inflexum, collum plus coloris cinerei, quàm albi habet, in pectore plumæ nigricantes & ſubrubentes, pennarum color fere fuscus, ſed varius & maculoſus, per alas, dorſum, item fuscus ſubflavis maculis variatus, in alis extremitas pennarum nigrescit, venter, & pars ſub alis albicat, alæ ipſæ latiusculæ, ex pennis partim nigris, partim albis, ac fuscis discolores. Cauda ſeptem digitos longa, nigris & albis lineis transverſim ductis diſtincta. Crura cinerea palmorum duorum, digiti fusci, ſed aliquatenus membranâ conjuncti, ungues nigerrimi. In pratis circa paluſtria verſatur, ubi vermiculos, & alia

insecta inquirit, cursus velocissimi est, caro candida, suavis, probi succi, ob id in deliciis procerum. *A Gesnero* Arquata major & minor, *à Willughby* Numenius describitur. In Prussia, & alibi Arquatæ non raræ sunt, à voce Jut, Jut, denominatæ. ARQUATA MINOR majore, minor est dimidio, rostrum incurvum quidem ut majoris, sed plus digitô brevius, vertex obscurè brunneus absque maculis, dorsum quatenus alis tegitur album, secùs quàm in majore. In omnibus fere magnitudine excepta, Arquatæ majori simillima est.

XVII. ATRICAPILLA *Schwenckfeldii*, Ficedula *Bellonii*, *Gesneri & Aldrovandi*, Germ. Schwartzkopff, Grasespatz, Pol. *Figoiadka*, *Cnapio interprete*, Bohemis *Dlask*, avis canora ex Currucarum genere, eique simillima, Passere paulò minor, vertice nigerrimo, supina pars tota fusca seu cinerea, collum dilutè cæruleum, venter albicans, rostrum mediocre, in extremitate nonnihil recurvum, supernè nigrum, inferiùs coloris cornei, pedes glauci, unguiculi fusci. Nidificat in arboribus cavis, & plurima parit ova. Mutare formam & colorem traditur ab authoribus, vivit præter ficuum esum, etiam Sorbi baccis, caro suavis, bonique alimenti. Frequens in Italia, in Anglia rarior, in Prussia, & aliis Regni Provinciis, reperibilis. ATTAGEN seu Gallina Corylorum, Bonosa *Alberti*, Germ. Hasel-Huhn, Pol. *Jarząbek*, Perdice paulò major, varia, elegans, rostrum breve, nigricans, pedes hirsuti, digiti corticosi, squamosi, glauci, multis lineis articulati. Tota circa dorsum versicoloribus picta maculis, vertex capitis ex fusco rubet, nigris maculis respersus, palpebra superior fere cocci colore splendet, cui adsunt utrinque maculæ candidæ, mentum nigrum, cauda quàm Perdici longior, ut dorsum, varia, ad latera, sub alis, & pectore, maculis ferrugineis tincta, venter albet. Ad plana rarò descendit, vivit julis seu nucamentis Coryli, Betulæ, baccis Juniperi, Sorbi aucupalis, Vitis Idææ, &c. ova parit viginti, caro ejus candida, tenera, delicata, saporis gratissimi. In Submontana Regione, quæ nobis est *Podgorze*, Attagenes vi-

viliſſimum obtinent pretium, nam duo, Pruſſicis groſſis tribus permutantur non rarò Samboriæ, & alibi.

XVIII. AVIS PUGNAX *Aldrovandi*, Germ. Hauß-Teuffel, Suecis Brauß-Hahn, Pol. *Ptak bitny*, deſcriptâ ſic *à Willughby:* caput, & collum ex fusco cinereum, dorſum, & ſcapulares pennæ longiores cinereo, nigro, & albo colore, variæ, venter & pectus albicant, roſtrum nigrum, circà mares nonnihil rubeſcens, pedes ex fulvo rubri, ungues nigri. Fæminæ maribus paulò minores, rarò & vix unquam pugnant. Tradit *Charleton in Onomaſtico Zoico*, quod inter mares tanta ſæpe obſervatur contentio, ut continuò pugnent, donec cum fæminis numero pares evadant. Octo Avium Pugnacium genera ſeu formas potiùs *Aldrovandus* deſcripſit, ac depingi curavit. Maxima varietas formarum, pennarum, & colorum, inter mares eſt, ex obſervatione *Klein Secretarii Gedanenſis*, alter mas alterum pulchritudine ſuperat, ita ut nullum alteri, inquit idem, inter ducentos, quos captivos videram, aſſimilare potuerim, fæminæ omnes conveniunt. Frequentes hæ aves in Scania, domi alicâ aquâ maceratâ ſaginantur, cameris undique clauſis, *Willughby teſte*, nam admiſſa luce ſtatim pugnare incipiunt, præcipuè ſi adſtat quispiam. Certamen ineunt & in Pruſſia, numerumque avium hujus Provinciæ augent. AVIS PARADISIACA, Germ. Paradieß-Vogel, Pol. *Ptak rayski*, denominata, propter colorum inſignem elegantiam, diverſiſſima ab Avibus Paradiſiacis peregrinis, v. g. Manucodiatis, habens multùm de colore miniaceo, flavo, rubeſcente, in Pruſſia reperibilis. Ispidam propter pulchritudinem, nonnunquam in Italia Avem Paradiſi, ait *Gesnerus pag. 676.* vocari audio. AVICULA circa ſementem jactam apparens, periphraſis eſt ex voce Polonica *Sicyka*, *Siewniczka*, *Siewka* deſumpta, nam qualiter à Latinis vocetur, *Cnapio in Theſauro* non conſtat; mole æquans Columbam mediocrem, varietate macularum parvarum flaveſcentium & nigricantium, in capitis vertice, collo, dorſo, in aliis deſuper, media parte, conſpicua, venter albus,

albus, cauda brevior, pedes oblongi, alæ inferiùs candidæ. Hujus generis aviculæ *Sieyki* dictæ, ante Festum Divi Michaelis agminatim apparent in stramentis, quæ infra manus messorum inhærent terræ, vere, æstate, ac hieme non spectantur.

XIX. AUREOLA, *Schwenckfeldii*, Emberiza flava *Gesneri*, Florus *Ornithologi*, Lutea *Jonstoni*, German. Gold-Ammer, Pol. *Trznadel*, Passere paulò major, corpore longiore, maris pectus & venter coloris lutei, fœminæ verò pectus luteum, venter pallidus est, in capite, dorso, & alis pennæ flavæ fuscis intermiscentur, rostrum firmum, breve acutum, crura obscurè flavent, cauda longiuscula fusca. Æstate ad sylvas recedit, in frutetis nidum ponit, hieme tota conspicitur, circa villas & horrea, gregatim cum Passeribus volat, caro ejus tota flavescit, ictericis est salubris.

XX. BOTAURUS *Ornithologorum*, Ardea stellaris *Gesneri*, Ardea palustris vel arundinum, Butio, Germ. Rohr-Reigel, Moß-Reigel, Rohr-Trumm, Silesiis Rohr-Drummel, Pol. *Bąk*, inter arundines degit, bovis mugitum imitatur, corpus ei tenue, fere tanquam pulli gallinacei, color per totum corpus varius, subflavus nigris maculis splendentibus densissimè respersum, vertex capitis niger, alæ colore lateritio, & nigro punctatim distinctæ, rostrum fuscum, acutum, longum, collum longum, plumosum, quod contrahere & extendere solet, crura longissima ex viridi lutea, ungues adunci, cauda brevissima. Irritata mirè inflatur ac intumescit, rostroque se defendit, ægrè volat, nisi priùs salierit. BUBO *Gesneri*, Germ. Uhu, Berghu, Huhuy, Pol. *Puhacz*, *Sowa tęzna*, Noctuæ similis, omnium nocturnarum avium maxima, solitaria, plumis onusta, habet caput magnum, auritum, corpus Anseris magnitudine, breve tamen, & quasi decurtatum, ac colore varium, rostrum curvum, ungues nigros, aduncos, acutissimos, oculos grandes, lucentes, igneos, crura quàm Aquilæ breviora, corporis tegmen plumeum ferrugineo seu fulvo ac obscuro quodam æris est colore,

lore, maculis fuscis adornato. Noctua aurita seu Otus *Willughby pag.* 65. Buboni, excepta magnitudine, per omnia exactè similis, unde à Gallis eodem nomine, cum additione sola minoris, est appellata. BUTEO VULGARIS *Willughby*, Germ. Mäuse-Habicht, Pol. *Jastrząb Myßy*, de Accipitrum genere est, sed magis niger, obscurus, rostro & unguibus subnigris, uncis, Milvi fere magnitudine. Unanimi authorum consensu ignaviſſimus est, quia nullam avem capit & à parvis etiam volucribus fugatur. Secundùm præfatum authorem, magnitudo ejus est Phasiani, aut Gallinæ junioris, caput grande, rostrum breve, aduncum, ex cæruleo nigricans, apertura oris ampla, pars corporis prona ex albo flavicat, pars supina tota rufa seu obscuriùs fulva. Etiam *ab Aldrovando* describitur *lib.* 5. cum hoc addito: à Milvo dignoscitur, quòd minor est, quòd caudam minimè bifurcatam, qualis in Milvo conspicitur, obtinet, quòd inter volandum frequenti motu concutit alas. BUTEO APIVORUS seu Vespivorus *Willughby*, German. Maus-Falcke, magnitudine Buteonem vulgarem æquat, vel excedit, figurâ corporis similis. SUBBUTEO *Turneri*, Accipiter Pygargus *Willughby*, si mas est, habet caput, collum, dorsum cinereum, pectus album cum maculis nonnullis transversis fuscis. Remiges alarum exteriorum nigricant, alarum tegetes superiores cinereæ, inferiores sub alis albæ. Icon Buteonis, & Subbuteonis à *Bellonio* est proposita.

XXI. CAPRIMULGUS *Aldrovandi*, Fur nocturnus *Plinii*, Connilus nocturnus, German. Geis-Melcker, Nacht-Räblein, Pol. *Kozodoy*, avis nocturna, Cuculo adeò similis, inquit *Schwenckfeld*, *ex Aldrovando*, ut Cuculum jures, nisi inusitata pedum, crurumque exilitas, brevitas, diversa constructio, obstaret. Ab extremo rostro ad ultimam caudam, dodrantem & pollicem longus est, rostrô perquam exiguô, nigrô, modicùm aduncô, plumulis gracilimis, tanquam pilis quibusdam, supernè ad nares, & infernè sub mento, seu barbulâ, tecto. Caput vertice longo est, ac compresso,

oculi grandes admodùm, iris, & pupilla, prorsus nigræ. Quæ totum corpus vestiunt plumæ, medio juxta calami ductum utrinquæ nigræ, extremo apice albæ, cætera leucopheæ sunt. Remiges alarum tantùm nigricant, maculis subluteis interstinctis. Tegetes in primo, aut altero ordine, per transversas alas, maculam ducunt. Gula, pectus, venter, ferrugineo colore diluto, & notulis seu lineis fuscis haud continuis transversis respersuntur. Cauda nunc nigris, nunc ferrugineis maculis viciſſim exornata. Femora, cruscula, & pedunculi exigui, tenues, breves, coloris ferruginei. Digiti terni ante, retrò unicus, contra atque in Cuculo. Os in maximam amplitudinem deducit, cujus interior pars flavet, molliter volat, parum clarè interdiu videt, sed noctu perspicax est, in terra nidificat, cibo utilis. Dum vagatur vocem edit lugubrem, victitat insectis ut plurimùm alatis. CARDUELIS seu Astragalinus, Zena *Bellonii*, Aurivittis *Ornithologorum*, Chrysomitres, Ital. *Cardello*, Germ. Stieglitz, Distel-Vogel, Pol. *Szczygiel*, à carduo, cujus seminibus ut plurimùm victitat, appellatus, alæ colore croceo nigroque mixtim & alternatim variatæ, albisque maculis notatæ, vertex nigricans, rostrum subrubens, acutum, cum apice fusco, alæ cinereæ, guttur album; sæpe hæc avis corripitur epilepsiâ juxta aliquos, fœmina minùs pulchritudine valet.

XXII. CHARADRIUS seu Hiaticula *Willughby*, Icterus, Galgulus aliorum, Pol. *Zoltaczek*, à flavo colore denominatus, solo aspectu icterum sive suffusionem bilis flavæ per totum corpus sanans, opinione *Æliani*, aliorumque antiquorum authorum. Ex observatione *Willughby*, Alaudam vulgarem magnitudine nonnihil superat, rostrum superius areolâ nigrâ cingitur, occiput cinereum, mentum album, collum duplici torque cinctum, pectus & venter albus, dorsum, & alarum tegetes minores cinereæ. In rupibus maritimis nidificat, è gramine, culmis plantarum aridis, nidum construit. In Prussia glande plumbea &c. tangitur.

XXIII.

XXIII. CHLOROPUS MAJOR *Aldrovandi*, Germ. Rohtblaschen, Pol. *Kokoßka*, apud *Willughby*, Fulicæ, quó ad corporis figuram attinet, similis est, sed minor, corpore angusto, sed ad latera valde compresso, rostrum, plùs quàm digitus, longum & rectum, rubra pars rostri, à flava, rotundâ circumferentiâ separatur, oculorum irides rubent, pedes virescunt, crura ad genua fere plumis sunt tecta, & inter plumas, ac articulum, maculâ rubrâ, insignita. Rostro ferit ut Gallina, ramis insidet, sed iis tantùm qui densi, & aquis vicini sunt, pedibus deorsum pendentibus volat. Eandem avem *Sibaldus in Prodromo Historiæ Naturalis Scotiæ*, sic describit: Vanelli est magnitudine, plumis, à vertice ad extremam usque caudam, nigricantibus, in ventre cinereis, rostrum superius coloris est bipartiti, cujus summa pars ab oculis ad medium pertingens rubra est, & supereminens, ita ut crederes appositam aliquam ceræ partem esse, cujusmodi literas obsignare solemus, pars autem inde descendens viridis, crurum, & femorum cutis subviridis, nisi quòd partem illam, unde crus incipit, instar periscelidis, circulus ambit coccineus. Hæc avis amplitudine Prussiæ, tanquam aviario locuplete continetur, ut omittam alias regiones. CHLOROPUS ALTERA avis *Aldrovandi*, seu Gallinula Chloropus, cum capite & collo nigricante, rostro duos digitos longo, dorso, & supina alarum parte coloris castanei, prona parte cinerei obscuri, ventre toto fere albo, femoribus plumosis ad genua, cruribus virentibus, digitis pedum longis.

XXIV. CICONIA ALBA, Germ. Weisser Storch, Polon. *Bocian biały*, est veris nuntia, pennis albis & nigris distincta, crura longa, rubentia, rostrum longum, crassum, rubrum obtinet, lingua exilis subrubra, brevissima, intrà rostrum delitescens, unde à quibusdam creditum fuit illam carere linguâ. Vescitur Serpentibus, Ranis, Piscibus, &c. bis *à Schwenckfeldio* in ejus ventriculo dissecto avicularum ossa sunt reperta. Natura & proprietates hujus avis, *ab Helidæo in Encomio Ciconiæ*, *à Svalbaco in Dissertatione*, *à Schoockio*,

Strasburgio in Historia Ciconia, à Pratorio in Dissertatione de Crotalistria, sunt descriptæ. Hieme loca calidiora quærunt Ciconiæ, Africæ & Indiæ, injurias frigoris fugientes, id & Hollandi testantur, qui dum Novas Terras inquirebant, Januario mense, in Insula quadam Maris Indici, Ciconias plurimas conspexerunt. Ciconiæ mares, ait *Majus in Physica Synopsi*, decem diebus priùs ad nidum consvetum, in his oris, redeunt præ fœmina, præparant nidum, ac purgant, Ciconias reliquas prætervolantes crepitu quodam salutant, donec suas matresfamilias adventantes conspiciant, quibus lætè obviam eunt, eas ad nidum deducunt, de cibo, donec ab itinere requieverint, abundè prospiciunt. Amicitia Ciconiarum cum Cornicibus, inimicitia cum Mustelis, amor erga parentes seniô confectos, quos, acsi ipsi pulli essent, educant & nutriunt, *ab Aldrovando, aliisque Ornithologis*, exponitur. In pago *Lewkow* Palatinatûs Calissiensis, dum domus rusticana arderet, & quercus vicina, in qua nidus constructus erat, ignem conciperet, Ciconia volens sedem conservare, sæpiùs se aquis vicinis perfundebat, excutiebat alas aspergendo, spectantibus incolis plurimis. Sub tempus belli *à Carolo XII. Rege Suecia* illati Poloniæ, instituta est pugna à magno agmine Ciconiarum advolantium ad prata vicina Posnaniæ, olim cujusdam Comitis, quæ idiomate patrio vocari debent *Grafowe łąki*, non corruptè *grochowe*, occubuere in illo prælio Ciconiæ decem, non paucæ vulnera accepêre. CICONIA NIGRA, Germ. Schwartzer Storch, Pol. *Bocian czarny*, minoris magnitudinis est, ejusdem formæ cum Ciconia alba, coloris ubique atri, rostrum & pedes habens rubros, in sylvis nidificans, non penes domos, versatur in Lituania circa Nesvisium & Mir Civitates, in aliis multis locis interdum spectatur, non procul à *Koscierzina* occisa in Palatinatu Pomeraniæ, in Pokutia non rara. CICONIA FUSCA *Schwenckfeldii*, Germ. Braun-schwartzer Storch, Pol. *Bocian śniady*, dorsum habet subnigrum, cum viridi, vel subcæruleo, & pauco purpureo colore mixtum, ventrem & latera alba, ro-

roſtrum magnum, validum, puniceum, ut crura etiam & pedes, alarum majores ſeu remiges pennæ atræ. Moratur in paluſtribus & humidis locis, nidum ponit in arboribus, odoris fere piſcoſi eſt. A *Szarffenberg in Herbario Libro Polonicè impreſſo*, vocatur *Bag*, forſan à voce vernacula *bagno*, quæ paludem ſignificat.

XXV. COLYMBUS ARCTICUS *Wormii & Willughby*, Germ. Taucher, Pol. *Nurek*, avis elegans, Anſeris marini ſive Lari maximi magnitudine, roſtro nigro & acuto, caput & collum teguntur pennis cinereis, in apicem acutum deſinentibus, dorſum & alæ nigræ, maculis quadratis albis conſperſæ, ſub collo macula quadrata nigra, oblonga, inſtar ſcuti, venter totus, & alarum partes inferiores, &c. candicant. Apud Islandos & Norvegos frequens eſt, dictaque *Lumme*, qui nefas putant hanc avem interficere, aut turbare, quia ſanctam exiſtimant. Exuviæ ejus capiti & pectori à frigore muniendo deputantur, cygneis namque præferuntur. COLYMBUS CRISTATUS & CORNUTUS *Willughby*, plumis circa verticem, & collum ſupernum eminentibus, ſuperiùs nigris, ad latera rufis, mentum, & ſpatium circa oculos album, cui rufus color conterminus, cervix partim ſubnigra, partim nonnihil coloris rufi præſefert, pectus & venter candicant, cum admiſto rufo. Hæc avis German. Gehörnter Taucher, Pol. *Nurek czubaty y rogaty*, non procul ab Urbe Gedanenſi, in manus venit. COLYMBUS CRISTATUS *Willughby*, ſeu habens criſtam nigram declinantem, roſtrum versùs, occiput coloris aurei, gulam ex cinereo variam, ventrem ex cinereo, fusco, aureoque colore mirè variegatum, dorſum cinereo-fuscum, alarum pennas extremas albidas. COLYMBUS CRISTATUS, roſtro rubente, collo flavente, pectore albo, dorſo caſtaneo, pedibus cæruleis, occiſus in Pruſſia, & ad iconem deductus *in Muſeo Kleiniano* Gedani, ibidem Species quatuor Colymborum ſpectantur, interdum in Pruſſiam advolantium. De Colymbis majoribus & minoribus tractat *Aldrovandus*, *Gesnerus*, *Willughby*. Rarò diurno

tempore Colymbi in aquis apparent, pedes magis ad natandum, quàm ambulandum accomodatos habent.

XXVI. CORNIX CINEREA, Germ. Nebel-Krähe, Pol. *Wrona*, avis eſt voraciſſima, Corvini generis *Schwenckfeldio*, caput, collum inferius, mentum, roſtrum, alæ, cauda, crura, coloris nigri, dorſum, collum ſuperius, venter, alarum latera cinerea, lingua bifida & ſubcærulea. CORNIX NIGRA, ſeu Cornix frugivora *Aldrovandi*, Cocis *Alberti*, Germ. Schwartze Krähe, Pol. *Gauron*, avis formâ corporis Corvo ſimilis, nigerrima, roſtrum prope caput albicans, asperiusculum, firmum, acutum; gregatim ad pagos & oppida volat, ſupra arbores nidum parat, ſemina recentia in agris depascitur, pulli in pauperum menſas veniunt. CORNIX CÆRULEA *Schwenckfeldii*, Cornix picta, Cæruleus, Pſittacus Germanicus, Germ. Mandel-Krähe, Polon. *Kraska*, avis elegantiſſima, cæruleo colore paſſim nitens, in capite, alis, cauda, & tota parte ſupina, alibi ſinceriore, alibi admixto viridi, dorſi, & colli proni color ſubflavus eſt, venter dilutè viret, pectus varium ex flavo, rubro, viridi, & albido permixtum, majores alarum pennæ nigræ, intrinſecùs cæruleæ, minores ex utrisque miſtæ, fauces intrinſecùs flavent, lingua bifida.

XXVII. CORVUS AQUATICUS MAJOR ſeu Mergus magnus niger *Gesneri*, Germ. See-Rabe, Waſſer-Rabe, Pol. *Kruk wodny*, ſub nomine Corvi lacuſtris *à Schwenckfeldio* ita deſcribitur: magnitudo ejus fere Anſeris Brantæ, longitudo dodrantum quatuor, & digitorum trium, in capite, collo, dorſo, coloris eſt nigri, venter albet, roſtrum acutum & peculiare, ſex digitos longum, ſuperiore parte nonnihil inflexum, unco descendente acutiſſimo, cutis inferiori roſtro, & utrinque ſub oculis obtenditur crocea, crura palmorum duorum longitudine, digiti pedum quaterni, nigri, amplis membranis juncti, cauda tota nigra & rigida, dorſum ſuperius ex nigro viridique ſplendet, alæ longiſſimæ, at pennæ in eis breviores, ideo tardè volat, gula ampliſſima

ad

ad fauces; circa lacus & fluvios vivit, non diu in aquis natat, sed frequentiùs arboribus, aut palis insidens, voraciſſimus pisces speculatur, pellis pro tegumento ventriculi frigidioris præparatur. Fulica illi assimilis, quare aliqui hunc Corvum cum ea confundunt. Capitur, aut occiditur interdum in Prussia. CORVUS AQUATICUS MINOR Anatem domesticam magnitudine superans, mandibula inferior ex viridi pallidè lutea, superior nigra & adunca, rictus oris ampliſſimus, oculi parvi, corpus latum, planum, supina facies tota nigro-purpurea, prona pars fusca, digiti quatuor membranâ connexi. Capite erecto natat, corpore fere sub aquis merso. CORVUS MARINUS, Germ. Meer-Rabe, Pol. *Kruk morski*, Anſere major, rostro adunco, longo, rubeo, colore cinereo, flavo, viridi, rubente varius, pedibus anserinis. Versatur in Mari Balthico vicino Prussiæ. Præfati Corvi aquatici etiam *à Celebri Ornithologo Willughby* describuntur. CORVUS ALPINUS seu Corvus sylvaticus nocturnus *Schwenckfeldii*, Germ. Wald-Rabe, Stein-Rabe, Pol. *Kruk lesny, nocny*, hic *Wagnero in Hiſtoria Curioſorum Helvetiæ*, Gallinæ par, toto corpore niger, si eminùs videas, si propiùs ad solem, viridi permixtus videtur, rostrum habet oblongum, rubicundum, in rupium & petrarum cavernis, in locis desertis nidulatur. Addit *Schwenckfeldius*, quòd Cornice sit minor, in montibus altiſſimis vivat, noctu clamore molestus, diurno tempore rarò conspiciatur. Carpaticas rupes scopulosas, atque Podolicas, hanc avem inhabitare existimo, non asseverο. CORVUS NIGER, Germ. Rabe, Pol. *Kruk*, huic avi nigredo adeò est intensa, ut cærulea quodammodò appareat, corpore, & rostro crasso, non in uno loco degit, ova parit tria, quatuor, vel quinque subflaventia, punctis nigris maculata, mense Majo & Aprili, vitæ est longiſſimæ. Cerebrum ejus, cum verbenæ stillatitio liquore comitialibus, cinis podagricis, leprosis prodest. Corvos albos Norvegia, Islandia, Dania habet, non visi in Polonia nostra.

XXVIII.

XXVIII. COTURNIX, seu Quiscula, Quisquila, Germ. Wachtel, Pol. *Przepiorka*, avis pulveratrix, campestribus locis delectatur, ægre propter corporis pondus volat, est enim corpore grandiore, quàm suis pennis deferri possit. A veterum mensis prorsùs amota, nunc admissa. Spasmodica symptomata ex esu Coturnicum oriri, referunt *Ephemerides Cæsareo-Leopoldinæ*, noxia autem qualitas hæc provenit ex lolio temulento, quo Coturnices maximè delectantur, & impinguantur, teste *C. Bauhino Theatri Botanici lib. 1. Sect. 1. cap. 24.* Quoniam autem hoc lolium in agris humidioribus, & sub pluviosa anni tempestate, inter avenam, hordeum, & triticum, copiosè provenit, inde ratio petenda, cur Coturnices in talibus agris, ubi lolium illud luxuriat, captæ & comestæ pernicioſæ sunt. Magnus numerus Coturnicum est sparsus per Provincias varias, circa Jaroslaviam in Russia, sæpe Polonico solido venditur hæc avis, ob frequentiam.

XXIX. CUCULUS, Germ. Kuckkuck, Pol. *Kukułka*, *Kukawka*, *Gzegzołka*, Russis *Zezula*, habet rostrum acutum, leviter aduncum, inquit *Schwenckfeldius*, prona pars tota tam cinerea sub gula, & collo, quàm alba in ventre maculis fuscis transversim ductis, interruptis, distinguitur, supina pars tota, nempe collum, dorsum, alæ, nigris ac ferrugineis pennis variant, extremæ oræ plerumque albicant, alarum remiges nigricantes, in mediis extremis undequaque albentes, ultra mediam caudam protenduntur, cauda nigricat, punctis albidis, & lineis utrinque secundùm longitudinem ferrugineis referta, rictus oris, & lingua intensè crocea, tibiæ breviores, & digiti terni crocei antrorsùm, unus retrorsum ejusdem coloris. Hieme in cavis arborum muta latet, tempore verno, & autumnali, mutat colorem. Edita est *ab Heinsio Disputatio Physica, de Cuculo impio alite:* impietas eadem, non solùm in nutricis pullos, sed in nutricem ipsam, ejusque ova, ex authoribus *ab Aldrovando* exponitur. Alii referunt, quòd Cuculus non ex impietate, sed fame pressus Curucas, earumque prolem inconsiderate in gula deponat. Obser-

vavit

vavit *Sagacissimus Klein tunc Juvenis*, Cuculum in nido Curucæ excluſum, caveæ à ſe impoſitum, aviculam deglutiviſſe. CUCULUS MINOR à *Willughby* deſcribitur.

XXX. CURRUCA ſeu Paſſer gramineus *Schwenckfeldii*, Hypolais aliorum, Germ. Graſemücke, Polon. *Piegża*, corporis figurâ & colore, Lusciniæ fere ſimilis, ſupina parte tota cinerea, prona albet, partim dilutè cinereo colore reſperſa, roſtellum rectum, fuscum, cruscula nigricant, vertex punctulis nigris maculatus. Paſſim in hortis & pratis, prope pagos, æſtate, Lusciniam cantu fere refert, aliquando Cuculi ova pro ſuis fovet, ſed labore damnum adferente, inde Germanorum dictum eſt ortum, talem mercedem mihi rependis, qualem Currucæ Cuculus.

XXXI. CYGNUS ſeu Olor, Germ. Schwan, Pol. *Łabęc*, formâ corporis Anſeri ſimilis, ſed multò major, totus candidus, collo longiſſimo, pedibus latis nigerrimis, roſtrum anterius nigrum, poſterius flavet. Pellis ventriculo appoſita concoctionem promovet, adeps oculos purgat, lentigines cum vino tollit. Mons vetulæ, Polon. *Babia-gora*, in lacu, Cygnorum agmen ſæpe tenet. Lacus *Gopło* Cujaviæ, easdem aves interdum ſuscipit. Proximus lacus Balthico Mari, inter pagos *Oſtrow* & *Karwia* Capitaneatûs Pucenſis, Cygnorum nidos, pullosque olim ſervabat, inter arundineta. Idem Mare prope villam *Rucewo*, dat locum Olorum gregibus, potiſſimùm hiemis tempore, ac tempeſtate imminente. Lacus nonnulli arundinibus pleni Capitaneatûs Oſiecenſis, in Palatinatu Pomeraniæ, ſæpe continent Cygnos non tantùm aquis innatantes, ſed etiam prolem educentes. Ad Volhiniæ fluvios *Horin & Wilia*, non procul Oſtrogiô, advolaverat numerus magnus Cygnorum, & dum propter exonerantes bombardas non poſſent ſecurè ſubſiſtere, circa Zaslaviam morabantur in ſtagnis, ac flumine.

XXXII. FALCO, Germ. Falck, Pol. *Sokoł*, Accipitrini generis, nobilis ſpecies, animô & audaciâ reliquis plurimùm præſtat, acuti visûs, pernicis volatus, infeſtus Anſe-

ribus, Ardeis, Anatibus, cæterisque volatilibus. FALCO MONTANUS, Germ. Berg-Falck, Stein-Falck, Pol. *Sokoł gorny*, corpore brevi & spisso, pectore planè rotundo & magno, cruribus brevibus, pedibus nodosis, unguibus fortibus. Dorsi, alarumque exterior color cinereus, qui paulatim fuscus clarior efficitur & pallidior, nidulatur in montium rupibus. FALCO ARBORARIUS, Germ. Baum-Falck, Polon. *Sokoł drzewny*, habet rostrum fere cæruleum, oculos nigricantes, dorsum atrum, pectus albidis & nigricantibus maculis variatum, pennas in cauda maculis distinctas, pedes pallidos seu subflavos, femora ad tibias fusca, alas longissimas crucem efformantes. Hic Falco arborarius est Dendrofalcus *Gesneri*, Falconellus feriens seu Falco parvus *Schwenckfeldii*, Germ. Kleiner Falck, Pol. *Kobus*, *Kobiec*, frequens usus ejus in aucupio, maximè ad Alaudas capiendas. Falconum species plures, præter Ornithologos alios, *Aldrovandus*, *Jonstonus*, *Schwenckfeldius*, recensuerunt. Ex Moschouia, Russia, Borussia, magna copia Falconum, & quidem generosorum admodùm ad nos apportatur. Idem *Aldrovandus Ornithologiæ lib. 6.* Falcones montani seu lapidum, nidos ponunt ad Tyram fluvium, inter rupes præruptas. Falcones in arboribus nidificantes, Volhiniæ, Russiæ, aliisque multis, ova ponunt, educunt pullos. FALCO PALUSTRIS seu Falco littoralis, German. Wasser-Falck, Polon. *Sokoł wodny*, Milvi fere magnitudine, corpore longiore, rostro adunco, nigricante, cruribus squamosis, cæruleis, & digitis simili colore tinctis. Per dorsum, & in capite ex fusco purpurascit, alæ longissimæ, & acutæ, quarum majores pennæ lineis fuscis intersecantur, venter subalbidus, oculi lucidissimi. Omnium ignobilissimus est, circa flumina, piscinas, paludes, degit, præceps ex alto in aquas se dejicit, & discussis pectore aquis, pisces rapit. Spectatur in Prussia & alibi. FALCO MIXTUS *Schwenckfeldii*, German. Zwitter-Falck, avis audax, spithamas duas, & digitos tres longa, capite & collo crasso, corpore admodùm gracili, pupilla ex nigro cærulea. Supra oculos,

penes

penes roſtrum, pennulæ ut pili rigent, roſtrum breve, uncum indici fere coloris, pectus cum ventre toto, & femoribus plumoſis, niveum, crura alta, tibiæ graciles, longæ, luteæ, digiti exteriores duo, utrinque tunicâ aliquatenus junguntur, unguiculi nigri acutiſſimi. Venatur aviculas, & Perdices inſequitur.

XXXIII. FRINGILLA *Schwenckfeldii*, Vinelia avis *Alberti*, Germ. Finck, Buch-Finck, Roth-Finck, Pol. *Zięba*, Paſſerem magnitudine æquat, variis coloribus, albo, viridi, & rufo diſtincta, maris pectus rubescit, fæminæ pallet, cauda fusca. Mas cantat ſuaviter, & ad aucupium adhibetur. FRINGILLA MONTANA ſeu Montifringilla, Fringilla hiberna, Fringillago *Gazæ*, Germ. Wald-Finck, Schnee-Finck, priori Fringillæ æqualis, ſed mas habet collum cæruleum, roſtrum luteum, alæ albo, nigro, & luteo colore diſtinctæ, vox inſuavis & ſtridula, verſatur in montibus. FRINGILLA VIRIDIS *Hubners in Lexico*, Chloris *Aldrovandi* & *Willughby*, Germ. Grün-Finck, Kirſch-Finck, in Pruſſia Grünling, Paſſere domeſtico major, roſtrum Coccothrauſtis roſtro ſimile, ſed multò minus, non recurvum, longitudine ſemidigitali, caput & dorſum viride, venter albus, pectus ex luteo viride, plumæ roſtro contiguæ intensè ex viridi flavent, ſuaviter canit, nidificat in ſepibus, vescitur ſemine lini, cannabis, papaveris, &c. Fringilla torquata *Schwenckfeldii*, ſimilis eſt Fringillæ vulgari, præter torquem albam, quâ collum cingitur, & verticem plumulis candidis nitentem. Fringilla ſanguinea ſeu Pyrrhula authoris ejusdem, par Alaudæ, roſtro brevi, craſſo, nigro, fere triangulo, dorſo & alis ſuperioribus cinereis, poſt oculos, collum & pectus, igneo rubore ſplendens. Hæ Fringillæ binæ, an apud nos quoque reperiantur, ab aucupibus notitia eſt petenda.

XXXIV. FULICA MINOR *Gesneri*, *Schwenckfeldii*, & *Willughby*, Gallina aquatica & arundinum, Mergus niger *Alberti*, Germ. Rohr-Henne, Pfaffe, Pol. *Łyska*, Anate minor, in aquam ſe immergens ſæpiſſimè, per totum corpus coloris

nigri, in capite, & collo oblongo nigerrimi, ſinciput glabrum, figura fere ovali, albâ pelliculâ, tectum, calvitiei ſpecie, roſtrum acutum, craſſum, longiusculum candidum, cauda breviſſima, pedes obſcurè glauci, circa genua & infra ex viridi flavescunt. Caro quid paluſtre olet; frequens in fluviis, lacubus, & piscinis. Nidum ex gramine, arundinibus, &c. conſtruit, rariùs arboribus inſidet. FULICA MAJOR *Bellonii*, Gallis *Macroule* ſeu *Diable de mer*, Polonis *Łyska większa*, *Nurek większy*, deſcripta ſic *à Willughby*, aquis ſe dulcibus immergit, & colore tam exquiſitè eſt nigro, ut penicillo ei inductus videatur. Alba macula capitis latior eſt, quàm in Fulica minore, crura ad ſe attrahit, fert digitos latos & ſejunctos.

XXXV. GALLINULA MELAMPUS *Willughby*, Germ. Waſſer-Hünlein, Pol. *Kokoßka*, eſt rufo ſeu ſubrubicundo colore, cum maculis fuscis in collo, & circa oculos, roſtrum nigrum, crura ejusdem coloris, alæ maculis albis diſtinctæ. GALLINULA PALUSTRIS ſeu Godvitta, Germ. Waſſer-Hünlein, Pol. *Kokoszka błotna*, paulò grandior Ruſticula majori, ſed non ita ſimilis eſt, ut difficilè diſtinguatur, degit in locis uliginoſis, optimè ſapit. GALLINULA AQUATICA IV. *Gesneri*, Ochropus magnus ejusdem, Glareola III. *Schwenckfeldii*, Germ. Schnirring, Polon. *Kokoßka wodna*, varii coloris, in toto corpore rufa, in pennis extremis alarum rubens, alba in capite, circa oculos, & in ventre. Longiſſimæ alarum pennæ nigræ ſunt, & alibi paſſim in dorſo, palpebrarum margines color croceus tingit, crura ſubflava, ut & roſtrum dimidium, nidificat inter fruteta. GALLINULA AQUATICA VIII. *Gesneri*, Ochropus medius ejusdem, Germ. Grünfüſſel, magnitudine Merulæ, roſtrum duos digitos longum, dorſum fuscum, alarum longiores pennæ nigræ, cauda brevis, alba, ſed circa finem lineis transverſim nigricantibus diſtincta, venter candidiſſimus, pars capitis inferior candida, crura longiuscula, ad medium plumoſa, dein ex flavo obſcurè virentia, digiti qua-

quatuor, inter quos retrorsus minimus. Gallinulæ aquaticæ partim palmipedes, partim fissipedes sunt, species earum plurimæ, sub nomine Glareolarum, *à Schwenckfeldio* enumeratæ. In fluvio *Fripec*, Gallinulæ nigræ paulò majores Coturnicibus, pedibus longis innixæ conspiciuntur.

XXXVI. GALLINAGO MINOR *Willughby*, est avis, in qua, linea, per medium capitis, ex albo rufa decurrit, collum è fusco & rufo colore mixtum, pectus & venter albus, rostrum tres fere digitos longum, in extremitate nigrum, oculorum irides avellaneæ, crura pallidè virescunt, ungues nigri. In palustribus nidificat, victum quærit in rivulis. GALLINAGO CINEREA, Glareola VII. *Schwenckfeldii*, Germ. Aesch-Hünlein, collum, pectus & venter coloris cinerei, rostellum longiusculum fuscum, dorsum, & alarum pennæ minores obscuro fumi sunt colore, majores verò sunt magis nigræ, crura fusca, minimo roseo colore admisto, cauda digitos tres longa.

XXXVII. GARRULUS BOHEMICUS *Aldrovandi & Gesneri*, Bombycilla *Schwenckfeldii*, Galerita varia, Gallulus sylvestris, ob capitis cristam, Zinzirella à voce, quæ ei *zi, zi*, German. Seiden-Schwantz, Behemle, Polonis *Jedwabniczka*, *Jemiołucha*, Bohemis *Brkosław*, inquit *Balbinus in Historia Nat. Bohemiæ*, estque avis Merulâ non major, tanta in ea gratia & mistura colorum, tanta alarum, & caudæ dum expanditur elegantia, ut de principatu formæ, cum alia quacunque ave possit contendere. Et Ampelis *ab Aldrovando* denominata, atque sic descripta eadem avis: caput quodammodò compressum coloris ferruginei, apice retrò vergente insignitum, collum breviusculum, nigrum, ad latera rufum, prope rostrum candidum, pectus castaneum seu ferrugineum, ad roseum vergens, venter subcinereus fere totus, dorsum subcastaneum, exteriores alarum pennæ nigræ, interiores subcinereæ, ad nigredinem tamen declinantes. Insigniuntur verò exteriores maculis, quarum primæ septem albæ sunt cum appendicibus, instar cinnabaris, rubescentibus. Has

aliæ pennæ subsequuntur, maculis pariter sed luteis ornatæ, crurum color fuscus est, & ad cæruleum inclinans, pedum forma & magnitudo Coccothraustí respondet. Eadem avis *à Balbino in Historia Naturali Bohemiæ*, Pteroclia vocatur & describitur fusè, additur anatome, locus, volatus, victus, pennulæ in alis quinque, vel sex, vel etiam septem L depictum gestant. Est duplex, major, & minor. Dicitur esse Bohemiæ peculiaris, quamvis etiam regiones alias petat, gregatim volet perniciſſimè. Cibum mas fœminæ, illa mari invicem offert, facilè cicuratur. Vescitur libera baccis Juniperi, Sorbi aucupalis, Ribesii insipidi, inclusa caveæ, pane, carne, pomis, &c. Advolat in Majorem, & Minorem Poloniam, in Submontanum tractum, vernaculè *Podgorze*, visitat Lituaniam circa Grodnam, comparet in Prussia, &c. nec est Turdus baccivorus, aut alius, ut antea annotaveram, relatione sinistra ductus.

XXXVIII. GIRFALCO *Aldrovandi*, Girofalco *Alberti*, Hierofalco *Jovii* & *Miechovitæ*, Germanis Gyr-Falck, Moschouitis *Kiczot*, Pol. *Biatozor*, visus *ab Aldrovando, Ornithologiæ lib.* 7. icone donatus, atque ita descriptus: vertex ei complanatus ac sessilis, coloris cinerei, rostrum crassum, validum, breve, cæruleum, unco modico sed acutissimo, robusto, subcæruleo, deorsum incurvatum. Pupilla nigerrima, iris cærulea, cum circulo cæruleo quoque ambiente conspicitur, dorsum, alæ, venter, cauda albi coloris, verùm dorsi, alarumque plumæ pæne singulæ nigrâ maculâ sunt notatæ, quæ cordis quodammodo figuram æmulatur, alæ admodùm longæ, adeò ut parùm abesset, quin ad extremam usque caudam pertingerent. Gula, pectus & venter, pura albedine tinguntur, sine maculis ullis. Tibiæ crassæ, robustæ, pedum digiti oblongi, validi, latè expansi. Gyrfalco *Willughby*, est Falco Vulturinus, rapax, Falcones omnes, etiam Sacrum dictum magnitudine superans, fortis, ferox, mirè audax, aves omnes quantumvis magnas capiens, reliquis Falconibus & Asturibus terribilis, Gruibus & Ardeis inprimis in-

infesta. Icon ejus apud *Willughby præfatum Tabula VIII.* exhibet. Girfalconum *Careano* aliquot sunt genera, plumarum colore distincta, quidam flavi, alii rubei, fusci nonnulli. Non solùm in Irlandia & Norvegia, ut vult *Belisarius*, Girfalcones nascuntur, sed etiam *Tardivi Galli* testimoniô, *apud Aldrovandum*, in Dacia, Prussia, ea potissimùm parte, quæ ad Russiam vergit. GLAREOLA I. *Schwenckfeldii*, Erythropus I. *Gesneri*, Redschanca *Turneri*, Germ. Rothein, Rothfüssel, rostro est oblongo & nigricante, per summum modicè inflexo, pennis fuscis albo passim insperfis, ventre albo, maculis fuscis per transversum intercepto.

XXXIX. GRUS, Germ. Kranich, Pol. *Zoraw*, habet rostrum rectum, acutum, alas ampliſſimas, cauda pro alitis mole, exigua & perbrevis, crura alta, fusca, caro sapida. Grus *à Plinio in Historia Naturali* descripta, *à Cicerone de Natura Deorum lib. 2.* sequentia divulgata: Grues loca calidiora petentes, maria transmittunt, trianguli formam efficiunt, in tergo prævolantium colla & capita reponunt, quod, quia ipse dux facere non potest, nam non habet ubi nitatur, revolat, ut ipse quoque quiescat, in ejus locum succedit ex eis una quæ acquieverat, eaque vicissitudo in omni cursu servatur. De volatu & migratione avium earundem plurima *Gesnerus* exposuit. In regionibus Asiæ Gog & Magog Gruum species sunt diversæ, in Provinciis Polonicis, Grues majores, & minores adverti, majores in copia præsertim in Cujavia, inter *Miropol* & *Cudnow* Oppida Palatinatûs Kiovienſis, in Podolia, in locis paluſtribus & arundinaceis Volhiniæ, in quibus nidi ponuntur ad fætus productionem. Grues minores ferunt cristas incanas ponè aures, nigricantes sub gutture, incolæ dicuntur esse Podoliæ, Volhiniæ, Ukrainæ, alitæ duæ Kniehinini, inter Ostrogium & Dubnam.

XL. HALIÆTUS seu Aquila marina, Aquila piscium, Germ. Fisch-Adler, Pol. *Orzeł morski*, Illyriis *Ostrzyż*, corpore major Milvô, ex descriptione *Schwenckfeldii*, rostrum aquilino paulò minus, vertex capitis albus, fuscis lineis distinctus, guttur

guttur & pectus maculis notatus rufis, venter purè candidus, oculi in medio nigri, in ambitu aurei, alæ fuscæ, præter tres extremas majores pennas, quæ nigricant, crura pollice crassiora, brevia, squamosa, pedes hamati, & coloris cærulei, ungues nigri, acuti, magni, fere Aquilæ, caro piscium odorem spirat. Secundùm *Plinium in Historia Naturali*, avis clarissima acie oculorum, librans sese ex alto, visoque in Mari pisce, præceps in eum ruens, & discussis pectore aquis, rapiens. Nec solum circa Mare moratur, sed etiam ad flumina, lacus, & stagna, arboribus insidens piscibus insidiatur. Advertens quidam agrorum cultor in Territorio Cremenecensi, ab ave ista Lucium captum, ausus est ei prædam subtrahere, ast infeliciter, nam Haliætus mox irritatus, dimisso pisce, à tergo involans in raptorem, humeris illius immersit ungues, capiti lethalia vulnera intulit rostrô.

XLI. HIRUNDO, Germ. Schwalbe, Pol. *Jaskotka*, avis volatus flexuosi, nulla arte mansvescens, ubi hiemem agat, *Thomasii Dissertatio Philosophica de Hirundinum hibernaculis*, declarat. Non omnes Hirundines transmigrationem amare, sed aliquas tantùm *Kircherus* tradit, plurimæ pro diversis speciebus, in montium latebras, arborum cavitates, se demittunt. Adducitur *ab Aldrovando Tolentinus Cremonensis testis*, quòd etiam in cisternas & puteos passim se præcipitent, instante autumno. Contingit id in nostris partibus, refert *Franck in Satyris Medicis*. Lacus pagi *Polesie*, & *Liniewo*, in Palatinatu Pomeraniæ continebat Hirundines hibernantes, mutuò conglobatas, quas sagena deprompserat. Idem piscatores in Borussia observârunt, ait *Schwenckfeld in Aviario Silesiæ*, extrahentes Hirundinum copiam. In rimis murorum Templi repertæ in Prussia, ante æquinoctium vernum. Observatum aliquando Coloniæ, inquit *Zahn in Specula Physico-Mathem. Historica*, dum Passerem ex occupato nido, Hirundo ejicere non valeret, stridore suo plures alias convocasse, hæ volantes cum impetu, lutô, quod singulæ ore gerebant, nidi foramen obstruxerunt, & Passerem nido conclusum suf-

suffocârunt. Renovata est hæc historia non in Collegio Calissiensi, sed Ostrogiensi S. J. in Volhinia, spectante *P. Batyowski* ejusdem Religionis. Lapilli denominati Chelidonii, pullis Hirundinum innascuntur, hi quales sint, quantasque vires obtineant in medicina, *à Boetio de Boot in Historia Gemmarum*, est expositum. Hirundo candida Pelplini in Prussia nata & educata, altera ejusdem coloris, in prædio *Dybow* Insulæ Mariæburgensis, Germ. Marien-Werder, anno 1726. visa à pluribus. Si Hirundines albas habere desiderant aliqui, suadet *Aldrovandus*, ut ova, dum illis aves hæ incubant, olivâ illiniantur. Hirundinum species quatuor in Regionibus nostris spectantur, prima Germanis Rauch-Schwalbe, secunda Leim-Schwalbe, tertia Sand-Schwalbe omnium minima, quarta Thawer-Schwalbe sive Apus, Hirundo Templorum *Turneri*, Cypselus, Pol. *Jerzyk* vocatur.

XLII. HIRUNDO MARINA, Sterna *Turneri*, Germanis See-Schwalbe, Kleine Mewe, Pol. *Jaskotka morska*, *Kulig morski*, ex descriptione *Willughby Ornithologiæ lib. 3.* habet corpus valde exiguum, tenue, longiusculum, alæ longæ, pedes parvi, cauda forcipata, unde & nomen Hirundinis ei inditum, vertex niger, maxillæ, mentum, venter infimus, alarum tegetes infernæ albæ, pectus intermedium cinerei nonnihil admistum tenet, dorsum & supina alarum facies obscurè cinerea, rostrum longum, fere rectum, extremo nigricans, aliàs rubrum, os intus rubet, lingua acuminata, pedes rubri, posticus digitus exiguus, digiti membranis conjuncti. Volando prædæ inhiat, miraque agilitate, visô pisciculô, se in aquam ab alto præcipitat, & immergit, eoque arreptô, mox avolat, fluvios etiam à mari procul remotos frequentat. Eadem avis *Turnero*, Laris marinis ita similis est, ut sola magnitudine & colore, ab illis differre videatur, minor tamen illis, & magis nigra. Æstate tota dum parit, improbè clamosa est, juxta lacus & paludes, degentes obtundit clamore immodico. Prussiæ ora maritima volucrem istam alit.

XLIII. HORTULANUS, Miliaria *Varronis*, Cenchramus *Aristotelis*, Germ. Jût-Vogel, Pol. *Ogrodniczek*, ex Latino vocabulo, Passeri torquato, ait *Willughby*, perquàm similis est, ab eo tamen in nonnullis manifestè differt. Primò, loco, nam Passer dictus inter arundines plurimùm degit, secundò, colore, nam Hortulanus magis rufus est, nec torquem ullam habet, præterea maculam flavam sub gutture obtinet, quâ ille caret. Secundùm Ornithologos alios, Hortulani rostrum, crura tota, & pedum digiti rubescunt, caput, collum, pectus, in mare flavum, &c. Species plures Hortulanorum *Aldrovandus* exposuit, inter illos, flavus, & albus seu potiùs ex albo variegatus numeratur. Frequens in Italia, circa Bononiam, Florentiam, &c. & in Cypro Insula. Ex Hortulanis parvis delicatissimi cibi fiunt, præsertim in Regno Galliæ: impinguari solent in cubiculis tenebrosis. HORTULANUS CINEREUS, Species III. *Aldrovandi*, Germ. Knipper, Pol. *Głuszek*, cum Aureola seu Emberiza flava frequenter volitat, capitur in Prussia ab aucupibus. HORTULANUS EX ALBO VARIEGATUS, Germanis Schnee-Vogel, Pol. *Snieguła*, Emberiza varia *Schwenckfeldii*, descripta est infra num. LIV. sub nomine Nivalis Avis. Etiam Aureola seu Emberiza flava, Passer flavus, Germ. Goldammer, Pol. *Trznadel*, ad genus Hortulanorum refertur.

XLIV. ISPIDA seu Alcyon fluviatilis, Alcyon riparia, Alcedo, Plombina, Avis S. Mariæ, vulgò Regis piscator, Martinus piscator, German. Eys-Vogel, Polon. *Zimorodek rzeczny*, ex inspectione *Gesneri*, habet rostrum tres digitos longum, rectum, nigrum, in summo acutum, ventrem totum & minores sub alis plumas coloris ferruginei ac rufi, pedes breves, rubicundos, in quibus duo longiores digiti, ad mediam usque partem connexi, postea finduntur. Plumæ genua tegunt, inferior pars nuda est, per medium dorsum, à principio ejus, usque ad finem caudæ, plumæ sunt coloris cærulei diluti, & ad album inclinantis, mirum in modum splendidæ, caput cum cervice videtur esse coloris viridis, trans-

transversis lineis ex albo cæruleis distinctum. Virent alæ, sed interior pars plumarum, in eisdem ad purpureum fere tendit violaceo dilutum colorem. Eadem descripta est *à Willughby in Ornithologia, à Rajo in Synopsi Avium, à Schwenckfeldio in Aviario Sileſiæ*, & aliis. Inter formosiores aves, & quas natura artificiosiore penicillo coloravit, *Balbinus in Hist. Naturali Bohemiæ*, Alcyones habet, fluviatilibus pectus purpureum, collum & dorsum in viridi cæruleum, alas fuscas, rostrum & pedes coloris cinerei attribuit. Volitat circa aquas, maximè solitaria, hieme, juxta glaciem rivulorum degit, nidum rotundum, ad ripas fluminum, lacuum, in terra rostrô excavata deponit, pullos interdum novos educit, pisciculis, vermibus insidiatur, *à Bellonio* non admittitur ad mensas, nec à rusticis tangitur. Cor siccatum, & è collo infantium suspensum, inquit *Schwenckfeld*, comitialem morbum arcet, experimento comprobante.

XLV. LANIUS CINEREUS MAJOR *Willughby*, Sylvarum dominus, Spinitorquus, German. Neun-Mörder, Wald-Höher, Wald-Herr, Polon. *Srokos większy, Dzierzba*, Merulæ vulgari, seu Turdo mediocri, magnitudine par est, caput & dorsum coloris cinerei, mentum & venter albi, pectus, & inferior pars gulæ lineis transversis obscuris varia, rostrum fere sesquidigitale nigrum, in extremo modicè aduncum, nares rotundæ, supra eas pili rigidi seu setæ nigræ succrescunt, à rictu oris utrinque per oculos ad occiput, macula seu linea nigra exporrigitur, pedes nigri. Secundùm *Schwenckfeld*, vox ejus clamosa, canino latratui similis, quam, hiemis præsertim tempore, frequenter, & ad nauseam usque, *hovia hovia* repetit, à plebe caro in cibum recipitur. LANIUS MINOR VARIUS *Schwenckfeldii*, Collurio mas *Aldrovandi*, Germ. Kleiner Neun-Mörder, Pol. *Srokos mnieyßy pſtry*, habet rostrum crassum, nigrum, acutum, modicè incurvum, vertex & dorsum cinereo colore tinguntur, gulæ, pectoris, ventris, femorum, caudæ pronæ color dilutiùs albicat, in extremitate verò maculis nigris variegatur, crura, & pedes

fusci, ungues nigri, acuti. LANIUS MINOR RUTILUS seu Lanius parvus rubeus *Schwenckfeldii*, Germ. Röthlicher Neun-Mörder, Pol. *Srokos żołtoczerwony*, Passeris sylvestris est magnitudine, sive Jyngis, cui nonnihil similis, superna parte tota rufescit, ut & vertex capitis, lineolis obscuris transversis varius, venter albet, cinereis punctis notatus, macula, ut Laris aliis, sub oculis nigra, rostrum aduncum coloris cornei, pedes glauci, unguiculi fusci, aviculas minores in visco hærentes dum persequitur, ipsemet visco intricatur & capitur, ad cibum aptior cæteris. LANIUS MINOR RUFO-CINEREUS *Raji in Synopsi Avium*, descriptio ponitur ejus ibidem pag. 19. LANIUS CINEREUS MAXIMUS *Gesneri* & *Willughby*, Germ. Allergrößter Neun-Mörder, Pol. *Srokos naywiększy popielasty*, similis Laniis præsertim majoribus, quos tamen duplò fere vincit magnitudine. Icon illius apud *Gesnerum lib. 3. pag. 522.* proposita.

XLVI. LARUS MAJOR CINEREUS *Baltneri* apud *Willughby*, Gavia, Piscator, Germ. Grösserer Fisch-Fresser, Pol. *Rybiew popielasty większy*, *Kulig*, corpore toto cinereo obscuro, supina saltem parte, vertex ex viridi obscurè nigricat, rostrum rectum miniaceum, crura & pedes nigricant, alæ longissimæ complicatæ, ultrà caudam extremam porrectæ, pedes à plumis ad ungues nudi, quadrantem ulnæ longi. A *Schwenckfeldio* Larus major cinereus ita describitur: caput totum fuligineum, prona parte ad medium usque collum, ora extrema palpebrarum tubra, lingua bifida, gula amplissima præponitur ventriculo, rostrum digitos duos longum, leniter incurvum, alæ magnæ & oblongæ. Color undique niveus, præter alas superiores, & dorsum tantùm, quæ duo cinerea sunt. Extremæ & longiores alarum pennæ altero latere albæ, altero partim albæ, partim nigræ. Avis levis, plumis abundans, parùm carnis habens, clamosa nimiùm, volat fere perpetuò super aquas, ex alto ad prædam piscium se demittit, cibo inutilis. LARUS MINOR CINEREUS *Schwenckfeldii*, Larus piscator *Gesneri*, Gavia minor, rostrum

habet

habet longum, rictum, rubens, in extremo nigrum, color in dorso, & alis cinereus, vertex capitis niger, venter, & cauda bifurcata albicans, pedes rubent, digiti tres membranulis, sibi cohærent, alæ longissimæ, avis æstate in lacubus, &c. obvia. LARUS MINOR NIGER *Schwenckfeldii*, *Gesneri*, Meva nigra, magnitudo ei Turturis fere, caput, rostrum, collum, pectus, dorsum supinum, ad alas usque nigrum, maculæ utrinque circa oculos ex fusco purpurascentes, ad rostrum albicantes, alæ dodrantem longæ, ultra caudam non divisam extensæ, crura, & pedes rubent, cum nigricantibus transversim anteriùs maculis. Nidum in arundinibus piscinarum suspendit. LARUS MAXIMUS *Willughby*, ex albo & nigro seu cæruleo nigricante varius, habet caput grande, verticem planum, rictum oris amplum, rostrum luteum, ad latera compressum, tres digitos longum, in extremitate nonnihil aduncum, caput, collum, pectus, venter, & cauda coloris albi, medium dorsum, & alæ, præter apices remigum, nigricant. Mandibula inferior apicem versùs in angulum infernè extuberat, ubi macula utrinque duplici, inferiore rubra, superiore nigra inficitur, palpebrarum margines seu tarsi circumcirca crocei coloris, cauda pennis niveis constat, crura, & pedes albi, ungues nigri, digitus retrorsus parvus. LARUS CINEREUS ROSTRO ET PEDIBUS RUBRIS *Aldrovandi*, magnitudine Columbam domesticam fere æquat, caput, & gula ad medium ex nigro cinerescunt, rostrum & pedes coloris sanguinei, palatum miniacei, dorsum nonnihil inflexum, medium cinereum, palpebrarum tarsi rubri, collum, pectus, venter, & cauda albescunt, digitus retrorsus parvus, ungues exigui, nigri. Mas à fœmina facie externa parùm differt. LARUS CINEREUS seu Gavia cinerea *Aldrovandi*, Hirundo Marina *Gesneri*, Germ. Mewe, Pol. *Mewa*, magnitudo ejus oblongior superat Columbam, color undique albus, in dorso tantùm & alis cinereus, alæ magnæ & oblongæ, extremæ & longiores alarum pennæ, altero latere albæ sunt, altero partim

albæ, partim nigræ, crura & pedes fuscescunt, vel leviter ad ferrugineum, cum quodam rubore, accedunt, rostrum leviter incurvum & fuscum. Tota avis levis est, ac plumis abundans, parùm carnis continens. Depingitur *ab Aldrovando* major & minor, flumina, lacus, & Mare in Prussia visitat, rusticos arantes sequitur, propter vermiculos. LARUS PARVUS rostrô rubrô non rarus est. LARUS MINIMUS, *Kleinio* est Hirundo marina, Alaudâ major, supernè fuscus, infernè albus, in collo, circulo uno candido, altero nigro notatus, pedes oblongos habens. Larorum Prussicorum capita partim albo, partim nigro colore sunt distincta, *Aldrovando Ornithologiæ lib.* 19. innuente. Quatuor genera Larorum inquit *Cnapius in Thesauro*, & *Anonymus Polonus* recenset de Avibus, majus, mediocre, minus, minimum, ex viridi rubens. Idem scribit Author Libelli Polonicè impressi, sub titulo *Myśliſtwo Ptaſze.*

XLVII. LINARIA RUBRA *Schwenckfeldii*, Ægithus *Bellonii*, Miliaria *Ruellii*, Miliaria rubetra *Longolii*, Linota Gallorum, Germ. Rother Henfling, Polon. *Makolągwa*, est Passeris magnitudine, seu paulò minor, coloris ex cinereo testacei, in pectore, & ventre, maculis sanguineis aspersa, alarum rectrices pennæ fuscæ, ad latera, & in extremitatibus suis candicant, cruscula brevia, gracilia. A lini semine, quo vesci amat, dicta Linaria, à papavere Papaverina, canit suavissimè, nidum ponit in vepribus, dumetis, &c. colorem annosa mutat, præsertim in cavea, rubedine caret in pectore. Linaria *apud Gesnerum*, & *Willughby*, quadruplex est, Linaria vulgaris, Linaria rubra major, Linaria rubra minor, & Linaria montana. LINARIA VULGARIS *Willughby*, habet caput ex cinereo & nigro varium, rostrum semidigitale, validum, supra nigricans, subtus album, pectus albet, cauda nonnihil forcipata &c. cantûs gratissimi. LINARIA RUBRA MAJOR *Willughby*, cum rostro brevi, crasso, Fringillæ rostro simili, vertice insignito colore rubro, reliquo capite & collo circumcirca cinereo, scapulis, dorso, alarum ve-

vestitricibus rufis, pectore rubicundo, ventre infimo albo, cauda nonnihil forcipata, pedibus è rubente fuscis, unguiculis nigris. Fæmina neque dorsum leucophæum habet, neque verticem, aut pectus rubicundum, sed dorsum ex viridi fuscum, pectus sordidè luteum, fuscis maculis respersum, reliquæ notæ conveniunt, amænè cantat. LINARIA RUBRA MINOR *Willughby*, habet sinciput colore rubro seu miniato splendente insigne, rostrum minus, pectus rubrum, ventrem imum albicantem, pennas caudæ & alarum remiges nigredinem ferentes, caudam nonnihil forcipatam, pedes & crura fusca, unguiculos nigros. LINARIA VIRIDIS *Schwenckfeldii*, Linaria flava aliorum, Germ. Grüner Henfling, vulgò in Prussia Schwontzke, Polon. *Dzwoniec, Konopka*, tota superficietenus ex cinereo luteo ad viridem colorem vergit, Alaudam fere magnitudine refert, rostro breviusculo, rotundo, in extremitate acuto, coloris superiùs cornei, infra carnei, alarum majores pennæ bifurcatæ ex cinereo & castaneo nigrescunt. Inter spinas plurimùm degit, milio, & cannabi nutritur in cavea, sonorè canit, & quòd campanulam seu nolulam voce imitetur, Nolaria dici potest.

XLVIII. LOXIA *Gesneri*, Curvirostra *Schwenckfeldii*, Crucifera, Cruciata, Germ. Creutz-Vogel, Krumschnabel, Pol. *Krzywonos*, caput ei magnum, rostrum coloris cornei, cujus summæ partes ac mucrones, in crucis morem, invicem sunt transpositæ ac decussatæ, crura subrubent, color per corpus totum varius, qui cum tempore, & ætate mutatur, nidificat in cavis arboribus. LUSCINIA MAJOR, Germ. Grosse Nachtigal, Pol. *Stowik większy*, tota fere cinerea, parum rubedinis obtinens, rostellum oblongius, lingua brevissima, ocelli nigricantes. Cantûs suavitate præcellit, quam diebus ac noctibus continuat, in planis, & ad flumina, rivos versatur, ad montes non volat. LUSCINIA MINOR seu Luscinia montana, Germ. Kleine Nachtigal, aucupibus Dörling, in amænis ut plurimùm, & frutetosis montium locis degit, & nidificat. A majore differt non solùm magnitudine,

dine, sed etiam cantûs varietate. LUTEA ALTERA *Jonstoni*, à colore paleari dicta, quam alii Ciam, Pagliariam seu Pagliariciam, Angli *Gelgorstam* vocant, alimentum in equinis stercoribus quærit, etiam granis hordei, &c. vescitur.

XLIX. MERGANSER *Aldrovandi*, ita descriptus est à *Willughby in Ornithologia:* figura corporis oblonga, dorsum latum & planum, caput cum superiore colli parte, ex viridi seu cæruleo splendente nigricat, inferior medietas colli alba, cum aliquo splendore, superior tamen infimi colli pars, dorsum medium, nec non scapulares pennæ interiores nigræ, exteriores albæ, dorsum inferius dilutè cinerescit, cauda tota cinerea, femorum plumæ exteriores variæ, cum lineis subalbidis & nigricantibus alternis cymatilis ductu, cirrum in capite propriè dictum non tenet, plumæ tantùm laxiores sunt, & surrectiores solitò, unde & caput majus apparet, aures rotundæ, nares amplæ, oculorum irides sanguineæ, pedes coloris miniacei elegantis, posticus digitus membranulâ auctus. Putatur piscibus victitare. Fœminæ caput sordidè rufum, mentum album, dorsum totum cinereum, prona pars gilva est, ut in mare, alæ in utroque breves & exiguæ, pro corporis mole, quas inter volandum celeriter movet, & paulò super aquæ superficiem, mira pernicitate volat. In icone apud *Willughby* Merganser formâ accedit ad Anserem, rostrum oblongum habet, in extremitate inflexum, pedes quasi anserinos. Hæc avis in Vistula capta est à piscatoribus, & Gedanum allata.

L. MERGULUS MARINUS CRISTATUS, vertice flavo, rostro nigro, palmipes &c. Germ. Meer-Täucherlein, Pol. *Nurek maly morski*, in Prussia spectatur. MERGULUS NIGER *Schwenckfeldii*, seu Colymbus minor, Germ. Schwartz Täucherlein, Pol. *Nurek czarny maly*, est avis è numero non pauco aquatilium, paulò major Columbâ, in capite, collo, dorso niger, venter albus, oculi nigri, cum circulis croceis, seu cinnabrii colore, genæ ejusdem coloris,

quas

quas linea rufa ambit, roſtrum nigrum, acutum, pedes diviſi, fuſci, alarum majores pennæ fuſcæ, inferiores candidæ. Mergit ſeſe, & pisciculos ſub aquis proſequens, huc illuc fertur. MERGUS MAJOR *Schwenckfeldii*, ſeu Colymbus major criſtatus, Urinatrix major, German. Groſſer Kobel-Täucher, Pol. *Nurek większy*, magnitudo Anatis fere, roſtrum obtinet ſubrubens canaliculatum, in acutum deſinens, tres digitos longum, criſtatæ plumæ circa verticem & collum ſupremum eminent, ſuperiùs nigræ, ad latera rufæ, inſtar pilorum Vulpis, dorſum, & majores pennæ alarum fuſcæ, minores albæ, parte prona, pectore & ventre candicat, plumis fere niveis, crura juxta alvum fere retrorsùm porriguntur, glauci coloris, natationi potiùs, quàm ingreſſui apta, digiti pedum terni, lati, adhærentibus membranis, caudâ caret. Pellis elaboratur ad ventriculum calefaciendum, concoctionem promovendam. MERGUS CIRRATUS MINOR *Gesneri*, Anas fuligula I. ejusdem, Querquedula criſtata, Colymbus *Bellonii*, ex deſcriptione *Willughby* habet corpus breve, craſſum, latum & nonnihil compreſſum, caput, præcipuè vertex obſcurè purpurei coloris, ad nigrum vergentis, aut potiùs nigrum, cum aliqua purpuræ mixtura, cirrus ſeu criſta ab occipite retrò dependens, color in cervice, ſcapulis, dorſo, parte denique ſupina tota fuſcus obſcurior, propemodum niger, roſtrum duos circiter digitos longum, latiusculum, præter apicem pallidè cæruleum, oculorum irides flavæ, cauda perbrevis, crura non longa & poſteriùs ſita, pedes lividi, aut obſcurè cærulei, digiti longi, membranæ digitos connectentes nigræ. MERGUS CIRRATUS FUSCUS, Anas longiroſtra *Gesneri*, Serula Venetorum deſcripta eſt inter Aves exoticas, ſed quia occurrit ſæpiùs in Pruſſia, meretur huc transferri. Mergi alii plures, ſub nomine Colymborum, ſupra deſcripti. MEROPS FLAVESCENS, German. Gelber Bienen-Wolf, Pol. *Zołna zołtawa*, ſecundùm *Willughby*, magnitudine Merulæ æqualis, roſtrum longum, nigrum, lingua tenuis, & profundè inciſa

seu lacerata, oculorum irides pulcherrimè rubentes, caput grandius, vertex in nonnullis rufus, in aliis admiscetur nonnihil viroris, venter totus, & pectus usque ad mentum, coloris cærulei. MEROPS RAVUS ceu griseus, Melissophago *Junii*, Polonis *Zołna szara*, etiam Apiastra vocatur *à Servio*, nam infesta est alvearibus, apesque absumit, fere Perdicem æquat, in dorso & partibus supernis alarum, coloris grisei, in inferioribus & cauda diversi, pectus & venter albicans, vertex rubeus, rostrum & lingua longior. Merops *à Gesnero* ita describitur: lingua ejus longa & gracilis est, rostrum nigrum, oblongum, & falcis instar inflexum, quasi triangulum, cauda prorsùs cærulea, ultra alas inflexa, crura brevia, pars sub rostro & pectore pulchrè flava, avis ut plurimùm volans.

LI. MERULA VULGARIS, seu Merula nigra *Schwenckfeldii*, Nigretus *Gesneri*, à colore nigro, Germanis Schwartzer Amsel, Pol. *Kos*, magnitudine est Turdi pilaris, rostro longiusculo, recto, cereo, pedibus nigerrimis, dulce canit, sermonem imitatur humanum facilè, si fere implumis eximatur è nido. MERULA ALPINA *Schwenckfeldii*, Merula montana Germanorum, *Aldrovandi*, German. Berg-Amsel, Stein-Amsel, Hag-Amsel, paulò minor cæteris, rostro & pedibus, coloris ex nigro in fuscum vergentis, rufo quodam modicè admisto, cauda atra, venter coloris cinereonigri. Saxa incolit montium altissimorum. MERULA TORQUATA seu Merula montana, German. Ring-Amsel, Schnee-Amsel, collum & pectus, parte prona plumas habet albas, non torquem in collo, reliqua pars tota inferior maculosa est & varia, rostrum subflavum inferiùs, alarum pennæ margine extrinsecùs albicant, crura ex nigredine obscurè rubent, macula sub gutture fœminæ candidior, mari obscura, qui & magis niger, & splendidior est.

LII. MILVUS REGALIS, seu Accipiter ignavus, fur pullorum *Schwenckfeldii*, Germ. Hüner-Geyer, Stoß-Vogel, Pol. *Kania*, ex Accipitrum genere, caput ex candido obscurè rubet,

rubet, collum plus candidi coloris habet, pectus, venter, & alæ ſuperiores coloris lateritii, alarum majores pennæ fuscæ, crura crocea, dorſum totum ferrugineum, cujus ſingularum plumarum oræ nonnihil albicant, intermixtis notis nigricantibus, roſtrum aduncum, nigrum, pennis minutiſſimis, juxta nares utrinque rigentibus, cauda inferiòr ex albo flavet, crura crocea, ultra poplites propendent plumæ ferrugineæ, ungues quaterni, nigri, adunci. Nidum ponit in abietibus & piceis ſylvarum denſiſſimarum. Eſt quoddam bellum naturale illi cum Corvo, quare alter alterius ubicunque invenit, ova frangit. MILVUS ALBUS *Schwenckfeldii*, ſeu Milvus major candicans, Lanarius albus *Aldrovandi*, Germ. Weiſſer Hüner-Aar, Pol. *Kania biata*, magnitudine ſimilis eſt Milvo regali, color ei candidus, exceptis alarum majoribus pennis, quæ fuscæ ſunt. MILVUS NIGER ſeu Milvus fuscus *Schwenckfeldii*, magnitudine Accipitri palumbario par, caput, collum, venter, tota pars prona, cauda inferna, femora albicant, roſtrum uncum, nigrum, membranâ luteâ obtectum, quô caput contingit, dorſum, alæ ſuperiores, nec non cauda ſuperior fusca, majores alarum pennæ nigræ, femora, & media crura plumis intecta, tibiæ luteæ, graciles valde, altiores, quàm in Milvio regali, digiti itidem lutei, imbecilles, unguiculi nigri, parùm validi. Mures in agris inquirit, pullos avium necdum volantes, per terram vagantes rapit. MILVUS ÆRUGINOSUS *Aldrovandi*, Buteone minor, Cornici par, caput ei non adeò grande, roſtrum ſemidigitale, aduncum, oculi mediocres, alæ complicatæ, ad extremam fere caudam pertingentes.

LIII. MONEDULA *Gesneri*, Gracus *Varronis*, Graculus *Feſti*, Germ. Thale, Aelke, Pol. *Kawka*, *Kawa*, Corvini generis, minor Cornice, tota nigra, minimè canora, nidificat in turribus, & arboribus cavis, pulli eduntur à pauperibus. Duplex eſt Monedula, major & minor, gregatim volat, ſæpiùs clamitat. In fundo pagi *Liſiec* Palatinatûs Caliſſienſis, Monedula pullum unum album edidit, alios coloris nigri.

Allata est ad Monasterium Pelplinense S. O. C. in Prussia; Monedula candida. MOTACILLA ALBA seu Coda tremula, Cnipologus *Turneri*, Cinclus *Sipontini*, Germanis Weisse Bachstelze, Polon. *Pliszka*, *Trzęsiogonek biały*, avicula oblonga, vertice, collo superiore, & pectore nigri coloris, dorso cinereo, rostro longiusculo, tenui, nigro, gulâ candidâ, ventre toto candido. Alæ primùm cinereæ, dein ex albo & nigro variæ, tibiæ & pedes fuscescunt, & longiusculi sunt, cauda oblonga, quam semper motitat, degit plurimùm ad ripas fluminum, ubi muscas capit, & vermiculos. In ejus nido Cuculus aliquando educatur. Contigit id in Monasterii Pelplinensis horto, Motacilla ova quinque vix deposuerat, brevi Cuculus advolans, proprium ovum, (quod unum nonnisi parit, juxta *Aristotelem*, *in Historia Animalium*) apposuit ovorum quinario, & dum pulli excluſi à matre ali debuerant, furtivè ac successivè alienas proles efferebat è nido, solus remansit Cuculi fætus, spectantibus Viris Religiosis. Ab aliis traditur Cuculus, reperto aviculæ alicujus nido, ova perdere, eorumque loco ponere à se productum, non verò pullos exclusos auferre. MOTACILLA FLAVA seu Motacilla minor *Schwenckfeldii*, Florus *Nonnii*, Germ. Gelbe Bachstelze, Pol. *Pliszka żołta*, figurâ cum alba convenit, corpus longiusculum habet, caput & dorsum fuscum, ventrem albicantem cum pauciſſimo colore luteo, gulam luteam, caudam longiusculam & bifurcatam albam, nigram & luteam. In arvis circa pecora frequens. MOTACILLA CINEREA, an FLAVA ALTERA *Aldrovandi*, *à Willughby* ita describitur: magnitudo ejus Motacillæ albæ, rostrum nigrum, rectum, gracile, acuminatum, oculi glauci, palpebræ supernæ & infernæ albæ, super oculos extenditur linea albida, superna pars corporis cinerea, alæ subnigræ, quas medias linea albida, minùs tamen conspicua, transversim secat, mentum & guttur albo ac cinereo colore variatur, pectus & venter ex albo lutescit, cauda toto corpore longior, pennæ extimæ totæ albæ, crura longiuscula, pedes scabri è pallido fuscescunt,

&

& hæc fæmina erat, mas parùm differt, nisi quòd sub mento maculam nigram habet, fluvios lapidosos frequentat, & insectis aquaticis vescitur. MUSCIPETA IV. *Jonstoni*, Grisola *Aldrovandi* & *Willughby*, visitat hortos solitaria. Muscipetas plures *Jonstonus* & *Schwenckfeldius* enumerat, ac describit, hæ quòd non desint etiam nobis existimo.

LIV. NIVALIS AVIS *Olai M.* Passer hibernus, Hortulanus ex albo variegatus nonnullorum, Snegula *Cromeri*, Germ. Schnee-Vogel, Pol. *Snieguła*, *Sniezniczka*, à nive denominata, Emberiza varia *Schwenckfeldii in Aviario Silesiæ*, in quo ita describitur: figurâ Aureolam seu Emberizam flavam refert, magnitudine Alaudam fere æquat, rostrum robustum, crassiusculum intensè flavens, in extremitate nigrum, oculi nigri exornantur circulo obscurè purpurascente, caput totum ex cinereo subrubet, macula juxta oculos ferruginea, prona pars candida præter pectus, quod colore ferrugineo respergitur, caudæ pennæ mediæ nigræ, extremæ utrinque candidæ, alarum pennæ quatuor corpori proximæ atræ sunt, dorsum cinereum nigris maculis varium, cruscula Aureolæ atra, sed cum splendore, ut in Merula. Remissior color est fœminæ, dorsum enim cinereum fuscis notis varium, collum superius cinereum, cum vertice, ex quo nonnihil flavedinis emicat, alarum remiges, & quæ pennæ dorso vicinæ fuscæ sunt, superiores cinereas, quæ in mare totæ candidæ sunt, lineolæ albæ intersecant. Nivalis avis *in Erdtzelii Varsavia Illustrata*, superna parte, vel dorso est coloris ravi, infernè albi, sapore delicato & aromatica, cum Turdis certante, advenit gregatim cum nive, disparet simul cum hieme, versatur in apricis locis, & secus itinera. Aliquando comparet circa Varsaviam, numerosa in tractu Prussiæ arenoso deducente à pago *Wielkawies*, ad Peninsulam Hela, minùs frequens circa villas *Tuchom*, *Tuchomko*, *Klukowo*, *Matarniæ*, *Kolebka*, *Zarnowiec*, &c. Ubi nidum struat, ait *Schwenckfeld*, quando pariat, & unde volet, nondum exploratum; vocem edit altam, num cantillet non habeo, quod dicam. In hy-

pocauſtis, ad menſes duos, tresve, ſemine milii, cuscutæ, fagopyro, &c. aliquando enutrita fuit, absque cantu. Eadem volucris, Ruſſiæ Rubræ circa Leopolim, &c. Podoliæ quoque campos pervolitat.

LV. NOCTUA ſeu Noctua ſylvarum, Noctua ſaxatilis *Aldrovandi*, Germ. Nacht-Eule, Stein-Eule, Pol. *Sowa*, Gallinæ fere eſt magnitudine, ait *Schwenckfeld*, caput prægrande, oculi magni, glauci, roſtrum breviſſimum, aduncum, dilutè fuscum, inter oculos & roſtrum, pennulæ quædam rigent, ceu pili, aut barbulæ, alarum majores pennæ, & cauda lineis transverſim fuscis, latiusculis figurantur, vox ei *tou*, *tou*, *tou*, verſatur in ſylvis, in ſaxoſis & montoſis locis. Hanc aves cæteræ petunt, & circumvolitant, ipſa circumdata, reſupina pedibus repugnat. NOCTUA AURITA *Schwenckfeldii*, Otus *Willughby*, Germ. Uhr-Eule, Ohr-Kutz, Kantz-Eule, Pol. *Sowa uſata*, plumæ enim utrinque in capite, inſtar auricularum prominent, ex ferrugineo tota flavescit, ſed magis ventre, roſtrum nigrum, aduncum, ungues validi, nigri, crura ad ungues usque piloſa, flaventia, faciem ambit circulus, inſtar coronæ, ex plumulis diverſi coloris; vertex varius ex punctulis nigricantibus, luteolis & fuscis, alarum pennæ partim flavæ, præſertim interiores, partim fuscæ mediæ, partim albicantes corpori proximæ, omnes margine extremo candicante, transverſis nigris lineis, discuſſatæ, & notis minutiſſimis, inſtar punctorum, maculatæ. Habitat in montibus, ac in arborum cavernis nidificat, ex raptu vivit avicularum & murium. Vide Bubonem ſupra deſcriptum, judiciumque *Willughby* de Noctua aurita. NOCTUA ALBA, & NOCTUA ex albo & fusco variegata, aurita, in Pruſſia, alibique apparent. NOCTUA MINOR, Scops *Aldrovandi*, Germ. Kleine Nacht-Eule, Pol. *Sowka*, omnium avium rapacium nocturnarum fere minima eſt, Turdo major, Palumbo minor, caput ejus teres, inſtar globuli, plumulis veſtitum, coloris ubique plumbei, roſtrum breve, nigrum, aduncum, plumulæ in aurium modum arrectæ. Potiſſimus

color

color totius corporis ſuperficietenus cinereus eſt, in ventre plumæ candicant, oculi ignei, crocei, ſplendidi, tibiæ plumoſæ ex cinereo ſubrufæ. Utuntur aucupes Noctua hac ad capiendas alias aves.

LVI. NUCIFRAGA *Schwenckfeldii*, Oſſifragus *Gesneri*, Coccothrauſtes *Charletonis*, Turdela ſaxatilis *Aldrovandi*, Germ. Nuß-Bicker, Nuß-Krähe, Nuß-Hacker, Pol. *Klęsk*, *Grabutusk*, Ruſſis *Koſtohryz*, avis montana, Graculo paulò minor, Merulâ major, per totum corpus ex fusco, rubescens, maculis albis, more Sturni diſtincta. Caput ſine maculis ex fusco rubet, roſtrum craſſum, nigricans, alarum pennæ majores nigræ, in extremis candidæ, cauda ſupinè nigra, pronè ferruginea, cujus extremitates albæ ſunt. Secundùm *Willughby*, caput magnum Coccothrauſti, ex flavo rufum, roſtrum grande, durum, à lata baſi in acutum mucronem deſinens, collum cinereum, dorſum rufum, mediis plumarum partibus albentibus, pectus, & latera ex cinereo rubra, pedes ex rubro pallidi, ungues magni, medius digitus longiſſimus. Ceraſorum & olivarum oſſicula expeditè frangit, quorum nucleis avidè inhiat. In arboribus cavis nidificat, in autumno nuces avellanas in terram, ſeu in arbores concavas recondit, quibus confractis hieme utitur.

LVII. ONOCROTALUS *Gesneri*, Pelecanus *Bellonii* & *Aldrovandi*, Truo *Feſti*, Germ. Kropf-Gans, Sack-Gans, Schnee-Gans, Pol. *Baba*, *Bąk cudzoziemski*, Cygno ſimilis eſt, magnitudine par, aut ſuperior, color totius corporis albus, collum tamen flavescens, & dorſalium pennarum ſcapi ſunt nigricantes. A gutture, usque ad pectus receptaculum longum, & latum, inſtar ſacci magni (ingluviem appelles) foras prominet, radici linguæ annexum. Manè & vesperi tantùm piscatur, die tota quietus manet, volat ſolus, & gregatim. Nunquam Onocrotali, niſi in aqua diffuſiore, & piscibus abundante morantur, parvam enim aquam pisces continentem, citiſſimè ingluvie ſua evacuant *Gesnero* referente. In aula Sereniſſimi Bavariæ Ducis Onocrotalus quadraginta annis

annis vixit, hominum conservatione apprimè, & musica tam vocali, quàm instrumentali mirè est delectatus, *Becchio in Animalibus Novæ Hispaniæ* teste. Alter Onocrotalus Mechliniæ in Germania inferiore, ait *Gesnerus*, quinquaginta annis publicè alitus est, addunt alii, & octogenarius certò esse credebatur. Puer parvulus Æthiops in gula ejusdem avis inventus, *Sanctii* testimoniò. Refert *Bontius in Historia Natur. Indiæ Orientalis*, quòd in littoribus Javæ, & Insularum circumjacentium, capturâ piscium vivat. Chinenses piscatores colligant illi guttur, ne pisces deglutiat. Frequens circa Strymonem fluvium, circa Nilum in Ægypto, in America Meridionali, ad littora Caspii Maris, in Hetruriæ maritimis, in Ungaria circa Danubium sæpe conspicitur. Apud nos in Volhiniæ, Podoliæ, Russiæ Rubræ Stagnis majoribus, in Polesiæ Lituanæ lacubus, in Pokutia, in fluminibus *Pripec*, *Stwiá* &c. versatur non rarò, causâ opimæ piscaturæ.

LVIII. ORTYGOMETRA *Aldrovandi*, *Gesneri*, Cenchramus *Plinii*, Coturnix magna, Rex Coturnicum, Rallus terrestris, Germ. Wachtel-König, Polon. *Chrosciel*, *Derkacz*, *Kasper*, similis est Coturnici, inquit *Schwenckfeld*, sed major, & magis nigra, rostro crasso, oblongo, cruribus albis ex flavo virentibus. Tota fere capitis, colli, dorsi, nec non major alarum pars, quâ dorsum spectat, testacea, maculis nigricantibus, & punctulis albicantibus passim (præsertim in junioribus) respersa. Vertex capitis ad cæruleum vergit, venter albicat, alæ, quâ ventrem contingunt, rufescunt. Ex descriptione *Aldrovandi*, Coturnici potissimùm fœminæ perquam similis est, pedes longos, caudam exiguam, ac pænè nullam habet. Coturnicibus abeuntibus, & redeuntibus, dicitur, ducem se præbere. Versatur in agris, & pratis palustribus, die, nocteque obstrepera, rarò volat, cursus velocissimi, inter herbas, & gramina se abdit, ut rarò appareat, nidum struit in pratis, avolat, in autumno, assa in cibum recipitur. Ortygometram alteram *Aristotelis*, Crecem esse existimat *Turnerus*, quæ in segete & lino, non aliam vocem, quàm

crex,

crex, *crex* semper ingeminat. Crex *à Willughby pag.* 122. est descripta.

LIX. OTIS seu Tarda *Isidori* & *Aldrovandi*, Bistarda *Alberti M.* Anser Trappa, Germ. Trappe, Pol. *Drop.* Tarda vocatur, quòd tardè se attollat, *à Schwenckfeldio* ita describitur: caput & collum coloris cinerei, sed supina pars colli ad album vergit, rostrum Gallinæ valde robustum, pectus, venter, & crura quatenus plumis vestiuntur, ad femora media alba sunt. Cauda palmos quatuor longa, pennis rufis, cum tæniis quibusdam, & maculis nigris, superiore & interiore parte albis, alarum pennæ majores candidæ, circa finem nigræ, digiti terni antrorsum, nullus retrò, ungues ut in Gallina, magnitudine Gallopavoni nequaquam cedit. In campis degit spatiosis, legit grana & fruges, vescitur herbis, nidificat in terra, inter segetes. Hiemare in Regionibus nostris, ac inter nives versari observatur, occisa in autumno, ad triginta librarum pondo pervenerat. Numerosissima hæc avis in Podlachia ad *Narew* fluvium, in Podolia, in Ukraina, inter *Miropol* & *Cudnow* oppida, caro ejus est dura, nigra, concoctu difficilis.

LX. PALUMBUS MAJOR, seu torquatus *Aldrovandi*, Columba torquata, Columba sylvana, Germ. Wilde Taube, Holtz-Taube, Pol. *Grzywacz*, est major Columba vulgari, fert caput ex rubro cæruleum, rostrum subflavum, cute utrinque purpurea inductum, oculi rotundissimi, collum exornat circulus albus (seu potiùs macula) imperfectus, supina colli parte desinens, pectus cum aliqua colli proni parte purpurascit, cui cinerei etiam nonnihil est confusum, venter albet, pedes rubicundi. Plerumque in arboribus degit, glandibus, frugibus vescitur, & visci semine, bis in anno pullificat. PALUMBUS MINOR, Palumbulus, Livia, Columba *Gazæ*, Italis Palumbella, Germ. Kleine Holtz-Taube, Stein-Taube, Pol. *Grzywacz mnieyszy*, inquit *Gesnerus* quòd Palumbus minor rectè appellatur, *à Schwenckfeldio* ita describitur: Columba Livia *Aldrovandi*, Columba cavernalis

Alberti, est paulò minor Columbâ domesticâ, plumis planè livet & nigricat, pedibus rubris & scabrosis, alarum majores pennæ & caudæ extremitas nigra, collum pronum, & ad latera ex subviridi purpurascit. Similis & *à Gesnero* descriptio ponitur. Nidificat juxta *Turnerum* non in lapidibus, aut muris, sed in cavernis arborum.

LXI. PARUS NIDUM SUSPENDENS, Germ. & Pol. *Remis.* In Lituania capta cum pullis, & nido pendulo fœmina, *à Sagacissimo Klein Secretario Gedanensi*, sic est descripta: quam, Museum continet meum, magnitudine Parum palustrem non superat, caput obscurè cinereum, cujus plumæ ad ortum, Passeris nigredine tinctæ, ab una aure, ad alteram, continua supra radicem rostri, excurrit zona nigra, quæ oculos simul includit, rostrum Parorum omnium longissimum & acutissimum, multumque differens à rostro Pari caudati, in superiori, inferiorique parte sordidè cærulescens, latera mandibularum ex albo lutea, dorsum ex cinereo & rufescente colore varium, alæ iisdem coloribus, sed ex nigro obscurè variegatæ, remiges ex nigro cinarescunt, venter argenteo colore resplendens, gula nonnihil rufescens, cauda duos digitos longa (nisi fortè maris longior sit) in superiori parte coloris ad cinereum vergentis, in inferiori, quò ad dimidiam longitudinem, albescentis, pedes cærulescentes. Parì caudati seu Monticulæ, ait *Aldrovandus Ornithol. lib. 17. pag. 118.* quatuor nidos observavi, constabant intus ex lanugine illa, quæ generatur in Salice, & Populo, extra ex lino, aut cannabe, quô etiam nidum suspendit, ex arbore, sed figuram fortassis avis mutat, nam plerumque unus ei ingressus est, nonnunquam tamen duo, prior figuram calcei imitatur, alter thoracis. Audio, & *Mourier* apud Gallos nominari quandam Pari speciem exiguam, atro capite, reliquo corpore subcæruleo, vel cinereo, quæ nidum rotundum, cum aditu gemino, ad arboris alicujus truncum suspendit, & ova multa parit. Nidi numero magno, pretio parvo venduntur à ruricolis in Lituania, & in Lituana Polesia, nidi-

nidificat circa *Pererow*, aliosque pagos, in Volhinia penes flumina & ſtagna nonnulla, in Cujavia ad *Notes* fluvium, appenduntur nidi frondibus Salicum, aliarumque arborum, in Pokutia ad *Byſtrzica* amnem nidi ejusdem alitis, cum bino aditu conſpiciuntur, in Ducatu Slucenſi, ad fluminis *Slucz* ripas colliguntur, ſuffumigio illorum ſe levant homines, dum catharro in faucibus opprimuntur. Ova oblonga, candida, ferè pellucida, obducta putamine ſubtiliſſimo.

LXII. PARUS CÆRULEUS, Parus montanus *Gesneri*, *Peuceri* & *Eberi*, Germ. Blaue Meiſe, Bin-Meiſe, Pol. *Sikora modra*, *Bargiel*, ſecundùm *Gesnerum*, Paris cæteris minor, & ſolus cæruleo vertice inſignis, qui aliis omnibus, niger eſt, vel totus vel ex parte. Ex deſcriptione *Schwenckfeldii*, habet roſtellum breve, craſſiusculum, fuscum, dorſum totum cinereo advireſcente colore ornatum, pectus ſupremum flavescit, venter infimus albicat, radicibus plumarum nigris, alæ dilutè cæruleæ, in medio lineam candidam transverſim ductam obtinent, pedes glauci ſeu ſubcærulei. Apud *Willughby*, Parus cæruleus fert caput coloris cærulei, circulô albô, ceu corolla quadam, cinctum, circulô albô ſuccedit alius diverſicolor, gulam, & occiput circumambiens, ſuperiùs capiti fere concolor, gulam versùs, & in ipſa gula niger, circulo huic ſeu zonæ in collo macula nigra ſubeſt, à roſtro brevi, acuto, ex atro fusco, ad occiput per oculos linea nigra excurrit, maxillæ albent, dorſum ex flavo virescit, latera, pectus, & venter lutescunt, mari vertex magis cæruleus, fæminæ & pullis minùs, pars autem ſupina penitùs flaveſcit, cauda duos digitos longa, cærulea, pedes plumbei. Apibus inſidiatur, ova plurima parit.

LXIII. PARUS CARBONARIUS *Schwenckfeldii*, Parus major, Fringillago *Gazæ*, Germ. Groſſe Meiſe, Spiegel-Meiſe, Polon. *Sikora czarna wielka*, maximus eſt omnium, & coloribus elegantiſſimè varians, caput corvino nigrore ſplendet, lingua fiſſa, roſtrum rectum, rotundum, acutum, dorſum ſubviride, pectus, & venter coloris flavi, quem tamen

medium linea nigra in longum ducta secat, alæ partim sunt cyaneæ, partim subnigræ, partim albidæ, cauda bifida, partim cinerea, partim nigra, pedes fusci. PARUS CARBONARIUS MINOR seu Parus ater *Schwenckfeldii*, Parus caninus, Germ. Kleine Kohl-Meise, Pol. *Sikora czarna mnieyßa*, subflavens macula ei infra oculos, & alia in occipitio, reliquum corpus atrum, venter pallidè flavescit, dorsum, ut & alæ, at maculis candicantibus respersæ, rostellum ex nigro splendet, cruscula glauci coloris. Passim occurrit in sylvis, & hortis.

LXIV. PARUS FUSCUS *Schwenckfeldii*, Parus cinereus, Parus palustris *Gesneri*, Parus atricapillus *Aldrovandi*, Parus cinereus, Germ. Asch-Meise, Pfütz-Meise, Pol. *Sikora popielata*, paulò minor est Paro cæruleo, corpore fusco ad cinereum vergente, caput prorsùs nigrum utrinque candicans, pectus & venter albicant, nigri coloris cauda, & dorsum, cui nonnihil rufi admixtum, cruscula fusca, subrubentia. Circa cænum & paludes degit, ad saliceta. PARUS SYLVATICUS *Gesneri* & *Aldrovandi* apud *Willughby*, Germ. Wald-Meise, Holtz-Meise, Pol. *Sikora lesna*, perquam exiguus hic Parus est, macula rubente per medium verticem conspicuus, partibus undique nigris, crusculis fuscis, alis nigricantibus & caudâ extremâ, reliquo corpore viridis, dilutiùs in ventre, *ɣul, ɣil, ɣalp* cantillat.

LXV. PARUS CRISTATUS *Schwenckfeldii*, Germ. Straus-Meise, Pol. *Sikora czubata*, est paulò minor Parô atrô, vertex niger, punctis albis adornatus, crista retrò extensa, dorsum cum cauda fuscum, pectus album, cruscula cinerea. Gregatim volat, tempore autumni, in montibus frequenter capitur, in cibum venit. PARUS CAUDATUS *Schwenckfeldii*, Parus Monticola *Bellonii*, Germ. Schwantz-Meise, Berg-Meise, Pol. *Sikora z długim ogonem*, minor est Paro carbonario, rostellum fuscum, breve, acutum, rotundum, collum supinum, ad dorsum, atrum est, pronè à rostro ad ventrem candicat, intercurrentibus lineolis deorsùm descendentibus nigri-

nigricantibus, vertex, & genæ coloris nivei, venter ad caſtaneum vergit, dorſum purpurascit, remigibus nigris in extremitate albicantibus, cauda longiſſima nigra, pedes nigri. Montana loca frequentat, rarò ad plana descendit, vermibus, araneis, &c. vivit, vox ejus *guickeg*, *guickeg*, avis inquieta, & in certo loco reſidere nescia. Deſcriptio Pari caudati, & *à Willughby Ornithol. lib.* 2. tradita.

LXVI. PASSER TORQUATUS, ſeu Paſſer campeſtris, Paſſer ſylvaticus, Germ. Ringel-Sperling, Feld-Sperling, Wald-Sperling, Pol. *Wrobel lesny*, *polny*, *Mazurek*, minor eſt Paſſere domeſtico, ſupernè fuscus, ſed varius, & lineolis albicantibus interciſus, infernè ad flavedinem vergens, vertice purpureo, collum ambit circulus albus. In ſylveſtribus vitam agit, in arborum truncis foraminoſis nidificat, hieme avolat. PASSER TROGLODYTES *Gesneri*, Paſſer ſepiarius, Trochilus, Germ. Zaun-König, Neſſel-König, Polon. *Strzyzyk*, *Wołowe oczko*, *Krol Myszy*, à multis cum Regulo confunditur, ut *Aldrovandus ex Ornithologo* annotavit: perperam quoque ait *Willughby*, *à Bellonio* & *Turnero* Regulus appellatus. Similis Regulo in multis eſt ſed eô paulò major, nec in fronte plumas aurei coloris habens, pectus ei cinereum, venter infimus, & alarum remiges lineis viciſſim nunc nigris, nunc albicantibus nonnihil transverſim interſtinguuntur, ſub collo nigris, candidisque punctis variatur, roſtellum fuscum, tenue, longiusculum, acutum. Cauda erecta plerumque eſt *Willughbeo*, ſubrecta ſemper *Gesnero*, & albo colore retrò interpuncta. Avis ſolivaga, æſtate in ſylvis vivit, nidum ſtruit ex musco extrinſecùs, intùs ex plumis, brevi volatu ſe exercet, hieme ad oppida & pagos ſpectatur, cantillat, juxta ſepes & muros victum quærit, omnium fere avium poſtrema ſe recipit ad ſomnum. Calculum renum & veſicæ, *Ætio auctore*, perfectè ſanat, ſale conditus, & crudus in cibo acceptus, vel in ollula, operculô additô, uſtus, vel integer, avulſis ſolùm pennis, aſſatus.

LXVII. PASSER MONTANUS *Aldrovandi*, Germ. Berg-Sperling, Weiden-Sperling, Pol. *Wrobel gorny*, ejusdem ferè magnitudinis cum domestico, rostrum breve, acutum, capitis vertex castaneus seu ruber, dorsum atque alæ totæ partim flavæ, partim nigræ, alæ verò quæ ventrem contingunt, modò ferrugineæ, modò atræ, modò albæ, pectus albet, mentum atrum, inter quod & verticem color albus est, cauda longiuscula ex luteo fuscescit, tibiæ, & pedes subflavi. Fæmina pallidior est, & mentum nigrâ maculâ caret. In montibus degit, nidificat in cavis arboribus. Non tantùm in Stiria & Carinthia Passer montanus, sed etiam in Prussia frequens. PASSER MONTANUS TRICOLOR, Germ. Moschowiter-Sperling, Pol. *Wrobel troistego koloru*, tribus coloribus, albô, nigrô, & subflavô, conspicuus, nullus tamen eorum potior dici potest, caput & collum album, cum intercurrentibus maculis subluteæ, alæ coloribus tribus præfatis ornatæ. Avis frequentissima in Prussia.

LXVIII. PASSER ARUNDINARIUS *Schwenckfeldii*, Passer aquaticus *Eberi* & *Teuceri*, seu Rubetra *Aldrovandi*, Passer torquatus palustris *Junii* & *Gazæ*, Germ. Rohr-Sperling, Polon. *Wrobel trzcinny*, Passere vulgari paulò minor, rostrum ei breve, crassum, nigricans, venter albidus, pectus subflavum, vertex totus ater, & mentum ejusdem coloris, punctulis albidis aspersum, collum supinum ambit circulus albus, cui macula longiuscula similis coloris, sub oculis exorta retrò jungitur, oculi nigri, dorsum cinereum notis nigris varium, alarum pennæ remiges ex fusco, cum cauda, cujus exteriores pennæ tres utrinque in extremitatibus albedine maculantur. Post Æquinoctium vernum apparet, & tota æstate in arundinetis vivit, à quibus vix discedit, cantu suavis, nidum inter arundines artificiosè suspendit. PASSER VULGARI ASSIMILIS, sed illo major, cantillansque non insuaviter, à Polonis *Potrzos* appellatus, unus ex prædictis esse debet. PASSER DOMESTICUS, Pol. *Wrobel domowy*,

domowy, descriptione non eget, oculis passim est subjectus. Diu credideram, ait *Balbinus in Historia Naturali Bohemiæ*, cicurari Passeres & mansuefieri (ut Scriptorum aliqui docuerant) vix, ac ne vix quidem posse, ac posteà exemplis comperi, sic ad humanitatem eos educari, ut nihil sit homini familiarius, nihil blandius. In Bohemia unus è nostris, parvum, & adhuc à matre calentem, flavirostrum, nido raptum Passerculum sic assuefecerat sibi, ut etiam adultus in cubiculo habitaret: dici non potest, quales ille nobis de se ludos præbuerit. In Collegio Pragensi, Hortense Refectorium Passer cicur involabat, ibi veluti assecla mensarum assentabatur, vini summè appetens fuit, semel ebrius è Refectorio exportatus. Religiosus ex Cænobio Bistricensi, Passerem habebat, qui in ejus caputio, velut in nido hospitabatur, currum sequebatur, &c. PASSER SEPIUM, Pol. *Pokrzywka*, etiam illa avis denominatur, quæ ad sepes, in urticis, herbis, graminibus, &c. nidificat, prolemque educat. PASSER SOLITARIUS seu Merula tertia *Aristotelis*, *Gesnero* & *Aldrovando*, Pol. *Wrobel osobny*, avis tota nigra, inquit *Jonstonus in Historia Avium*, rostrô longiusculô parumper arcuato, capite parvo, superiùs plano, nigroque ad latera, &c. Fœmina tota fusca, in pectore maculis lutescentibus variegata, mari planè dissimilis. In rupibus solitariis nidificat, rarò in plano, aut in vallibus cernitur, anni tempore certo, sub tegulis degit, canit noctu æquè ac interdiu. Addunt alii, antiquis ædificiis & tectis Templorum insidens nidificat, suavissimè canit voce fistulæ æmula. Icon depicta est *à Bellonio* & *Jonstono præfato*. In regionibus nostris an hæc ales versetur, post longiorem inquisitionem, ad notitiam non deveni.

LXIX. PELICANUS *Gesneri*, Platea *Plinii*, Platelea *Ciceronis*, Anser Cochlearius, Cochlearia, Anser platorynchos, Albardeola, Leucorodius, Germ. Löffel-Gans, Pelican, Pol. *Pelikan*, *Plaskonos*, magnitudo ejus, ait *Schwenckfeld*, est infra Anserem, color candidus, præter ultimas & maximas alarum pennas,

pennas, quæ ex parte inferiori nigricant, collum longum, lingua breviſſima, oculi glauci, roſtrum latum, fuscum, fere cochlearis ſimilitudine, cauda brevis, crura nigra, pedes ejusdem coloris, digiti pedum membranâ junguntur. Apud *Willughby*, roſtrum figuræ ſingularis, & inſolitæ, planum & depreſſum, prope extremitatem, in circularem fere figuram dilatatum, ad ſimilitudinem cochlearis, unde & avis ipſa Cochlearia dicitur. Vorax eſt *Aldrovando*, piscibus victitat, quos & Mergis eripit, herbasque aliquas aquaticas in cibum ſumit. Quibusdam caro anſerinæ carni, ſapore, & aliis qualitatibus videtur non eſſe diſſimilis, inquit *Cosmius in Magna Naturæ Oeconomia:* apud Anglos in deliciis habetur, *Aldrovando* teſtante. Frequentes ſunt Plateæ ſeu Abardeolæ in littore Oceani, præſertim contermino Britanniæ, ibique in excelſis arboribus nidificant, cæterùm non maritima tantùm, ſed paluſtria quoque loca amant. Rariùs in Helvetia, ſæpiùs in Bohemia conſpiciuntur; Ægypto ſunt familiares, non procul Leida Urbe Hollandiæ, magno numero, quotannis eædem aves nidos ponunt. Apud nos ad Viſtulam, propè Fortalitium Mundenſe Gedanenſium, glande bombardæ tactus Pelicanus unus in ala, vitam retinuit, duo illæſi avolârunt. Servabatur in *Kleiniano horto* ratitatibus pleno, ibidem & alter eſt alitus, obſervataque criſta alba in capite, quæ nunc contrahebatur, nunc dilatabatur, verticem tegendo, atque ornando. In Volhinia quoque Pelicanus interdum ſpectari traditur. Ex Inſula Surinamenſi ſeu Nova Guinea, *D. Klein* accepit, Muſeoque ſuo intulit Pelicani albi caput, & alas eleganter colore coccineo tinctas. Pelicanus pictorum & vulgi, pectus ſaucians, & ſanguinem fluentem pullis ſuppeditans fabuloſus eſt, *Aldrovandi, & aliorum Ornithologorum* judiciô.

LXX. PERDIX CINEREA ſeu Campeſtris *Aldrovandi*, *Schwenckfeldii*, Germ. Reb-Huhn, Feld-Huhn, Pol. *Kuropatwa*, avis pulveratrix colore vario, roſtrum ſubfuscum, dorſum fuscum, ſubflavum & rufum, colores obtinet per trans-

transversum alternatim dispositos, alæ fuscæ, & lineis longiusculis, maculisque albicantibus, & rufis majusculis per transversum aspersæ, caudæ pennæ utrinque coloris latericii senæ, mediæ totidem cum dorso similes, sinciput, & partes circa oculos, mentum, simplici rubore insigniuntur, collum & pectus dilutè coloris cinerei, exiguis punctulis nigris interstincta, in medio ventre pennæ rufæ, ad fuscum colorem tendentes, venter inferior & crura albicant, pedes ex glaucino fusci. Perdices dividit *Gesnerus* in majores & minores seu Starnas, earum caro in cibo minùs laudatur, & subfusca est, majorum caro albicat. Ova æstate parit plurima, alba, quindecim, octodecim, aut viginti, pullos mira calliditate, ex aucupum manibus eripit. Interdum Perdices annosæ capiuntur apud nos, quæ amisso colore vario, albentem induunt, quasi senii notam. Contingit sæpiùs, ut exercentes artem aucupii, Perdicum centum, aut ducenta, aut trecenta, quadringenta, quingenta paria, heris suis adferant singulis annis. Magnates & Viri nobiles aliqui in Volhinia, & alibi, Perdices captas alitasque domi per hiemem, tempore verno, dimittunt ad campos, sylvulas, virgulta, ut prolem edant, ad venationem futuram copiosiorem. Grodnæ in Lituania, tempore Comitiorum Generalium, in Nuptiis solennibus institutis *à Serenissima Regina Joannis III. Consorte*, in gratiam Consanguineæ, quatuor millia Perdicum, numerosis aliis volucribus, fuerunt appositа, mensisque illata. In Submontanis circa Crosnam, Perdicum par grossis Prussicis sex non raró emitur. Perdices in Podolia, cum rostris & pedibus rubris inveniuntur.

LXXI. PERDIX RUSTICA MAJOR seu Scolopax *Aldrovandi*, Gallina rustica, Rusticula major, Gallis *Becasse grand*, Germ. Wald-Schnepfe, Holtz-Schnepfe, Berg-Schnepfe, Pol. *Slomka*, ex descriptione *Schwenckfeldii*, magnitudine est inferior Gallinâ villaticâ, major Perdice campestri seu vulgari, colore per dorsum vario, qui declinat ad cinereum, cum quodam rubore & flavedine, ventre cinereo transversim

lineis nigricantibus variato, alarum pennæ majores fuscæ, maculis lateritiis secundùm longitudinem tinctæ, cauda brevis, cujus latera maculis rubentibus insignita, caput magnum, lingua longa, gracilis, nervosa, rostrum ampliùs palmum longum, rectum, anteriùs nigricans, & asperum, crura rubent, digiti fissi. Currit velociter, gaudet humidis & palustribus locis, vermibus alitur, nunquam grana attingit. Caro ejus optima est, minùs albet quàm Perdicis, ad rubedinem inclinans. Per diem fere inter arbusta latet, noctu in prata provolat. PERDIX RUSTICA MEDIA seu Perdix Rustica *Martialis*, Rusticula, Germ. Doppel-Schnepfe, Pol. *Bekas większy, albo srzedni*, Attagene minor, habens rostrum oblongum, ad quatuor pollices protensum, nec collum breve, crura alta atque gracilia, cauda curta, plumæ versicolores, digiti quatuor, moratur hæc avis in pratis, ac locis madidis, caro sapida multùm, in æstimatione nec non pretio.

LXXII. PERDIX RUSTICA MINOR, Scolopax minor, Rusticula minor, Gallinago minor, Capella cælestis à voce Capram imitante *mee, mec, mec*, Germanis Wasser-Schnepfe, Heer-Schnepfe, Himmels-Ziege, Gallis *Becasse*, Pol. *Bekas, Kozietek, Baranek*, priori, ait *Schwenckfeld*, forma & colore prorsus similis, magnitudine differens rostrum obtinet quinque digitos longum. Colore macularumque varietate distincta est, ex fusco, cinereo, nigro, albicante, & lateritio, at minùs, quàm Rusticula major. Crura obscurè rubent, venter albidus, cauda cinerea, nigris & rubris maculis aspersa. Æstate à lacuum, & piscinarum marginibus non discedit, vermibus & insectis palustribus sustentatur, caro ejus tenera, & suavis, in mensarum deliciis est. PERDIX SYLVESTRIS *Nemesiani*, Rusticula *Martialis*, Rusticula major recentiorum, Pol. *Pardwa*, ex descriptione *Cnapii in Thesauro*, alia Gallinæ par, alia minor, Attagenis & Perdicis colore, pulchra, stolida, currens celerrimè. Ex relatione mihi facta à fistulatore quodam, avis habens in dorso, aliisque partibus corporis plumas similes plumis Tardæ, magnitudo ejus est

Te-

Tetracis fæminæ, roſtrum albicans, ſupra oculos macula rubra, venter albus, & alarum medietas ejusdem coloris, cauda mediocris, pedes hirti, volat lentè, & quaſi ſibilum imitans. Non debet confundi cum Perdicibus ſuperiùs poſitis, nam ſpeciei diverſæ eſt, verſatur numerosè in Podoliæ campis latepatentibus, in Volhinia circa Conſtantinovum vetus, *Horodyszcza*, *Polachowa*, *Daniłowka*, *Deniszowka*, &c. in Ruſſia rubra circa *Brzezany*, *Trembowla*, *Darachowa*, &c. in Ukraina circa *Winnica*, *Berdyczow*, *Niemierow*, &c. in Lituania circa *Mir*, aliisque in locis. Caro à multis æquiparatur, immò præfertur carni Perdicis ſub num. LXX. poſitæ. In Palatinatu Novogrodenſi, Perdix ſylveſtris eadem datur coloris albi.

LXXIII. PERDIX ALBA ſeu Perdix petroſa, Lagopus ab hirſutis pedibus dicta, Germ. Schnee-Huhn, Stein-Huhn, Pol. *Kuropatwa snieżniczka*, nidulatur in rupibus, nive, frigore, glacie delectatur. De ea *Simlerus in Commentariis de Alpibus*, ait: montes adeò amat, ut nive liquescente in locis inferioribus, ſubinde altiora, in quibus perennat, proſequatur. Candore vel ipſas nives ſuperat, ac homine conſpecto, ſe in illas abdit, ac ſeſe motu prodere cavet, ut fallat nivis ſimilitudine. Frequens in Alpibus, ideoque & Perdix Alpina vocata. In Carpaticis montibus petroſis, nivibus coopertis, quæ nec æſtate omnes liquescunt, eandem alitem inveniri opinor.

LXXIV. PETRONELLA *Schwenckfeldii*, Saxicola, an Staparola *Aldrovandi*, German. Steinſletſche, Motacillæ magnitudine, at breviore cauda, quam ſemper movet ſurſum & deorſum, caput maculis nigris conſperſum, collum, tergum, cauda coloris ſubfusci, alæ fuscæ, gula cum pectore obſcurè flavent, venter pallidus, pupillam nigram ambit circulus caſtaneus, ſupra oculos ſecundùm longitudinem, linea tenuis, candida porrigitur, inter hos & roſtrum plumulæ veluti pili nigri rigent, roſtrum longiusculum, nigrum, ſenſim acuminatum, crura, digiti

circulis, veluti inciſuris, diſtincti, ungues minutiſſimi, acuti.

LXXV. PICA VARIA ſeu Caudata *Aldrovandi*, Germ. Elſter, Pol. *Sroka*, alba & nigra varietate diſtincta, alarum brevitatem cauda compenſat, caput, collum, cauda, femora nigra ſunt, venter & alæ ſuperiores, cum dorſi parte, & remiges majores coloris candidi, roſtrum craſſum, nigricans, pedes atri. Carnivora eſt, ova & pullos Gallinarum populatur, aviculas etiam rapit. Nidum in arboribus altiſſimis conſtruit, ex luto, lana, & pilis extra, & ſpinis ſupra munit, relinquens tantùm arctiſſimum foramen in latere, per quod ingrediatur, in oppoſita oſtii parte, aliud foramen conſpicitur, per quod caudam emittit. Ova parit viridia notulis purpurascentibus conſperſa. Aqua, ex Picarum pullis exemptis è nido parata efficax eſt, in frigidis cerebri, & nervorum affectibus. PICA ALBA, Germ. Weiſſe Elſter, Polon. *Sroka biała*, in Oppido *Komarno* Palatinatûs Ruſſiæ educata, raritatibus annumeranda. Prope *Uiazd*, Picæ quinque ejusdem coloris ſunt conſpectæ: in Volhinia, non procul à Civitate *Otyka*, una comparuit.

LXXVI. PICA GLANDARIA *Gesneri*, Molliceps *Gazæ*, Sitta *Eberi & Teuceri*, Germ. Höcker, Polon. *Soyka*, Columbæ fere eſt magnitudine *Schwenckfeldio*, tota varii coloris, roſtrum nigrum, robuſtum, criſtam in capite erigit ex plumis anterius albidam, maculis nigris variam, retrorſum mixtus eſt, ex cæſio rufoque color, alarum pennæ oblongæ, partim nigræ, partim candidæ, partim ex nigro albicante, & cæruleo coloribus ordine diſtinctis variantes, ſupina pars ejusdem fere coloris cum prona, ſed remiſſioris, cauda nigra, pedes leucophæi, quorum digiti articulis multis flectuntur. Frequens in ſylvis, nidificat in arboribus, vescitur glandibus quernis, juglandibus, &c. quas pro hieme in terra, aut in arboribus recondit. Caro ejus conſumitur, calculoſis in cibo commendatur.

LXXVII.

LXXVII. PICUS MAXIMUS *Gesneri*, Picus maximus niger *Aldrovandi*, Picus niger seu formicarius *Schwenckfeldii*, German. Schwartzer Specht, Grosser Specht, Polon. *Dzięcioł naywiększy*, est major Graculô, minor Cornice, cui similis, capitis vertice cinereo, rostro longo, valido, fusco, acumine albo, pedes, subcærulei, ungues unci, ante & retro bini, cauda nigra rigida, lingua longissima. Sonum terribilem æstate in sylvis, instar tubæ edit, formicas in cibum deligit, ideò etiam Picus formicarius denominatur. Picus niger maximus *à Willughby* ita describitur: caput prægrande, color totius avis niger, excepto vertice, qui usque ad nares, miniaceo colore pulcherrimo tingitur, nares rotundæ, pilis reflexis obtectæ, rostrum ab apice ad angulos oris, duorum digitorum & dimidii, robustum, durum, triangulare, tibiæ, ex parte anteriore, ad medias, plumis vestitæ, ex parte posteriore non infra genua, pedes plumbei, digiti antici duo, totidem retrorsi, ut in congeneribus, ungues magni, validi, &c. Prussiæ avibus annumeratur.

LXXVIII. PICUS VIRIDIS, seu Picus Martius, quòd olim fuerat sacer Marti, Picus medius *Eberi* & *Peuceri*, Germ. Grün-Specht, Pol. *Dzięcioł zielony*, magnitudine est Turturis, cirrus in capite ruber, collum, dorsum, alæ superiores, ut Chlorio, virent, majores pennæ fuscæ, maculis seu notis per intervalla candidis distinctæ, pectus, venter & latera, ex viridi & flavo pallent, rostrum coloris carnei, lingua acutissima, oculos macula nigra ambit, juxta nares plumulæ, ceu pili rigent, cauda fusca, crura ex fusco obscurè virent, digiti utrinque bini. Linguæ structura mirabilis Pici Martii, *ab Oligero Jacobæo* est descripta, *Actis Medicis Hafniensibus à T. Bartholino* inserta.

LXXIX. PICUS SUBCÆRULEUS *Schwenckfeldii*, Sitta *Aldrovandi*, Germ. Blau-Specht, Pol. *Dzięcioł modrawy*, Fringilla paulò major, rostrum longiusculum, rectum, nigrum, rotundum, caput parvum, oculi exigui, collum, dorsum, alæ, cauda superior è plumbeo ad cinereum vergunt,

gula candicat, pectus ex luteo pallet, venter sub alis è castaneo ad rufum tendit, linea nigra à rostro retrorsum per oculos, ad occipitium ducitur, lingua divisa, pedes ex colore glauco nigricante, & modico flavo tincti, digiti ante terni, retro unus. Nidulatur in arborum cavis, prolem numerosam gignit.

LXXX. PICUS VARIUS MAJOR *Schwenckfeldii*, Germ. Bundter Specht, Elster-Specht, Polon. *Dzięcioł pstry większy*, Merulâ paulò major, instar Picæ, colore albo, nigroque pennas distinctas habens, capitis vertex medius saturato cocci colore rubet, oculi nigri, alæ nigræ, punctis albis maculosæ, gula & pectus albidum obscurè flavescens, venter extremus rubet, rostrum crassum, rectum canaliculatum, lingua longissima, musculosa, duro nervo aculeata, caudæ laterales & breviores pennæ nigræ, maculis albis asperſæ, pedes subvirides, unguiculi fusci.

LXXXI. PICUS VARIUS MINOR *Schwenckfeldii*, Germ. Kleiner bundter Specht, Pol. *Dzięcioł pstry mnieyszy*, paulò major Passere, priori prorsus similis, præter maculas rubras in vertice, & circa uropygium, quæ huic desunt. Dorsum magis varium, ex albo, nigroque promiscuè maculatum. Hic Picus aucupibus aliquibus videtur esse fœmina. PICUS MURARIUS *Aldrovandi*, Picus muralis *Schwenckfeldii*, Germ. Mauer-Specht, Mur-Specht, Polon. *Dzięcioł murowy*, Passere domestico paulò major, Sturni fere crassitie, rostrum oblongum, tenue, nigrum, acutum; caput, collum, dorsum coloris cinerei, pectus albicans, alæ partim cinereæ, partim rubeæ, cauda brevis, & crura non longa, ungues adunci & acuti. Adhæret muris, turribus, arenas vermiculosque in rimis quærit, nidulatar in parietum foraminibus, vocem suavem edit. Picorum, inquit *Schwenckfeld*, sunt plura genera, magnitudine & colore differentia, rostrum inest omnibus rectum, durum, robustum, rotundum, lingua longa, acutissima, in extremitate quodammodo cartilaginea, ad lancinandos vermiculos. Perreptant arbores, humi rarò con-

consistunt. Varii Pici *à Jonstono* exponuntur, icones eorum *à Bellonio* repræsentatæ.

LXXXII. PLUVIALIS VIRIDIS *Gesneri*, Pardalus III. *Schwenckfeldii*, Vivago *Bodini*, Gallina novalis media, Gallis *Pluviers*, Germ. Grüner Kûwit, Polon. *Ptak deszczowy*. Ideò Pluvialis vocatur, ait *Charleton*, quia loca madida imbribus, & paludes frequentat. Avis est pulveratrix *Schwenckfeldio*, Vanello minor, supinæ partis, veluti capitis, dorsi, alarum superiorum, & caudæ color fuligineus, ex obscura viriditate, punctis luteis, instar Pardi, variè respersus, majores seu remiges inferiores alarum pennæ totæ fuscæ, mentum, cum ventre, coloris albi, collum pronum, & pectus leucophæum, obscura flavedine conspersum, rostrum sesquidigitale, rectum, obscurè rubrum, crura cinerea, ad medium plumis candidis tecta, digiti terni, quorum duo exteriores utrinque exiguâ pelliculâ cohærent, unguiculi nigerrimi & acuti. Degit in agris novalibus, campis desertis, planis, & juxta aquas, in autumno gregatim volat & celerrimè, caro æstimatur. Eadem avis *à Willughby* est descripta. Pluviales ad genus Vanellorum, judicio nonnullorum, pertinent.

LXXXIII. PLUVIALIS CINEREA, Germ. Grauer Kûwit, Polon. *Ptak deszczowy popielaty*, habet caput, dorsum, tegetes alarum minores, coloris nigri, mentum album, gula lineolis seu maculis oblongis, fuscis distincta, pectus, venter, femora alba, rostrum nigrum, longum, pedes virescunt, caro laudatissima & delicatissima sanguinem purgat. Apud Venetos frequens est, & apud Gallos. PLUVIALIS MAJOR *Aldrovandi*, Limosa Venetorum, Glottis *Gesneri*, fert rostrum nigrum, ad angulum tamen mandibulæ inferioris rubrum, tenue, inquit *Willughby*, color in supina parte capitis, collo, alarum, scapularum, dorsi varius, ex fusco & cinereo seu albido, summi capitis, plumarum oræ extremæ albent, prona pars tota albet, crura longissima, supra primum articulum, ad duos usque digitos plumis destituta, colore inter viridem, & lividum medio. PLUVIALIS seu Pardalus minor,

minor, Gallina novalis minor *Schwenckfeldii*, Germ. Kleiner Brach-Vogel, hæc avis reliquis omnibus minor, supina pars tota fuliginea, maculis subflaventibus varia, alæ longæ, fuscæ, quarum majores pennæ extremæ mediotenùs secundùm longitudinem, candidæ, venter totus albus, rostrum rectum, digitô longum, crura ex obscuro lutea. De Pluvialibus avibus *Aldrovandus Ornithologiæ lib.* 20. tractat, inter quas etiam flavescens ponitur, cujus & *Jonstonus* meminit. PRUNELLA, hanc inquit *Gesnerus* aueupes nostri vocant *Prunelle*, à colore qui obscurè rufus est, vel figlinus saturatus. Quidam Linariis eas comparant, alii Passeribus, quibus minores sunt, colore fere similis. Canoras esse audio, & cantillare instar Passerculi Trogloditæ, crura rosea sunt, color circa collum & pectus ad cæruleum inclinans, in ventre dilutior, retro oculos macula figlina, rostrum nigrum. Expressa est Prunella *à Jonstono in Tabulâ XXXIV.* sed non descripta.

LXXXIV. QUERQUEDULA II. *Aldrovandi*, Boschis *Columellæ*, Gallis *Sarcelle*, Germ. Kriech-Ente, Polon. *Cyranka*, minima est in anatino genere, caput summum, gula, & superior pars colli, spadicei coloris, rostrum latum, nigrum, in extremo sursum nonnihil reflexum, nares figuræ ovalis, pectus sordidè album seu canescens, ut & venter, pedes pallidè fusci, membrana digitos connectens nigricat. Querquedulæ tres *Gesneri*, inter Anates ponuntur *à Schwenckfeldio*. Querquedula sylvestris seu Anas sylvestris minor, cum capite castanei coloris, gulâ albâ, atris punctis notatâ, ventre albo, lineis transversis cinereis variegato, dorso fusco, cauda varia, alis in cæsio viridantibus, nigris, candidis, rubentibus transversis admixtis pennis. Querquedula fusca habens magnam cum priore similitudinem, alæ pennis gemmantibus carent, & venter magis est maculosus. Querquedula varia, circa caput rufa, sed punctis albis aspersa, vertex niger, dorsum fuscum, alæ dilutè cæruleæ, pectus subrufum, crura cinerea fere, digiti tunicis nigris conjuncti.

LXXXV.

LXXXV. REGULUS CRISTATUS *Aldrovandi, Gesneri, Willughby,* Cladorinchus *Bellonii,* Regaliolus, Regillus, Senator & Rex avium, Calendula quoque vocatur, à flore aurei coloris, quem in capite exhibere videtur, Germanis Ochſen-Aeuglein, Pol. *Krolik czubaty,* avis *Schwenckfeldio* eſt omnium minima, criſtam gerit in vertice auream, ex pluma latiuscula, dorſum citrinum, caudam & alas partim fuscas, partim ſubcitrinas, ventrem ex pallore flaventem, roſtellum rectum, longiusculum, pedes flaventes, lineam albam, alas medias dirimentem transverſim. Cantu ſuavis, in ſylvis degit, in cavis arboribus nidulatur, ova edit piſô paulò majora novem vel decem, bis parit, muscis & vermiculis vivit, caro boni eſt alimenti. Cum Paſſere troglodyte à multis confunditur, ut dictum eſt ſupra, num. LXVI. Non paucis aniles fabulæ ſunt, quæ de hujus aviculæ inimicitia cum Aquila divulgantur. Auricapilla ſeu Auricapitella *à Balbino in Hiſtoria Naturali Bohemiæ,* deſcripta, *Złotohławek* vernaculè dicta, eſt avicula tam exilis, ut ſi eam plumis ſuis exuas, corpusculum illius primum pollicis humani articulum longitudine non ſuperat, craſſitie verò vix medium æquat, prædita eſt colore quaſi flavo-viridi, in pectusculo nonnihil cinerei coloris asperſum eſt. Masculus habet aliquot plumulas altè crocei, & quaſi aurei coloris, fœmella plumulas ejusmodi gerit obſcuriores, pedunculi ad carneum colorem accedentes, roſtrum ejusdem coloris, niſi quod in acumine nonnihil nigricat. Regulorum genus Auricapillam longè ſuperat.

LXXXVI. REGULUS NON CRISTATUS *Aldrovandi, Willughby,* Pol. *Krolik nieczubaty,* ſecundùm *Aldrovandum* Regulo criſtato per omnia ſimilis, oculi nigrescunt, venter albicat, nonnihil tamen ſuperficietenus flavescit, cruscula ſatis longa nigricant, vertex, collum & dorſum ad colorem flavum nonnihil vergunt. Secundùm *Willughby* par eſt Regulo criſtato, aut tantillò major, roſtrum tenue, rectum, acutum, os intus flavum, narium foramina magna, tota pars

ſupina, præter alas & caudam, ex fusco ſeu cinereo virescit, linea ſublutea à naribus ſupra oculos, ad occiput fere producitur, prona pars, pectus, venter, albâ, levi viroris tincturâ diluitur, aliàs lutescit, caudæ & alarum pennæ fuscæ. Canorus eſt, verſatur inter Salices.

LXXXVII. RUBECULA *Schwenckfeldii*, Erithacus, Ruticilla *Gazæ*, Sylvia, Germ. Roth Brûſtlein, Roth Kehlchen, Pol. *Gil*, avis ſolitaria, roſtello nigro, exiguo, gracili, dorſo, capite, ſuperiore parte alarum & cauda, cinereo obſcurè flavente. Pectus totum exornat color aurantius ad ferrugineum accedens, venter albus, alarum remiges nigricant, pedes fusci. Secundùm *Willughby* caput pro corpusculi magnitudine, eſt grande, nigrum, breve, robuſtum, irides oculorum avellaneæ, in mare pulcherrimus miniaceus color, pectus, gulam & maxillas, ad oculos usque illuſtrat, verticis ſeu ſummi capitis ſupra oculos, & quæ roſtrum circumambiunt plumulæ nigræ ſunt, collum & dorſum leucophæum, cum aliqua ruboris tinctura cervix, dorſum, ſcapulæ cæruleæ cinereæve, pedes ex nigro fusci, ungues nigri. Mas fæminæ æqualis, capite compreſſiore, & colorum pulchritudine ab ea differt, libentiſſimè vescitur primis illis gemmis ex arboribus ante folia & flores erumpentibus. Perquàm docilis eſt *Turnero*, & fiſtulam voce ſua proximè imitans, fæminam quoque *Aldrovandus* audivit, non minùs quàm marem canere, ſecus ac in plerumque avium genere. Quòd hæc avis non ferat ſocium, immò cum illo continuò pugnet, *Alciatus* refert his verbis: unum arbuſtum geminos non alit Erithacos. Æſtate in ſylvis, ac deſertis vivit hieme, ad oppida, & pagos propiùs accedit, ſervarur in hypocauſtis, cantûs ſuavis gratiâ. A Rubecula Cuculus quòd ſit enutritus, *Acta Phyſico-Medica Academ. Leopold. Naturæ Curioſorum* teſtantur.

LXXXVIII. RUBICILLA *Schwenckfeldii*, Ruticilla *Gazæ*, à rubente cauda Rubecula domeſtica æſtiva, Luscinia murorum, German. Haus-Rötele, Roth-Schwantz, Polon. *Czerwony ogonek*, magnitudine eſt Ficedulæ, ſeu Currucæ, colore

colore per dorsum ex cinereo fusco, alæ fuscæ, rectrices superiores in medio albescunt, cæteræ totæ nigræ, rostrum gracile, longius, quàm Rubeculæ, gula & pectus nigricant, flavedine intermicante, cauda ex luteo phœnicea, pennis duabus exterioribus nigricantibus, pedes graciles nigricant. Æstate tota apud nos degit, circa muros & parietes, ut plurimùm habitat, nidificat in muris, parietibus, arborum foraminibus, ova parit cærulea, cantillat suaviter, verno tempore, & summo diluculo. Ruticilla mas, quem ego videram, caput habet albo & nigro colore tinctum, pectus & caudam rubram. RUBICILLA seu Pyrrhula *Aldrovandi* & *Jonstoni*, Germanis in Prussia Daun-Pfaffe, Blut-Fincke, Pol. *Popek*, Passeris magnitudine, gula, pectore, & ventre miniaceis, rostro brevi ac lato, bituminis instar splendente. Voce fistulam imitatur etiam fœmina, & omnes cantus avium canendo & sibilando.

LXXXIX. SALICARIA *Gesneri*, Germ. Weiderich, Pol. *Wierzbowniczka*, apud *Willughby* avicula est exigua, colore partim fusco, partim subflavo, partim albicante per latera, & juxta collum. Muscis & araneis, aliisque vermiculis circa Salices vescitur, quibus ut fruatur, aviculas alias abigit. SALUS *Gazæ*, Ægithus *Plinii* apud *Cnapium in Thesauro*, Germ. Schetzke, Pol. *Czeczotka* à voce *czet*, *czet*, avis parva, coloris grisei, in vertice traditur esse rubra, gregatim volans. SCANDULACA ARBORUM, Certhia *Aldrovandi*, Calidris cinerea, Crepera *Turneri*, Germ. Baum-Klatterlein, Baum-Heckel, Rindel-Kleber, avicula Regulo paulò major, color verticis & dorsi ex cinereo flavet, punctulis candicantibus interstincta, cauda ex luteo virescit, alæ fuscæ, lineis candidis transversim distinctæ, pars prona tota candidissima, instar serici nitet, rostellum longiusculum, sensim arcuatum, superiùs ex fusco rubet, inferiùs albet, pedes ex cinereo flaventes. In arborum cavis nidificat, maximum numerum ovorum parit, vivit araneis, &c. super arborum truncos & ramos, apta pedum & caudæ dispositione reptat,

Picorum more. Ejusdem avis descriptio & *à Gesnero* ponitur.

XC. SMERILLUS *Schwenckfeldii*, Æsalo *Gesneri* & *Aldrovandi*, Ismerlus *Crescentii*, Merillus *Isidori*, Asalon *Alberti*, Smerla, Germ. Smyrle, Smyrlein, Myrle, Polon. *Drzemlik*, Falconello corporis specie, & pennarum colore similis, rostro adunco, coloris indici, vertex, dorsum, cauda, alæ coloris fusci, cum notis & maculis castaneis, venter subflavet longiusculis maculis variis, gula albicat, cauda transversim zonis latiusculis obscurè rubentibus distincta, iris oculorum ex cæruleo nigricat, pupilla obscurè rubescit. Avis velocissima, Alaudas, Carduelis, Passeres ut plurimùm insectatur. SPERNERIUS NISUS habet rostrum cæruleum, dorsum ravum, pectus album, maculis nigris variegatum, pedes flavescentes, digitos quatuor.

XCI. SPINUS seu LIGURINUS *Gazæ*, *Aldrovandi*, *Cnapii*, Serinus, quasi Sirena vocis suavitate, Citrina, Luteola, Germanica, Zizela, German. Zeisel, in Prussia Zieske, forsan ex Anglico *Thee Siskin*, Polon. *Cyz*, caput ei nigrum, collum & dorsum viride, scapi tamen pennularum in dorso nigricant, & collum dorso est obscurius, de capitis colore nihil participare videtur, gula & pectus è flavo viride, venter albus, plumæ laterum, tegetes, media parte maculis fuscis inficiuntur. Ita *Willughby*. Apud *Jonstonum*, est pectore luteo, rostro mediocri, tenui, & acuto, duas maculas nigras habet, alteram in fronte, sub mento alteram, mari capitis macula magis nigra, idem mas toto corpore magis, quàm fœmina lutescit. Nidulatur in montium sylvis. Acanthis *Willughbejo* est Carduelis, non Spinus seu Ligurinus, qui cantando concordat mirè cum Carduele, & quia superare Carduelem nititur, uvi Acanthidi utpote fortiori duo Ligurini opponuntur.

XCII. STIPOLA LUTEA, III. *Aldrovandi*, Boarina aliorum, avis exigua, tota fere ex albo lutescens, in alis intensiùs quàm alibi, rostrum & pedes coloris fusci.

STO-

STOPAROLA *Schwenckfeldii*, Glariana *Gesneri*, Acredula, Germ. Stoppel-Vogel, Pol. *Zdzbło*, avicula parva ex Alaudarum genere, color universim in capite, dorso, alis & lateribus, ex fusco subviridis, maculis nigris distinctus, pectus subflavum, punctis [illegible]ricantibus varium, venter, alæ interiores, & cauda [illegible]ior albicant, alarum majores pennæ fuscæ, minores candicant, rostrum, rectum, acutum, superiùs fuscum, inferiùs flavet, crura obscurè rubent, ungues adunci. Autumni tempore, demessa segete, in agris inter stipulas, unde ei nomen, frequens gregatim volat, vox ejus *pist*, *pist*, granis, & vermiculis vivit, capitur noctu cum Alaudis, retibus tractoriis. STOPAROLA ALTERA, rostro oblongo, collo, pectore & ventre pallido.

XCIII. STURNUS *Schwenckfeldii*, German. Stahr, Polon. *Szpak*, *Skorzec*, avis Merulæ fere magnitudine, variis coloribus picta, ut plurimùm nigra cum splendore, ut etiam in pectore, ventre, alis, & prope oculos viridescat, emicante circa collum præcipuè cuprea rubedine, maculis albis distincta, quæ aliquando rubescunt, nonnunquam flavent, alarum pennæ in extremitatibus luteæ sunt, cauda brevis & nigra, rostrum robustum, longiusculum, acutum, luteum, in fine fuscum, pedes subrubentes, ungues nigri. Multorum animalium voces & concentus imitatur, degit in locis humidis & palustribus, maximè ubi pascuntur pecora. Frequentissimus in Submontana Regione, Polon. *Podgorze*, Crosnæ, & alibi, Sturni duo Polonicô solidô non rarò permutantur. Prope Coronoviam, in fundo villæ Abbatialis, ex nido uno sæpe prodibat Sturnus unus albus, alter niger.

XCIV. TETRAO MINOR seu Urogallus minor *Aldrovandi*, Grygallus minor, Tetrax, Phasianus montanus, Gallus Betularum, Germ. Brom-Hahn, Birck-Hahn, Pol. *Cietrzew*, Gallinâ villaticâ paulò major, oblongior, niger, plumis splendentibus intectus, juxta *Schwenckfeldium*, rostrum nigrum, breve, supra oculos pellicula rubens, cauda nigra, plumæ pedum nigricant, sed maculis albis distinguuntur.

Degit in ſylvis, maximè in betuletis, vescitur Betularum gemmis, Corylorum julis, Vitis Idææ baccis, & vacciniis paluſtribus. Tetrao minor fæmina ſeu Urogallina minor, Gallina Betularum, Pol. *Cieciorka*, in tantum differt à mare, inquit *Willughby*, ut alterius generis imperito eſſe videatur. Color dorſi, & alarum ſuperiorum, ex lateritio flavus eſt *Schwenckfeldio*, maculisque nigris reſperſus, mentum & collum dilutiùs flavent, ſupra oaulos viſitur macula, ut in masculo, pectus album, ventrem obſcurum interſtinguunt notæ partim nigræ, partim ſubflavæ, alarum remiges pennæ fuscæ totæ, cauda ſinuata, crura plumis obſcurè flaventibus intecta. Hieme gregalis eſt, denſa fruteta & betuleta occupat, vere appropinquante mas fœminæ ſe adjungit, quæ in terra ſub fruticibus denſis nidificat. In Curlandia inveniuntur Tetraones alii hieme, æſtate ſubcæruleas plumas ferentes, quas poſt Feſtum D. Martini in Calendario veteri, fere quotidie mutant, vescuntur baccis rubris Vitis Idææ, & Ericæ latifoliæ, Evonymi vulgaris granis rubentibus, *Miscellaneis Naturæ & Medicinæ Academiæ Curioſorum Vratislavienſium ceſſantibus.* Volhinia celebris eſt Tetraonum frequentiâ, Podolia circa Barum, Lituania & Samogitia, Ukraina complectens Palatinatum Kiovienſem & Braclavienſem, in quo, prope *Kuzmince* pagum, centum triginta paria iſtarum avium ſemel & ſimul reti ſunt tecta à Viro Nobili aucupiis dedito. In Moſchovia dantur Tetraones candidi, & hirtis pedibus.

XCV. TORQUILLA *Gesneri* & *Gazæ*, Jynx *Mortoni*, Verticilla, Cinclida, Turbo, Collitorques, à colli circumactu, reliquo corpore interim quiescente, Germ. **Wendehals**, Polon. *Krętogłow*, coloris varii, ut plurimùm tamen cinerei, Alaudæ vulgari par, aut nonnihil minor, caput, cervix, dorſum, ex fusco cinerea ſunt, punctulis minutiſſimis lateritiis nigricantibus varia, macula juxta oculos retrò versùs longiuscula, atra, ſecundùm longitudinem utrinque juxta alas per dorſum ducitur, ad extremas alarum pennas, cauda cine-

cinerea, punctis infinitis aspersa, & maculis transversis fuliginosis distincta, alarum majores pennæ, partim rubris, partim fuscis maculis transversalibus alternatim distinctæ, mentum, gula, pectus obscurè flavent, venter maculosus, rostrum rectum, crassiusculum, in acutum desinens, pedes breves, fusci, digiti ante & retro bini, subvirides. Lingua longissima, acutissima, cui aculeus præfixus osseus, teres, validissimus. Rostro ligna tundit, & strepitum qualem Picus edit, arbores sursum & deorsum perreptat. Hactenus *Schwenkfeld.* Abundat Torquillis Prussia, &c.

XCVI. TURDUS MAXIMUS seu Turdus viscivorus major *Aldrovandi*, & *Jonstoni*, Turdela *Isidori*, German. Schnarre, Drossel, Pol. *Drozd naywiększy, Jemiotucha, Cnapio*, primarius in suo genere, & reliquis major, sed paulò infra Columbam, in capite, alis, & ventre fuscus, rostrum nigricans, collum, parte prona, venterque totus nigris punctis & albicantibus plumis, & alicubi flavis variat, sub alis plumæ candidæ, pedes & digiti flavescunt, ungues subnigri. Vivit in sylvis, Visci, Juniperi, Sorbi aucupariæ, aliarumque arborum, ac fruticum baccas devorat, in regionibus nostris inter Juniperos, ac Tiliarum viscum, moratur, etiam hieme tota.

XCVII. TURDUS PILARIS *Aldrovandi, Gaza, Gesneri*, Turdus medius *Schwenckfeldii*, Germ. Krammets-Vogel, Pol. *Kwiczoł, Drozd srzedni*, tota fere magnitudine, & figura est Merulæ, rostrum subflavum, in extremo nigricans, os etiam intrinsecùs flavum, collum pronum cinereum, ut etiam caput, sed nigris maculis aspersum, dorsum rufum obscurè, & per medias pennulas nigricans, collum supinum & pectus varium est, nam flavescentes in eis plumas nigræ distinguunt maculæ, alæ interiores albæ, latera etiam inter alas (sub alis) in extremitate plumarum albicant, inde lineis rufis differunt, intima parte latiùs nigrescunt, plumæ ventris albæ, cauda nigra, ungues, digitique pedum nigricant, pennæ alarum atræ partim, rufo colore partim, ut dorsi, mino-

minores & breviores tinctæ apparent. Volat gregatim, & inter volandum obstreperus est, oblectatur baccis præsertim Juniperi, unde & nominatur à Germanis. Musica avis canens vere, voce multiplici, sapore omnibus fere præfertur.

XCVIII. TURDUS ILLAS seu Tylas *Aldrovandi*, Winsela *Gesneri*, Turdela sylvestris, Turdela montana, Turdus minor *Schwenckfeldii*, Germ. Winsel, Wein-Drossel, Klein Ziemer, Pfeiff-Drossel, Pol. *Drozd mnieyßy*. Winsela, inquit *Ornithologus*, per dorsum totum fusca est, pectus ejus varii coloris, medius venter albicat, rubet utrinque, ut etiam pars sub alis, interiora oris penitus flavescunt, denique similis est, tum specie, tum magnitudine illi Turdo, quem Drossel nominamus, minùs quàm Turdi alii est maculata, maculæque longè sunt minores. Turdus Iliacus *Bellonio* similis est Turdo viscivoro minori, sed tenuior, & magis flavescens, parteque prona maximè circa flexiones alarum, ad colorem aurantii mali accedens, & per collum maculatus, pennæ capitis & dorsi è castaneo ad cinereum accedunt, rostrum, crura pedesque colore Turdi viscivori majoris, venter ut in Turdo pilari albus est, cauda, & alæ castaneæ. Turdi genus minimum est *Schwenckfeldio*, per dorsum color fuscus, pectus varium, flavum & candicans, nigris maculis refertum, medius & infimus venter candicans, sub alis ex rubro flavescit, crura quoque ex fusco flavent, maculæ seu lineæ subluteæ, utrinque juxta oculos binæ, à rostro, collum versùs extensæ. Saporis est nonnihil amariusculi.

XCIX. TURDUS MUSICUS *Schwenckfeldii*, Turdus simpliciter dictus *Aldrovandi*, Turdus minor alter *Gesneri*, Collyrio *Turneri*, Germ. Drossel, Pol. *Drozd*, Sturni magnitudine, varius & maculosus, tota pars supina fusca, alæ ex fusco rufæ, maculis subflavis pictæ, pectus ex subflavo & rufo colore commixto in unum adornatur, ventrem album & latera, puncta nigra insigniunt, rostrum rectum, nigrum,

crura

crura albicant, sed inquit *Aldrovandus*, color variat, nam in iis, quos depictos habeo, pedes crocei sunt. Huic quoque generi proprium est, ut circa oculos maculetur, &c. Ex cordibus Turdorum minorum paratur oleum vulnera efficaciſſimè sanans, perducensque citiſſimè ad cicatricem. Ex ea parte, in qua Sueciæ Regnum extenditur, magnis agminibus Turdi, per Mare Balthicum, spectantur volare in Pruſſiam, incipit eorum aucupium duabus circiter hebdomadis, ante diem D. Michaeli sacratam, totidem & longiùs post Festum dictum, dum est calor, atque cæli serena facies. Morantur in sylvis, vescuntur Juniperi, & Sorbi aucupalis baccis, avolant pro hieme, pauci apud nos remanent, pauci tempore verno, in arborum ramis nidos ponunt, ex ligno carie vitiato, musco, luto, ad figuram vasculi, conformatos. In Præfectura, vulgò Capitaneatu Tolkmitensi, Turdi ita frequentes, ut navibus minoribus, vernaculè *Baty* dictis Gedanensi Urbi sæpiùs importentur. In Terra Wschovensi Majoris Poloniæ, non exiguus est eorum numerus, item in Varmia, aliisque locis compluribus. TURTUR NOSTRAS *Schwenckfeldii*, Germ. Turtel-Taube, Pol. *Trukawka*, alius est à Turture Indico seu exotico, minimus in Columbaceo genere, colore fere Liviæ, sed dilutiore, in pectore præsertim, cui in dorso superficietenus ferruginei seu rufi quiddam elucet, pars prona ventris candicat, collum torquis ambit retrò nigerrimus, viridibus maculis eleganter splendens, ante vix conspicuus, rostrum tenue ut Columbæ, obscurè cæruleum, pupillam oculi nigram exornat iris lutea, femora & tibiæ coloris ferruginei, pedes rubore nitent, ungues nigri, parum adunci. Frugibus vivit, glandibus, & arborum gemmis, in montium sylvis, & desertis commoratur locis, volat gregatim cum accedit & discedit, adventu suo vernum tempus prænuntiat.

C. VANELLUS *Aldrovandi*, Gavia cinerea *Eberi* & *Peuceri*, Capella *Gazæ*, Pavo agrestis *Gesneri*, Germ. Kiwit, Pol. *Czayka*, Columbæ magnitudine, rostro longo, nigro,

per totum dorsum viret color, cum maculis quibusdam purpureis utrinque partim viridibus, partim cæruleis, extremæ & longiores alarum pennæ nigræ, venter, & alarum pars interior habent plumas albas, in capite crista plumaria nigra, oblonga, retrorsum tensa, cauda candida, extremè nigra, pedes rubent. Ad paludes, piscinas, propter vermes, quibus vescitur, degit, in pascuis nidificat, in cibum venit. Dum longissimè à nido suo abest hæc avis, inquit *Willughby*, tum maximè clamosa dicitur esse, & querula voce circumvolitare, ut scilicet ibi nidum esse persuadeat, à vero loco abducat.

CI. VINAGO *Aldrovandi*, à colore, quô uvis maturis nigris est similis, Columba arborea montana *Schwenckfeldii*, Germ. Wilde Taube, Pol. *Gołąb dziki siny*, magnitudo ejus par Columbæ domesticæ, rostrum cinnabarium, longum, in extremo acuminatum, caput totum, venter, & alarum pennæ sunt cinereæ, ad cæruleum vergentes, exceptis pennis remigibus, quæ nigricant, cervix viridis, intercurrentibus nigris plumis, pectus circa initium quodammodo ex ferrugineo ad fumatum accedit, pedes rubri, ungues nigri. Nidificat in arboribus cavis, & in locis montosis. VIREO seu Icterus, Pol. *Wywielga*, *Żołtaczek*, descriptus est *in Opere Primo*, à mare fœmina differt, quòd ventrem album gerat, non flavum.

CII. ULULA *Gesneri* & *Aldrovandi*, Strix cinerea *Willughby*, Germ. Eule, Käutzlein, Polon. *Puszczyk*, *Sowka*, Gallinæ magnitudine, Noctuæ cognata, color partis supinæ, ait *Schwenckfeld*, capitis, dorsi, alarum, & caudæ cinereus, obscurus ad ravum inclinans, maculis albicantibus & nigricantibus ubivis variat, venter albet, maculis majusculis fuscis respersus, caput grande, rotundum, admodùm plumosum obtinet, oculi magni, pupilla maxima ex nigro cærulea, circulo ambiente obscurè bætico, rostrum aduncum, subvirescens, nares patulæ, alæ maximæ, crura albicantia, fuscis notis respersa, ad ungues usque leucophæos, adun-

aduncos, acutissimos, hirsuta. Incolit saxa & spelunças, in sylvis montium, noctu vagatur & pascitur, die rarò apparet, aviculas & mures venatur, aliquando ad oppida, & pagos advolat, hieme præsertim rigida.

CIII. ULULA FLAMEATA *Gesneri* & *Schwenckfeldii*, Aluco *Aldrovandi*, Otus *Turneri*, Germ. Kirch-Eule, Rauh-Eule, eximii candoris est, in gutture & ventre, alioqui candidis, nigris, & flavis lineis & maculis alternis distincta. In faciei ambitu plumarum albarum finem, eâ figurâ, dispositum habet, ut flammeum, quo mulieres caput & faciem obvelant, quodammodo referat. Habitat in rimis turrium, templorum, arcium, & quercuum cavernis, aviculas, & mures integros deglutit, ob gulam amplam.

CIV. UPUPA *Plinii*, à voce *pu* sic dicta, Gallus lutosus, Gallinaceus stercorarius, Germ. Widehopf, Cassubiis Hupka, Polon. *Dudek*, avis nigris maculis colorata, cristam plumeam, rufescentem, punctis & apicibus nigris distinctam gerens in capite, quam contrahit, erigitque secundùm capitis longitudinem, pennæ alarum nigræ transversim lineis intercisæ, gula subflava, ut & collum, sed cinereo dilutum, rostrum longum, fuscum, pedes fusci, ungues adunci. Hieme in arborum cavitatibus delitescit, circa æquinoctium vernum prodit, variè mutat colorem & speciem æstate, & hieme. Caro austera est, & cibo inutilis. In Angliam, *Charletone teste*, raro hæc avis venit.

CV. UROGALLUS MAJOR, seu Tetrao major *Gesneri*, Erythrotao *Plinii*, Gallus montanus, Gallus sylvestris, Gallus Alpinus, Germ. Auer-Hahn, Ur-Hahn, Pol. *Głuszec*, avis gallinacei generis omnium maxima, mole corporis Anserem fere æquat, rostrum Gallinæ validum, gibberum, fuscum, maculâ rubrâ utrinque circa oculos ad tempora insignitur, collum dodrontale, nigrum, cinereo diluto colore sparsim respersum, pronum punctis cinereis varium,

quibus pennæ virides succedunt, caput nigrum, pars infra rostrum atra, pectus & venter nigri coloris, alarum remiges pennæ fuscæ, reliquæ minores obscurè castaneæ nigricantibus punctis distinctæ, alæ interiores albæ, cauda palmos quinque longa, extensa semicirculum reddit trium in circumferentia dodrantum, in dorso superiore plumæ castanei coloris, punctis asperſæ ut in alis, in inferiore dorso cinereæ magis, poplites & femora plumis albis vestiuntur, quæ cruribus fuscæ usque ad digitos pedum descendunt, digiti glauci utrinque quasi serrati, seu pectinis instar, tunicâ aliquatenus junguntur, & unguibus fuscis firmantur. Sic *Schwenckfeldius.* UROGALLINA MAJOR *Ejusdem Schwenckfeldii*, est paulò minor mare, major Gallinâ, rostro simili, fusco, color ei varius ac multiplex, toto corpore enim, instar Perdicis rusticæ colorata, & punctis distincta ubique, maculisque nigricantibus; reliquus color rufus est, maximè sub collo, usque ad pectus, sunt & albæ quædam alicubi maculæ, iris oculorum flavet, pupilla intus ex fusco cærulea, color circa oculos retro præsertim rubet, ima colli pars prona rubet, intercedentibus lineis ex cæruleo virentibus, in ventre plurimùm alba est, crura, pedes, digiti, ut in Urogallo, cauda maculis nigris transversim colorata, fimbria exteriore albida. Urogallus minor, sub nomine Tetrao minor, Pol. *Cietrzew*, descriptus est supra sub numero XCIV.

CVI. VULTUR, Avis magna *Plauti*, Germ. Geyer, Pol. *Sęp*, avis est rapacissima & carnivora, rostro adunco, flavo, oculis truculentis, cruribus hirsutis, pennulæ seu pili, instar velleris tenuissimi, veluti barba sub mento prominent. Turmatim volat, quòd soli illi ex observatione *Bellonii*, inter aves rapaces convenit. Notæ characteristicæ Vulturum, sunt hæ apud *Willughby*, quòd magnitudine Aquilis pares sint, aut etiam majores, quòd rostrum eis non confestim, atque à fronte enascitur, in hamum curvatur, verùm post duorum digitorum seu medii palmi continuam rectitudinem, quòd *Gesnerus* in pluribus Vulturum speciebus se observâsse scribit:

quòd

quòd eximiam, præ cæteris omnibus avibus odorandi ſagacitatem obtineant, adeò ut cadaverum putorem è longinquo percipiant: quòd collum implume habent: quòd crura tota ad pedes usque plumoſa ſint, ſed non in Vulturibus omnibus: quòd ſub gutture ſpatium habeant, palmi latitudine, non tam plumis, quàm pilis, qui vitulinis ſimillimi ſunt, veſtitum. Species ſex Vulturum proponuntur *à Gesnero* & *Bellonio*, cæterisque Ornithologis.

CVII. VULTUR LEPORARIUS, Vultur anſerinus, à raptu Leporum, & Anſerum dictus, Vultur cinereus, Germ. Aas-Geyer, Rib-Geyer, Roß-Geyer, Pol. *Sęp popielaty*, Oſſifragi fere eſt magnitudine, inquit *Schwenckfeld*, roſtro nigro, adunco, oculis fædis, corpore magno & firmo, alis latiſſimis, caudâ longâ, colore in rutilo nigricante, pedibus flavis. Volat magno & ſonoro impetu, omnis generis aves perſequitur, ex feris venatur Lepores, Hinnulos, Vulpes, Cuniculos, &c. nidificat in denſis ſylvis, & arboribus altiſſimis. Spectatur in Pruſſia, unà cum Vulture nigro *à Ruiſchio* deſcripto, & in Lituanæ Poleſiæ ſylvis adjacentibus *Szymanowka*, *Stwia* &c. fluviis.

CVIII. VULTUR ALBO CAPITE *Schwenckfeldii*; German. Weiß-köpffichter Geyer, Pol. *Sęp z głową białą*, corpore ſatis craſſo, roſtro duos digitos longo, intus ſubcæruleo, externè admodùm nigricante, oræ rictus croceæ, cum tunica ſupra roſtrum, quâ caput contingit, pinnulæ ceu pili nigri utrinque juxta roſtrum, & oculos rigent, & ſub mento, inſtar barbulæ, propendent, crura integra villoſa lanugine & plumulis inveſtita, ad digitos usque coloris ex obſcuro flaventis, maculis longiusculis tinguntur, digiti crocei, ungues nigerrimi, acutiſſimi, caput, collum, alæ interiores inſigni candore nitent, quæ maculis ſeu lineolis longiusculis reſperguntur, alis exceptis, dorſum & alæ ſuperiores fuliginei ſunt coloris, intermicantibus maculis ſubrubris, præſertim in alis, quarum pennæ majores extremè nigricant mediotenus, calamum versùs candidæ, pectus

veluti clypeo coloris obscurè castanei insignitur, cauda spithamalis longitudinis, dorsum versùs candida, extrema fusca, apicibus albidis. Vivit in montibus ex raptu, aviculas & mures capit, solus parit ova alba, cæteri Vultures edunt maculosa. VULTUR CINEREUS *Jonstoni*, cui pilos seu plumulas albas capillaceas, & instar capillamentorum subtiles, adeò candidas esse *Bellonius* scribit, ut pellem subditiam & elaboratam, Mustelæ Alpinæ albæ, seu etiam Vulpis albæ esse quispiam existimare possit. VULTUR RUBER seu lateritii coloris, magnitudinis mediæ, interdum comparet in Prussia. Hactenus egi de avibus, tam quæ perpetuò apud nos manent, nec locum mutant, quàm quæ statis anni temporibus advolant, iterumque abeunt migratoriæ dictæ. Descriptiones plurimas accepi *ex Schwenckfeldii Aviario Silesiæ*, nam ista Regio vicina, immò in aliquibus locis contigua Majori, Minorique Poloniæ, alites similes nostratibus alit, quæ in Regnis aliis remotioribus diversæ in multis inveniuntur. Aviarium prope Palatium Czarnawczicense in Palatinatu Brestianensi, *Celsiss. Martini Radzivilii Inciforis Magni Ducatus Lituaniæ*, abundat volucribus, quæ inclusæ sunt caveis deauratis majoribus, & minoribus. Gedani *Celebre Museum Kleinianum* continet Icones numerosissimas, elegantissimas, avibus vivis Prussicis, cæterisque simillimas: ibidem testæ seu putamina ovorum ab avibus editorum in nidis, varietate magna distinctorum, labore non exiguo acquisitorum asservantur.

CIX. AVES QUARUM NOMINA POLONICA TANTUM AUDIUNTUR, Latina vocabula qualia ab Ornithologis accepêre, est mihi incompertum. IWAS Prussica avis, de hac tractat *Pretorius in Historia Prussica Absolutissima M. S.* Bibliothecæ Berolinensi illata. OHAR Anate major, sed rostro illius, & pedibus, dorso fusco, collo & pectore rubente, pennis colore albo, nigroque tinctis. Nidulatur in foveis à Muribus Alpinis, aut Vulpibus derelictis, vagatur conjunctus, incola est Ukrainæ. SCHASZ-

LING

LING Pruſſis, avis eſt autumnalis, magnitudine Currucæ, in ejus capite maculæ cinereæ ex fusco variegatæ, roſtrum nigrum, dorſum ferrugineum cum notis ad nigredinem vergentibus, venter coloris cinerei cum atris maculis, veluti acu pictis, fimbriæ pennarum candicant. SCZUREK varietate plumarum rubearum, lutearum, albarum, cæruleārum ſpectabilis, intrà terram conſtruens nidum, agminatim volans, devorans apes excurrentes ad campos, remeantesque ad alvearia poſita in Ukraina. Occurrunt viſui in Brahinenſibus & Lubeczenſibus ſylvis Ukrainæ, Aves criſtatæ, capite exiguo, roſtro, collo, & pedibus longis, quæ aſſociatim incedere, alis demiſſis terere ſolum, caudam, inſtar Galli Indici explicare, ſibilare, inire ſecum frequenter certamina, gutture intumescente, aſſurgentibus in collo plumis, conſueverunt. Avis parva ſed ita ſine intermiſſione continuum quendam ſtridorem, per longiſſimum temporis intervallum emittit, ut ſæpe miratus fuerim, inquit *Balbinus S. J. in Bohemia*, quomodo cum neceſſaria reſpiratione, perpetuus ille, neque ulla vel minima morula interciſus ſtridor componi poſſit. In pratis humidis & arbuſtoſis eam ſæpe audivi, hæc & apud nos eſſe debet Ex *Libello vernaculo* idiomate, ſub titulo, *Myſliſtwo Ptaſe*, Lat. Aucupium, annotavi ſequentia: GOGOL WIELKI ferruginei & albi coloris. GOGOL MAŁY viridis, rubri, & albidi coloris, penes aquas continuò verſatur. POTR avis parva plumarum ravi coloris, vermiculis ſylveſtribus victitans. PISZCZEK, id eſt quaſi Fiſtulator, griſei coloris, in vicinia aquarum ſonos edit. RZEMIESNIK ſignificans artificem, coloris ravi, in arundinibus denſis exſtruens nidum. SLONKA ſylveſtris ales, rufa, virgata. STRZEZ parvulima avis, coloris griſei. LUDARKA in ſylvis ſe cautè abſcondens, rubea & griſea avis. JER avis ravi coloris, & alterius, per campos, &c. cum Fringillis aſſociatim volat, in Cracovienſi Palatinatu, in Ruſſiæ, atque alibi frequens.

CX.

CX. AVES FAMILIARES seu domesticæ succedunt feris, de his singularia occurrunt pauca. ANSER MAS, Germ. Ganser, Pol. *Gąsior*, annos viginti superavit vivendo. In Insula Mariæburgensi, Anseres numerosissimi, majores Polonicis, pinguissimi implent forum Oppidi *Neitych*, tempore nundinarum, in Octobri. In Varmia ingens multitudo earundem avium, fert fama quòd quadraginta millia Prussica incolæ pro divenditis plumis accipiant, singulis annis. GALLUS GALLINACEUS, Germ. Hahn, Pol. *Kur*, *Kogut*, cui *à Bacone* vita brevis conceditur, Torunii, anno decimo quinto ætatis, furtô matrifamilias est sublatus. In Samogitia Gallinæ nonnullæ visæ, quæ bis una die ovum ponebant. Similem fœcunditatem Gallinis *Ephemerides Medico-Physicæ Germanicæ* attribuentes, aliquas quotidie, aliquas vicibus duabus per diem, ova parere asserunt. Confirmat *Boclerus in Cynosura Materiæ Medicæ*. Arte etiam id fieri inaudivi, dum frumentum certum, illudque conditum Gallinis datur ad esum.

CXI. AVES EXOTICÆ, quæ ad Provincias nostras rarissimè advolant, & pro raritate singulari habentur. Anno 1441. circa Festum D. Laurentii, inquit *Plastwig in Chronicis Episcop. Varmiensium*, tanta pluvia, quanta nunquam visa fuit, cataractis enim cæli, nubibusque apertis & effusis, diluvium redire videbatur. Cadebant insuper de nubibus aves multæ aucis similes, sed minores, habentes pennas nigras, hinc inde albis intermixtas, quales aves nec antea, nec postea unquam in Varmia, nec in Regnis & terris vicinis fuêre visæ. ALAUDA TURCICA ab aucupibus vocata, major Alaudâ nostrâ, elegantissimè variegata, cinereo, flavo, rubicundo, aureo, fusco colore, supra utrumque oculum in capite, quasi duo cornua fusca ex plumis ferens. Similis est Alaudæ Virginiæ & Carolinæ, gutture flavo, *in Marci Catesbii Historia Naturali Floridæ & Carolinæ*, descriptæ. ALAUDA ARBOREA *Willughby*, Tottovilla Romæ, Anglis *The Woodlark*, Alauda vulgari minor est, corpore breviore, caput,

caput & dorſum nigro, & ex rufo, flavo, colore varia, nigro medias plumarum partes obtinente, roſtrum rectum, acutum, tenue, medium plus digitum longum, nares rotundæ, collum nonnihil cinaraceum, linea albescens ab utroque oculo, inſtar coronæ, caput cingit, pedes pallidè flavi, ungues fusci, poſticus digitus longiſſimus, vox Merularum æmula. ALKA *Hojari in Epiſtola ad Cluſium*, ita deſcribitur *à Willughby*: Anati domeſticæ non eſt par, caput, collum, dorſum, cauda, in univerſum ſupina pars tota nigra, venter, & pectus, ad medium usque gulæ coloris albi, ad principium gulæ, ſub roſtro nonnihil fusci, ſeu nigro-purpurei admiſtum habet, remigum apices albent, roſtrum duos digitos longum, nigerrimum, compreſſum ad latera, anguſtum, molli, denſa, brevi lanugine obveſtitum, ab utroque oculo, ad angulum roſtri ſuperioris, linea candida, anguſta extenditur, os intus flavet, pedes nigri, digito poſtico caret. In clivis præruptis, & rupibus inacceſſis, ad maris littus ova ponit. ANAS TABURNA *Bellonii*, Vulpanſer quorundam, apud *Willughby pag.* 278. deſcripta *à Bergander & Aldrovando lib.* 19. *cap.* 19. colorum variorum, in foraminibus cuniculorum nidificans, & ſub petris, incubans ovis decem, aut duodecim. Frequens in maritimis Cambriæ, Lancaſtriæ, & Orientali littore Angliæ; Gothlandis *Lugas*, ſeu *Jogas*. Fæmina occiſa eſt ad Mare, allata ad *Muſeum Kleinianum* Gedani. AVIS AURITA comparuit ad Vartam fluvium, in Majori Polonia, ejus exuviæ capitis ſeu criſtæ, aut collaris, ad duos fere palmos extenſæ, inferiori autem ſuperiorique parte explicatæ, quatuor palmos latæ, ibidem ſunt inventæ. Plumæ ferrugineæ, mollitie ad Edderorum plumas proximè accedentes, ad exitus fortiores, & inſtar Pavonum, viridi, cæruleoque colore reſplendentes. Aures fere pollices quatuor longæ, unicum latæ, quaſi pellibus duabus conſtantes, ex plumis fortioribus, & coloribus ſordidè albo vel rufo, & fusco undulatim variegatis. An ſit criſta Avis Cucullatæ, aquaticæ, admirandæ *Besleri*, & *Wormii*, determinatio nequit dari,

nam non integra avis est allata, à canibus dilacerata. Ait *Wormius pag.* 304. Colymborum primum genus cristatum seu auritum, habet cristam, plumis circa verticem eminentibus, superiùs nigris, ad latera rufis (forte aures ita describere voluit author) instar pilorum Vulpis. Jam verò *Besle-rus in Gazophylacio*, animal hocce capite monstrosum sic describit: comam, quam in fronte cernis, ferruginei coloris est, ex parte maxillarum plumæ flavescentes repullulant, quæ in extremitate magis nigræ, collum cum ventre albicat, dorsum cum alis cinereum, extremitas tandem in albas desinit plumas, pedes cum adnatis membranulis, semicirculis distinctis albicant, ubi in quolibet pede, unicum tantùm unguem animadvertere licet. Si non supra descriptæ avis, tamen certè sensu *Experientissimi Kleinii*, Colymbi auriti seu cucullati species est illa avis. FALCO ALBUS *Willughby*, corpore toto coloris lactei, sed maculis flavis, quæ tamen nisi penitus introspiciantur, & ipsæ quoque albæ apparent, alæ sinè maculis, rostrum album magis, quàm cæruleum, pedes & ungues, cæterorum Accipitrum more, lutei. MERGUS CIRRATUS FUSCUS, Anas longirostra *Gesneri*, Serula Venetorum, Germ. Täucher der einen Tamp hat, Pol. *Nurek czubaty*, ait *Willughby*, magnitudine Anatem proximè æquat, caput totum, & summa pars colli fulva, cirrus seu crista in vertice oblonga, retrorsùm dependens, dorsum fuscum obscurè cinereum, venter totus albet; rostrum tres digitos longum, tenue, inferior mandibula tota rubra, superior fusca, cum aliqua viroris mixtura, crura brevia, pedes intensè crocei. Frequens hæc avis circa Venetias, non rarò occisa in Prussia. MEROPS seu Apiaster *Charletonis in Exercitationibus*, magnitudine Sturnum paulò superans, in mare rostrum longum, durum, adinstar falcis messoriæ arcuatum, & quasi triangulum, oculorum iris ita rubet, ut aliam omnem rubedinem splendore excedat, tergum quodammodo virescit, venter ex albo & cæruleo mistus, cum macula flava, sub mento ad nares usque utrinque ascendente.

Re-

Reperitur in Italia, &c. icon ejus *in Charletonis Exercitationibus præfatis*, ſpectatur, & *in Muſeo Kleiniono* expreſſa coloribus, erat enim etiam in Pomerania, eadem avis capta. RECURVIROSTRA ſeu Avoſetta *Italorum*, apud *Willughby*, magnitudine Vanellum nonnihil excedit, caput mediocre, inſtar globuli rotundiusculum, ſuperna parte nigrum, color in prona corporis parte totus niveus, in ſupina partim albus, partim niger, roſtrum tres digitos longum, tenue, nigrum, planum, ſurſum recurvum, quod illi peculiare eſt, in tenuiſſimum apicem deſinens, crura longiſſima, pulchrè cærulea. Avis hæc Romæ, & Venetiis adeſt, in Angliæ maritimis orientalibus non rara. Capta in Pruſſia, anno 1659. Majo menſe.

PUNCTUM X.

DE VIRIS & FÆMINIS LONGÆVIS, FÆCUNDIS, ROBUSTIS, AGILIBUS, PROCERIS, MULTI CIBI ac POTUS, QUALITATIBUS RARIORIBUS HOMINUM, CORPORIS PARTIBUS.

I.

ÆTAS communiter dividitur, in Infantiam, Pueritiam, Adolescentiam, Virilem ætatem, & Senectutem. Ex aliquorum placito, ſexduplex eſt, Pueritia ad annum quintum, Adolescentia ad

annum decimum octavum, propriè dicta ad vigesimum quintum, Juventus ad trigesimum quintum, Virilis ætas à trigesimo quinto ad quinquagesimum, Senectus à quinquagesimo ad sexagesimum, hanc sequitur ætas decrepita, quæ tandem tardiùs aut citiùs morte terminatur. Causæ intrinsecæ diu vivendi, sunt abundantia humidi radicalis, & calor nativus proportionatus, id est, nec nimis paucus, nec multus: causæ extrinsecæ plures, inter quas àër bonus, ars medica, &c. Poloniæ àër est purus, & frigidus.

II. VIRI LNNGÆVI seu longi ævi revocantur ad syllabum. Vivaces sic sunt Curlandi, ut capulares senes ibi bellissimè portantes ætatem plures offendas. *Rosinus Lentilius in Memorabilibus Curlandiæ.* Vivendo annos centum triginta *Gerardus Denhoff* exegit. *Kurdwanowski Suffrag. Varmiensis in Concionibus.* Attigit *Paulus Sapieha Palatinus Novogrodensis* centesimum prope annum ætatis. *Miſtold in Historia Domûs Sapiehanæ.* Nobilis è *Terra Dobrinensi*, annorum nonaginta sex, in matrimonio vixit cum una conjuge, annis septuaginta duobus. *Tylkowski Physicæ Curiosæ Parte* 10. Optime de Patria meritus *Athanasius Mieczyński Palatinus Volhiniæ*, post nonaginta sex annos ætatis de vita excesserat, Soror ejus *Sławkowska* centesimum undecimum annum tunc agebat incolumis. Ad centum annos, sine uno *Joannes Skrzyński Castellanus Lencicienſis* vitam perduxit vegetus, & sæpissime equitans. Præter alios *Joannes Krzetowski* centum annis gravis castra Martemque sequebatur, & ab universo Exercitu Polonorum Patruus appellatus. Modica ætatis longæ sentiens damna *Stanislaus Dobrzelowski Subdapifer Siradienſis*, annos ætatis numerans circiter centum viginti, solitus equum conscendere, ad Ædes Sacras longius iter ingrediendo. Exegerat annos centum & decem, nobili genere ortus *Jacobus Jagient* in Volhinia, ibidem *Piotrowski* totidem, *Tobias Szaßowski* proximus annô centesimô, libentiùs equô quàm curru ibidem usus. Ex Equestri Ordine *Meleßko* incola Districtûs Pinscensis, ætatem extendisse traditur ad nonaginta

ginta quinque annos, Mater illius ad centum viginti, Avia materna prope ad quadraginta supra centum. Uxor *Christophori Bystram Judicis Districtûs Derſavienſis* in Prussia, produxit se ad longam senectutem, nam ad annos viginti supra centum. Fœmina nobilis *Swinecka* transactis annis centum triginta, in pago *Mechowo*, debitum naturæ reddidit. In loco dicto *Mattebudy* ad Gedanum Mulier attigit annos fere centum quinque, vixit in paupertate non modica, nam nonnisi pane, ac cereviſiâ secundariâ seu operariâ sustentabatur, unicum habendo Catum intrà parietes. Filia ejus prope nonagenaria claudicans caniſtrumque gestans per plateam cum pondere, collum sibi labefactaverat. Proxima Gedano villa *Nenkowy* dicta, Nobilem Virum *Martinum Janikowski* tenuit, à quo anni centum & novem sunt exacti. *Sebaſtianus Urbankiewicz* in Oppido *Unieiow* Palatinatûs Siradienſis, anno ætatis centeſimo decimo quinto finem vitæ fecit impiger, sed orbatus luminibus. Ex relatione *Hartwich in Geographia Hiſtor. Inſulæ Gedanenſis, Elbingenſis, & Mariæburgenſis*, Piscator *Szarpaviæ Guilielmus Doſſenfeld*, annos centum tredecim, in pago Lichnovienſi majori: Baccalaureus annos centum undecim in pago Lichnovienſi minori: mulier annos centum octo in villa Lindenau: uxor hortulani, decem supra centum annos in Neuteich Oppido: fœmina annos centum vivendo compleverat, vel prope attigerat. Incola prædii *Brocak*, anno ætatis octogeſimo octavo, liberos septemdecim, nepotes quadraginta sex, pronepotes duodecim obſervatus est numerâsse. In Culmenſi Palatinatu *Wołoska* mulier vixit annis centum viginti octo & ampliùs, hæc quotidie adibat Templum diſſitum quarta milliaris parte, scipioni innixa, & deducenti puellæ, ob cæcitatem contractam. In Palatinatu præfato *Magnif. Domina Jaranowska* annos centum quinquaginta sex vitæ decurrens, circa obſidionem Torunii à Suecis, defuncta. Oriundus Fridlandiâ *Schwald* operarius egreſſus annos centum & quinque obiit Coneci. *Ex Hiſtoria Civitatis ejusdem.* In Suburbio Torunensi *Mokre Catharina Winiarzowa*

ad centum tredecim annos produxit vitam. *Zernecke in Chronicis Torunenſibus.* E plebe degens prope *Odrzykoń* Arcem diſtantem Crosnâ ſpatiô unius milliaris, quamvis extendiſſet vitam ad annos centum & quindecim, tamen morbô nullô affectus, labore gravi continuô occupabatur. Agrorum cultor in pago *Roża* Palatinatûs Siradienſis, teſtante libro baptizatorum, vixit annis centum viginti octo, ſic vigore pollens, ut feſtiva luce pedes iret ad Templum diſtans milliari Polonico, inde bene firmus rediret. Tabernarius in *Dembice* pago Cujaviæ, centum & quatuordecim annos vitæ numeravit. Adſcriptus glebæ in *Smętowo* villa Palatinatûs Pomeraniæ, poſt centeſimum tertium annum, curſum vitæ confecit. In pago *Pierwoßyno* Palatinatûs ejusdem *Georgius Bruchicłki Scultetus*, ultra centum viginti annos ætate provectus obiit. Proxima villa Balthico Mari *Gdynia*, *Paulum Asmum Sartorem* excedentem Sæculum viderat. Diem ultimum clauſit *Bronk* in pago *Lubon* Caſſubiæ, anno ætatis centeſimo vigeſimo quinto. In Gedanenſi fundo à Polonis *Stacibiedy* vocato, *Joannes Albricht*, annorum decadem, hebdomadas aliquot, ſupra ſæculum integrum explevit, teſte Libro Sacrâ Undâ tinctorum, in Schottlandia. Mulier Gedani centum & quinque annos confecerat. Ibidem *Michael Englat* annorum 117. viventium numero ereptus, Filius ejus, tempore eo, 99. annos ætatis computabat in pago *Polchini*. *Nova Literaria Maris Balthici & Septentrionis.* In Varmia, Vir annum centeſimum vigeſimum tertium agens terminum vitæ attigit. In Pruſſiæ pago *Małkowy* *Michael Mikita*, poſt annos aliquot ſupra centeſimum, tuliſſe mortem dicebatur. In Aula Skwiernievicenſi Archiepiscopali, *Caſimirus* nomine, annorum centum viginti & aliquot, vixit incolumis, recenſebat Archiepiscopos Gnesnenſes duodecim, ordine eo, quo ſibi ſucceſſerant, filium natu majorem habuit annorum viginti quatuor, vir eximiæ ſobrietatis. nam nunquam bene potus. In pago *Kozielec* Palatinatûs Pomeraniæ, ad Viſtulam, fæmina commoratur in vita, com-

computans annos centum & octo, actuosa coctricem egit, in aula Viduæ nobilis. In pago *Sirakowice* Palatinatûs Pomeraniæ Organarius computat annos octo supra centum. In pago *Strzepc* ejusdem Palatinatus *Tobowicki Ministerialis terrestris* excedit sæculum vivendo. Posnaniæ parens cujusdam Sutoris vocati *Hannerowicz* numerabat vivendo centum & quindecim annos. In villa *Rynkowka* Palatinatûs Culmensis, Molendinarius annum ætatis centesimum supra duodecimum implebat, hic dum ei fuerat sublatus equus à militibus, oppida ac prædia plura equitando, quærendo lustraverat. Mulier Mariæburgi una, altera in villa, annum centesimum octavum agit. In Majori Polonia, Civis Valcensis post morbum graviorem, squalore ætatis decedente, capillorum colore mutato, sulcis & rugis cutis adæquatis, de Sene junior prodiit, annis pluribus vixit. Similia exempla *Delrio in Disquisitionibus Magicis* refert. Gedani *Ægidius Glagau Civis & Mercator* ætatis anno 87. *Barbara Rosenauin* ætatis anno 66. manens in connubio annis 50. secundas nuptias instituit publicè vegetus, numismatibus argenteis ac versiculis impressis decoratus, cursu anni 1734. die 7. Octobris.

III. FÆMINÆ MULTIPARÆ *à Pareo* vocatæ, quæ uno partu, plures liberos procreant. E prosapia nobili Stemmatis *Kußaba seu Lapidis Molaris*, viri uxor post catellos novem progenitos, totidem numero protulit proles & educavit. *Paprocki in Nido Virtutis, Okolski in Stemmatibus Poloniæ.* Antiqua, eaque constans exstat traditio, in Russiæ Palatinatu, quôd in pago *Dziewięcierz* novem fœtus sunt editi à muliere. In *Semerenki* villa Volhiniæ, filii septem in lucem producti. In Oppido *Niesuchoieze* ejusdem Volhiniæ, fœmina proles masculas septem, una die enixa, ex his, successu temporis, nepotibus est cumulata. In *Neitich* Oppido Palatinatûs Mariæburgensis, molendinarii uxor trium infantum mater, in pago *Ladekop*, filia una, filii tres baptisati, Gnojavum, proles tres unius matris, à patrinis allatæ: in Præfectura

Tyen-

Tyenhoff totidem fœtus visi, in locis *Marjenau*, & *Lindemau*, trigemini suscepti. *Hartwich in Geographica Historia Insulæ Gedanensis &c.* Circa annum 1719. ex Matrona prænobili, in Oppido *Murowana Goslina* Palatinatûs Posnanienſis, tres filii nati dum sacro fonte abluerentur, nomina Gasparis, Melchioris, Balthasaris, acceperunt, sed non diu manſêre in cœtu viventium. Et pagum Russiæ *Miękisz* incolens mulier prole terna est à natura liberali donata. Civitas Prussica *Nowe* spectavit tres fœmellas simul progenitas; extra Gedanum in loco *Winbark*, totidem ejusdem sexûs in lucem editæ; in Suburbio Gedanensi tres filii comparuêre. Anno 1723. *Francisci Smagała* vectoris uxor *Elisabeth*, in Cracovienſi Suburbio *Błonie* dicto, abortum passa edidit pueros tres, unam puellam, omnes post baptisma, non diu superstites, uni urnæ sepulchrali illati. Anno 1726. Jaroslaviæ, fœtus quatuor è fœmina prodiêre, hi brevi exspirârunt, mater proles secuta, post agoniam diebus quatuor continuatam. Anno 1730. in Varsavienſi Suburbio, Fabri lignarii uxor filios tres, filiam unam marito dederat, sed brevi ex utero translata hæc proles ad tumulum.

IV. VIRI PROLE NUMEROSA STIPATI. Parens duodecim filiorum *Dobeslaus Olesnicki Palatinus Sandomirienſis*, in Monte Sacræ Crucis sepultus. *Cichovius in Colloquiis Osiecenſibus.* Ex *Conjuge Rzeßovia Stanislaus in Czarnca Czarniecki* filiam unam, filios duodecim progenuit, quinque Statum Spiritualem, septem Civilem sunt amplexi, inter quos erat Stephanus Palatinus Russiæ, Celeberrimus per orbem Heros, hostium fulmen. *Kochowski Annal. Pol. Climact.* 3. In vico *Krynica* Podlachiæ, clarus natalibus, & militiâ *Paulus Sasin*, ex uxore ducta, post plures ætatis annos, suscepit natos septemdecim, seniô gravis occisus à rebellibus Cosacis. In Distrietu Koscianenſi, Clarus nobilitate *Zbiewski* filios duodecim educavit. Molitor, in Cujavia, ex uxore una suscepisse dicitur filios viginti quatuor, filias aliquot, hic plures quàm centum annos numerando, sic erat vividus, ut comparati

parati illi, filii aliqui seniores esse viderentur. Civis Gedanensis *Joannes Metzell ex Magdalena Trzebiatowska* Consorte, decadem Filiorum reliquit vitâ excedens, Filius undecimus, & Filia ante obitum Patris decesserunt. Hæc Matrona pietate, prudenti gubernatione familiæ, educatione singulari Filiorum memorabilis, &c. anno 1735. sepulta. Ex Capitaneatu Mirachovienſi in Cassubia *Mathias Kuna colonus*, filios decem, filias duodecim suscepit.

V. IMAGINATIONIS VIS IN PRÆGNANTIBUS, quanta sit ad imagines seu figuras in teneris infantum corpusculis efformandas, *à Kirchero in Arte Magnetica*, *in Arte Magna Lucis & Umbræ*, *à Phalereo in Tractatu de Anima*, *ab Hoping in Meditatione Historica*, *à Wolffango in Dissertatione Medicâ de Nævis Maternis*, *à Sulzero*, aliisque Medicis fusè descriptum. Diversæ notæ & maculæ naturales seu genitivæ, ingenitæ, scilicet protuberantes, planæ, coloratæ, pilosæ, defectuosæ, superficiei corporis infantum, gestationis tempore, imprimuntur. Vidit aliquoties *Sturmius* Vieluni in Polonia ancillam, cui in tota manûs superficie Galli Indici caput, & collum, protuberante figura, & colore rubro, à natura impressum fuerat. *Sachs in Appendice Gammarologiæ.* In Lituania degens Succamerariæ Liuoniæ filia tulit intrà manum & cubitum muris effigiem, hac de causa, quòd mater gravida improviso conspectu muris perterrita, sinistræ applicaverat dextram. Fœmina Zolkieviæ in Russia contemplata sæpius vestitum Turcici militis, vulgò Janizari, infantem edidit tegumento carneo capitis amplo & longo oneratum. Agricola in pago *Sulow* Palatinatûs Lublinensis, *Lata* cognominatus, quòd nævum, in forma racemi vini, ferret in facie. Ex Hebræorum gente puella visa Ploskiroviæ, anno 1722. cum icone Caneri fluviatilis seu Gammari maxillæ impressa, quæ in aura calida rubebat plurimùm, livescebat in frigida. E Cancris fluviatilibus coctis impositisque patinæ, propter hospites, dum unus cecidit, utero gravem terruit mulierem, præbuitque illi occasionem, ut vultui manus apponeretur,

infans consignaretur Cancri simulacro. Plurimi conspiciuntur, qui rubris maculis sunt notati in variis corporis membris, inde ortis, quòd matribus gravidis, incendium, vel sanguis, aut aliud quid inopinatum spectandum subitò oblatum fuerat. Ex his, & aliis exemplis liquet, matrem vi imaginationis, per motum passionum animi, spirituum, & humorum, sive dirigendo & determinando virtutem efformativam membrorum prolis, sive alio modo, signaturas posse induci in corpus fætus.

VI. VIRI ROBUSTI sive roboris multi ad prodigium. Quærit *Sinapius Ungarus in Absurdis Veris seu Paradoxis Medicis*, cur Polonica natio ex Physicis causis, nationibus aliis Europæ, sit vivacior, validior, durabilior? respondet idem, educatio & vitæ genus Polonorum nihil continet molle, magis ruri degunt in àëre patulo, quàm in clausis Urbibus sordidis. Jam vero àër patulus, & non infectus multùm contribuit ad vigorem mentis, & corporis. Copia carnis recentis, & quidem volatilium, item bubulæ assatæ, in usu, tanta in Polonia, quanta in nulla alia natione. Jam autem carnium recentiorum, sal tam volatile, quàm fixum auget, unde vigor & vivacitas. Venationes, equorum item & Equitum frequentia robur & vigorem conciliat. Quò ad lectos, & jejunia, in Polonia est magna patientia. Et hoc multùm confert ad durabilitatem ipsorum exercendam. Durus lectus ossa consolidat. Nulli servorum (prout est alibi moris) lectus datur, cubat quilibet prout potest, & vult. Ipsi domini sæpe lecto militari contenti sunt, neque dum manè evigilant, butyrum cum pane desiderant. Tandem libertas aurea tam jurium, quàm conservationis. Quantùm animi libertas addit, quantùm servitus contristat, expertus dicere potest. Ex Polonis antiquis non pauci, Cataphractorum Equitum, vulgò Hussarorum tres hastas longas, in cuspidibus ferreis apprehensas elevabant à terra, unica manu in sublime. *Starowolski in Reformatione Morum Poloniæ*, Protensis manibus *Serenissimus Augustus II, Rex Polo-*

niæ,

nia, viros muſicos duos Leopoli geſtabat diutiùs: alibi quadram argenteam ad menſam poſitam convolverat digitis: dum autem Gedanenſe Armamentarium inviſeret, grande genus bombardæ Falkonet dictum, quaſi aliquod ſclopetum minus ſeu geſtatorium, una manu levans in altum, detinuit, ad magnarum virium documentum. Celebris miles *Marcus Sobieski Vexillifer Curiæ Regni*, de Armis *Janinæ*, abruptâ Viſtulæ ripâ, dum innatare aquis equus ignorat, ipſe loricâ Cataphractorum indutus, nando fluvium ſuperavit. *Paprocki in Stemmat. Nobilitatis Polonæ.* Tanto corporis robore, Vir nobilis pollebat in Curlandia, ut non tantùm ferreas equorum ſoleas, & Imperiales ſolidos, negotio haud difficili, tum flectere, tum omninò confringere, ſed & impoſitâ palmâ, curſum molaris lapidis, *præſente Sereniſſimo Duce*, in pleno impetu, frequenter impedire, immò planè ſiſtere potuerit. *Ex Roſino Lentilio Oribaſio, Author Germaniæ in Naturæ Operibus Admirandæ.* Præludium pugnæ inſtituens *Adalbertus Padniewski* in Valachia, Turcæ equiti ita validum ictum enſe intulerat, ut caput cum manu ſiniſtra ſimul demeteret. *Wargocki in Additis Valerio Maximo, Cracoviæ impreſſis.* A *Januſſio Duce in Oſtrog*, codices craſſi Tomi nuncupati, emiſſis ex arcu præpolatis ſagittis transfixi. Miſerat Chamus Tartarorum Crimenſium *Sigismundo III. Regi*, inter alia munera, arcum, de quo Legatus ſparſerat famam, à Polonorum nemine, nervo adducto eum tendi debitè poſſe, *Januſſius præfatus* ad inſolitarum virium ſpecimen, ad gentis gloriam tetenderat arcum illum, ſed illico per os, & nares, paſſus eſt ſanguinis profluvium, cum ſanitatis detrimento. *Bielicki in Feſtis Concionatoriis.* Vir præcelſioris ſtaturæ, & roboris gigantei *Magiſter Korabiewski è Societate Jeſu*, currum præcipitantis aurigæ vi raptum una manu poterat ſiſtere; ſcalæ virum inſiſtentem, à pariete Templi ad parietem alterum transferre, quo virium ſuarum experimento ſcamnum Gymnaſii cum viginti aliquot pueris attollens debilitatus, tandem mortuus eſt. *Ex Vita M. S. P. Stanislai Solski Soc. Jeſu.*

Inière duellum Equeſtris Ordinis duo Leuartoviæ, in eō unus ita ſectus acinace, ut caput cum dextra, pedes cum ſiniſtra in terram caderent. In ætate florida *Zagiel* Lituanus ſimul quatuor viros, humeris, dentibus, manibus ferebat cum ſtupore. Subcenturioni in Lituania ut milites duos portaret in manibus, tertium ſuccollaret, vires ſuffecerant. In Cujavia *Komorowski heres pagi Komorow* ſoleas equorum fregerat. Quidam manu ſua, alterius dextram ita compreſſerat, ut ſanguis erumperet de digitorum extremitatibus contectis unguibus. Erat, qui avellanas exſiccatas duas pollice & indice conterebat. Juvenis ſtrophium manu una prehenſum, nec duobus viris prævalidè id eripientibus, dimittebat. A *Dolinski Maſovita* avellanæ manu comprehenſæ non raro ſunt comminutæ. Heilsbergæ in Varmia, inquit *Leo in Hiſtoria Pruſſiæ*, unus ex latronibus captis, poſt extenſionem in cataſta, poſt membrorum luxationem, tulit ſeptem modios ſiliginis, in uno ſacco. Non duntaxat in Hispaniola, Indorum capita tam dura ſunt, ut, *Cardano teſte*, enſes frangantur, ſed etiam in Regno noſtro, reperibiles viri ejusmodi, qui illidendo frontem, rumpant tabulas ſolidas, & fores firmas. Præter alios *Smuliki* in Palatinatu Sandomirienſi, allidendo caput villani capiti fecit percuſſum pati grande deliquium, quercinas fores excutiendo itidem capite, implevit admiratione ſpectatores. In Arietibus talibus, opinione *Tylkowski in Phyſica Curioſa*, cervix eſt flexuoſa, ut caput reflectant retrò, impetumque concipiant, os craſſum terreo multo ſubtilique conſtans, propter quod eſt firmum, frons aperta ſed ſicca, cerebrum durius, ac fortiter ſuæ ſedi inhærens. Iter agendo per Italiam, auriga natione Polonus dum videret ſtabulum ſic occupatum ab Aſinis, ut locus non eſſet heri illius equis, & cum nec preces, nec minæ proficerent, ut à famulitio viatorum ſubmoverentur illa animalia, excandescens collegit vires, pluresque Aſinos extra limen projecit. Conſors *Lacki* Nobilis Viri in Territorio Caunenſi, oneratam ferculis pluribus menſam, ambabus

bus manibus in extremitate una apprehensam attollebat. Virgo *Barska* tanti roboris fuit, ut è nucibus avellanis pugno apprehensis oleum eliceret. Fœminæ oppidanæ, & rusticanæ non paucæ in Russia Rubra, & Alba, in Ukraina, Lituania, Masovia, insigni robore præditæ labores virorum peragunt strenuè, nec post partum sunt languidæ. Quædam properando ad fluvium, ut aquam domum ferret, prolem enixa, haud omni mora præcisa, matris una manus, altera hydriam aquâ plenam intulit ædibus. Secunda mulier editum fœtum in agro, cum in manipulis frugum deposuisset, cœptum opus messis continuavit. Cæteræ fœminæ, eadem die, quâ pariunt, ad exercendam rem familiarem se conferentes, etiam breviorem non admittunt quietem. De Moschis, *Neugebauerus in Moschovia*, annotavit sequentia: brachiis, lacertis plurimùm valent, totoque corpore adeò sunt robusti, ut cum Ursis, absque ullo armorum genere, solis viribus confisi, sæpius congredi ausint, Ursumque per aures arreptum, tamdiu defatigant, donec prorsus lassum prosternant. Simile existimandum est de rusticis non paucis Magni Ducatus Lituaniæ, & Russiæ, ubi armati lanceâ venatoriâ atque asciolâ provocant easdem in sylvis bestias voce ac gestu, sic unus ruricola in Capitaneatu Uswiacensi Palatinatûs Vitebscensis, occidit Ursos septuaginta, ipse carnes accepit, pelles, solito more, tradidit domino.

VII. VIRI AGILES sive levi, & expedito corpore. Poloni veteres non tantùm soliti concurrere hastis, sed eisdem dexterrimè nunc propositum circulum tangere, nunc pileum, aut philuram à terra attollere, missis ex areu sagittis avem volantem transfigere, plumbeum globum altero sclopeti globo excutere, fossas & sepes superare, elevatis simul ambobus pedibus equum conscendere, non attacto ephippio, ex uno equo in cursum effuso, in alterum currentem pariter se transferre, superstando equis arcum inflectere. *Starowolski in Reformatione Morum Poloniæ.* Ita agilis erat servus quidam unius è Magnatibus, Gedanô oriundus, ut in

equum cursu *galop* dicto se ferentem insiliret à tergo. In Lituaniæ parte, Petauristæ, Pol. *Mietelniki*, homines rusticani, sunt *Budeo* à cubo, quòd instar tesseræ manibus pedibusque se convolvant, vel qui corpus habent formatum ad flexus membrorum, saltatores *Scaligeri* flexu corporis multa schemata exhibentes. Vide *Acerni Roxolaniam*, in qua ductores, delinitores Ursorum, saltusque talium ferarum graphicè describuntur.

VIII. GIGANTES seu homines inusitatæ magnitudinis, inquit *Bartholinus in Hist. Anatom.* justè monstris annumerandi. Ne dubitemus integra corpora giganteæ molis, ex bustis eruta suis. Sunt & ex ornamentorum reliquiis de Gigantibus conjecturæ; annulos habuit *Wormius in Museo*, qui nobis pro armillis sufficerent. Idem asserit *Schottus in Physica Curiosa*, dum ait: omnes homines antiquitùs, non solùm ante, sed etiam multis sæculis post diluvium, si cum nostratibus comparentur, giganteæ staturæ fuerunt. Apud eundem authorem de Gigantibus testimonia ex Sacra Scriptura, ex Scriptoribus antiquis & recentioribus numerosè deprompta invenies. Mons calvus seu Sacræ Crucis, in Palatinatu Sandomirienſi, erat famosissimum quondam receptaculum Cyclopum, si veteri & vulgari assertioni standum est. *Dlugossus Hist. Polon. lib. 1.* Castrum Zuinigrodense in Pokutia, anno 1716. ex mandato *Adami Sieniawski Castellanè Cracovienſis & Supremi Exercit. Ducis*, meliori formæ restituens *Ioannes de Campenhausen Colonellus S. R. Majestatis*, inter rudera reperit ingentem copiam ossium humanorum, quibus, propter incommoditatem novæ munitionis, ex illo loco amovendis, vix mille currus sufficere potêrant. In medio fere ossium, reperta cista marmorea, octo cubitos, & dimidium longa, continens reliquias cadaveris, quæ vix non omnes putridæ erant, præter superficiem capitis, galeri extensi molem æquantis. Ista res curiosa accendit animum præfati Castellani, & inventoris, ad inquirendam historiam illius loci, patuitque ex codice veteri Bibliothecæ Brzezanensis,

inibi

inibi pugnam iniisse inter se fratres *Vlodimirum & Roscislaum filios Woloclori Russiæ Ducis*, quorum primus in societatem armorum vocavit Hungaros, alter Russos finitimos. Sparsa est fama anno 1729. per Regnum, de Gigantis sceleto invento in Podolia, ego ut fabulas non permiscerem cum rebus authenticis, Camenecô accepi notitiam veritati conformem, eamque talem: est pagus *Filipce* dictus, pertinens ad Episcopatum Camenecensem, vicinus Oppido *Uscie*, hortos illius fluvius Tyras præterfluit, lambit, & subripit, idem aperuit fossam in longum, latum, & profundum, ad duas, aut semitres ulnas, quam dum aquæ deseruerunt, inventa est à colonis farrago ossium, in fragmenta minuta contritorum. Integer dens excedebat palmum rectum longitudine, & hic missus est Varsaviam *Serenissimo Regi Augusto II.* alter dimidius habetur Cameneci. Ut præfati dentes Gigantis sint, nemo potest probare solidè, nam præter alios recentiores, *Woodwardus in Historia Naturali Telluris*, integra sceleta Balænarum, dentes, ossa Canum marinorum, aliorumque piscium fragmina non pauca, in terra reperta esse testatur. VIRI PROCERI seu communem mensuram corporum excedentes, non rarò conspiciuntur. Pruſſi antiquissimi fuêre cæsiis oculis, facie rubicunda, comâ intonsâ eâque crispâ, ac rufâ, ingentis staturæ, ætatis grandis. *Hartknoch in Borussia Veteri & Nova.* Ex Fortalitio *Wissnicz* veniens Cracoviam miles flexerat genua in Templo S. Petri, tempore Magni Jubilei, hic in eo situ, supra confertam multitudinem adstantium hominum eminere est visus. Ex Civitatibus, Oppidis, pagis, pedisequi Procerum & Nobilium, à Polonis dicti *Pacholcy*, *Hayducy*, alii vix non implent longitudinem ulnarum quatuor, alii ad ulnas tres & dimidiam sunt protensi. Legio peditum sub vexilla convocatorum, ad *Serenissimi Regis Augusti II.* latus, constabat ex plurimis staturæ extraordinariæ viris, Regni incolis.

IX.

IX. VIRI MULTI CIBI seu Edones prodigiosi huc adducuntur. Appetitûs aucti tres differentiæ assignantur à Medicinæ Doctoribus. Fames aucta, Appetentia canina, & Bulimus. Dicitur fames aucta, dum ægrotantes sive eadem laborantes, præter famem ingentem, nullam molestiam aliam sentiunt. Appetentia seu fames canina *Sennerto in Practica Medicinæ*, est continua, inordinata, & fere inexplebilis fames conjuncta cum vomitu, vel cum ejectione per secessum, ita ut affecti hoc malo, alternatim vorent, & ejiciant. Bulimus est appetitus ingens, sed non continuus, id est per intervalla recurrens, & sæpe si latranti ventriculo non statim satisfiat, cum virium debilitate, ac syncope, desinens ciborum desiderium. Quanquam ab aliis appetitus quisque immodicus, sinè vomitu, & deliquio animi, Bulimus nominatur. Exempla voracitatis extranea, *in Donati Marcelli Historiæ Medicæ Mirabilibus* adducuntur, nobis non desunt domestica. Quidam magnæ gulæ, in uno prandio, frustis carnis bubulæ decem, Ansere, Vituli parte quarta, assatura, & olere absumptis, exhausit ollas quatuor vini, non recedens à mensa. Appetitus in Juvene Minoris Poloniæ, pro jentaculo datis ovis triginta frixis, parte quarta Vituli, & Vervecis, vix est sopitus, vix exstincta sitis aliquot ollis cerevisiæ. Vir è Nobilitate, manè sumptis buccellis decem panis siliginei, primò assidebat mensæ domini, secundò famulorum, tertiò epheborum, ex ferculis appositis etiam illis aliqua detrahendo. In Palatinatu Posnanienſi Valcii *Ioannes Hoffmann* natus educatusque, decem aut duodecim capones saginatos paratus consumere, tempore quodam, cum *Lipinski* socio, post jentaculum bonum ad venationem prodierat, ex venatione ad *Błędowski* nobilem diverterat, apud quem de industria tractatus liberaliter, ut appetitus singulare documentum exhiberet, pullos gallinaceos duos, capones & anates totidem, anserem, Indicum gallum, porcellos, medietatem leporis, vituli partem quartam absumpsit hospes, cerevisiæ plus quàm septem ollas exhausit: æqualis portio

Lipinski

Lipinski æmulo assidenti à Patrefamilias subministrata in escam cessit. Oriundus ex Magno Ducatu Lituaniæ, sexagenam ovorum, Capones duos, Indicum Gallum, assaturam vitulinam, subjecerat non rarò uni comestioni. Ejusdem Magni Ducatus incolæ, gemini Fratres *Jandynscy*, sic Arietem dividebant prandendo, ut unam medietatem assam, alteram cum oleribus coctam (si alia æquivalentia deerant fercula) sine sanitatis detrimento, consumerent. Ab iisdem dapes, pro plurimis convivis paratæ, certis temporibus, sunt demissæ in stomachum. Sumens refectionem matutinam Vir mihi notus, sexaginta Gallinæ ova decorticata, sale conspersa tradidit digestioni. Ex Masovia quidam amplum habens œsophagum, sexagenæ ovorum sine putamine vasi impositorum, cerevisiam superfundebat, ut faciliùs ova deglutiret. Erat, qui manè consumpta coxendice Capreoli, prandio, & cænæ dederat locum, idem sexaginta cucumeres, una comestione absumpserat. In Volhinia vir claræ prosapiæ, intrà viginti & quatuor horas, ordinariè septies, non pauca fercula comedebat parata ex piscibus. Qui frumentum advectum ad Gedanensem fundum, Germ. Städt-Gebiet dimetiebatur mercede conductus, Vervecem integrum consumebat, cerevisiam floreno emptam exhauriebat, in uno prandio, robustus ita, ut modios quatuor siliginis inferret granariis. Una comestione *Nawrocki* absumpsit panem triticeum emptum Prussicis grossis triginta sex. Colono, ex pago *Tsake* Palatinatûs Pomeraniæ, siligineus panis Prussico floreno Gedani emptus, assa bubula, & casei frustum, ægrè suffecerant ad sedendam famis auctæ molestiam. In Palatinatûs præfati vico *Mechelinka*, armenti custos ordine apud agricolas prandens, pisorum quartam modii partem, Germ. Viertel, aut eandem mensuram farinæ aquâ subactæ divisæque in frusta, pro ordinario habebat cibo. Fuerant & alii plures è Nobilitate & plebe, qui una vice tantùm ciborum, quantùm non paucis viris sufficisset, absumere consueverunt.

X. VIRI CRUDIVORI, in quibus vis admiranda est digestiva. Visus est quidam amens Vilnæ, qui absque ullo detrimento, intestina piscium cruda, & alia absurda devorabat. Incola Terræ Lukovienſis, in Palatinatu Lublinenſi, post varios non coctos cibos, interdum etiam Catos vivos vorabat, cum horrore spectantium. Vir quidam Gallinæ ova elixa, simul cum putaminibus ori, ventriculoque sæpe immittebat, ac sibi prodesse ferculum tale asserebat. Ex Cosatica plebe, in Arce Brodnicenſi, famulatui deditus, Percas minores fluviatiles vivas, easque plurimas transmittebat per guttur ad ventriculum; post comestam adipem recentem Porci, hausérat aquam. Obscuris ortus parentibus in Cujavia, jocique gratiâ *Bonus* vocatus, decades aliquot candelarum ex sevo efformatarum, cum ellychniis simul, stomacho non difficulter ingerebat. Idem præstabat famulus cujusdam Nobilis, in Palatinatu Pomeraniæ, & paulatim ori solebat imponere funiculum ad tres ulnas protensum, quem potu repetito multoties protrudebat ad ventriculum. In Majori Polonia Jurisperitus non contentus victu minùs liberali (propter fortunam tenuiorem) sibi parato, nuces juglandes cum putaminibus deglutiebat, digerebat sinè difficultate. Nobilis Polonus vinum & aureos nummos novem Vratislaviæ uno hausto absorbuit magna facilitate, favente nummorum situ, quem in deglutiendi actu subierant. Post sumpta juscula pinguia, oleum amygdalium dulce, decoctum mucilaginosum, & enemata, decimo quarto die, per intestinorum volumina, tres sunt propulsi, sequenti die sex sine dolore, nullum abrasionis, vel mutationis alicujus vestigium exhibentes. *Ephemerides sive Observationes Medico-Physicæ Acad. Leopold. Naturæ Curiosorum in Cent. IX. redactæ.*

XI. VITRIVORI peritis Medicæ artis ac curiosis in considerationem veniunt, de iis tractat *Croanne in Homine, Grabnerus in Medicina Veteri Restituta, Reald, Columbus*, & alii. Non satis mirari potest *Hildan*, quomodo fragmenta vitri acutissima, & in copia devorata, exquisitissimo sensu prædita inte-

inteſtina, ſine incredibili cruciatu, ac vitæ exſtinctione permeare potuerint? reſponſum datur ab *Hoffmanno*, descendunt fragmenta vitrorum immiſta cibis & excrementis, atque ita minùs lædunt, obtuſa videlicet acie illorum à lentore iſtorum. Idem ſentit *Horſtius*, dum ait, vitra maſticatione conteruntur, ac poſtea cum alimentorum, ac poculentorum liquoribus commiscentur. Sunt, inquit & *Franck in Satyris Medicis*, quos innoxiè vitra devoraſſe legimus. Talibus *Eſchſtadius in Exercitat. Medica de Vitris*, admirandam concoctricis virtutis potentiam adſcribit. Stantibus his, inſolentiam vitri devorati, multi graviſſimis lugebant pœnis. Exempla Vitrivororum, Cultrivororum, Venenivororum, in regionibus exteris, *à Schurigio in Chylologia Hiſt. Medicæ*, recenſentur. In Regno noſtro an exſtiterint aliquando Vitrivoraces, perplexus maneo. De Lapidivorace degente in pago *Brody* Palatinatûs Posnanienſis, certò mihi conſtat, quòd dum ſiliginis menſura *Czwiertnia* dicta, Polonicis florenis triginta vendebatur, unus ex agri cultoribus, qui ſufficienter menſibus tribus, ventrem cibo non replebat, lapillos devorabat quotidie, habitumque contraxerat, etiam ſubmotâ cariſtiâ utendi lapillis, nec niſi detentus vinculis, inſolitum, durum, grave rejecit opſonium.

XII. VIRI MULTI POTUS ſeu potatores ſtrenui quatuor in Oppido *Pniewy* Palatinatûs Posnanienſis, ut cereviſiæ dolium, intrà breviſſimum ſpatium temporis, evacuarent, epiſtomiô procul amotô, ſucceſſivè duo vaſa admoviſſe traduntur paſſim, illaque ſervato ordine inceſſanter exhauſiſſe. Eandem bibendi expeditè artem Dobriniæ exercuiſſe aliquot Viri notantur. Nonnemo poſt ſponſionem factam cum alio, tres ollas ſeu ſex Pruſſicos Stoffos cereviſiæ, ſinè interſtitio notabili epotavit. Viris annumeranda Fœmina Lublinenſis, quæ interdum una die, Stoffos ſex, immò plures Hungarici vini generoſi ebibere ſolita, ſine crapulæ nota.

XIII. QUALITATES RARIORES HOMINUM adducuntur. Ex Officialibus Regni quidam, si exspirationes, quibus aër propellitur diutiùs detineret, comprimeretque, interim aliquis rectè extensum digitum parti corporis laterali costis subjectæ apponeret fortiùs, impetu tanto reflabat aërem, ut luxatum redderet digitum. Cultor vitæ religiosæ cingulos latos, è corio Capri, aut Bovis efformatos, quoties volebat, toties unica tussi disrumpebat. Tibicen manens Jaroslaviæ, lagenas, atramentaria, aliaque vasa vitrea, inflatu uno, in partes abire faciebat. Nunquam somnum admittere quispiam poterat, sine præsentia alterius hominis, quamvis sopore membra devincta habentis, huic expergefacto si aliquando contigit prodire è cubiculo, in silentio alto, sine mora, somnô relictô, inferebat absentiam socii, nec quietem nocturnam continuare poterat, in metu positus. Sorores duæ in Volhinia, sic erant animo sibi conjunctæ, ut dum captæ à Tartaris, in prædæ divisione, separarentur ad diversa loca abituræ, præ affectus atque doloris vehementia, ambæ mortem oppetiêre. *Kowalicki in Concionibus, sub titulo Jejunium antiquum Polonia.* In Officio Palatinatûs Lublinensis vir positus, quoties vino tractabat hospites, toties ipse bibebat aquam, ut autem interdum demonstraret invitatis singularem affectum, affundebat aquæ modicum vinum, quod post quadrantem horæ, vel minus spatium temporis, per os reddebat, retentâ frigida. E Gedanensibus Civibus unus pro ordinario potu utebatur aquâ, illius filia una potum sumit rarissimè, altera solo esu pomi temperat sitim. Fœmina Senatorii Ordinis, in Palatinatu Posnanienſi, non visa edere sputum: auditur idem de Persona religiosa. VIROS LAC EFFUDISSE *Avicenna, Valæus, Vesalius, Costæus, M. Donatus, Baricellus, Cardanus, Schenckius, Hichmorus*, annotârunt, vidit Urbs Vlodimiria in Volhiniæ Palatinatu, Virum Græci ritus, qui lacte proprio non unam prolem nutriverat. Præter Viros, etiam Infantes, & Pueros lac profundentes, *Franck in Satyris Medicis* ponit.

Ex-

Exempla alia & distinctiones inter lac verum, & succum lacteum seu humorem in Virili sexu ponuntur *Operis Primi Tractatu XII. numerô latinô* 333. In Dantiscana fœmina lac rubrum est spectatum, à largiori usu vini ceraſorum proveniens. *Paullini in Observationibus Medico-Physicis Curiosis.* Ex Terra Halicienſi Zołądź miles Stemmatis *Syrokomla* fortiter decertando cum Turcis, unum hastâ de equo dejecerat, alterum gladio stricto dum persequitur, ictumque intentat, decollatur à tergo. Capite imminutus, ad medii jugeri spatium, equo currenti insidebat, ter movit acinacem, tandem in terram est prolapsus. *Paprocki in Stemmatibus Nobilitatis Polonæ.* ANTIPATHIA *in Paulo Kopycki Nobili Volhinenſi* tam potens fuerat, ut ad primum conspectum Felis, palleret, sudaret, deficeret viribus; & quod est singulare etiam non procul à se latitans animal idem, cum molestia magna sentiret. Affectiones has ut evitaret, in usu habuit, antequam domum alienam ingrederetur, à domesticis amotionem Felis exposcere, vel sagaciſſimum canem præmittere. Similia symptomata passus *Zaleski Consul Cracovienſis* in præsentia Cati. Ex Equestri Ordine quidam quoties conspexit modulum, in quo fila convolvuntur ex fusis, vernaculè *motowidło*, toties summè instrumentum illud aversabatur. Vir religiosis votis obstrictus serpentem ex Pharmacopolio fugitivum, sub gradibus domus occultatum, tædiis & sudore detexit Posnaniæ. Mulier à butyro recenti abhorrens plurimùm, vetus admittebat in escam. In Cujavia quidam pisa cocta edebat, eadem conspersa pipere, cum abhorrentia grandi removebat à mensa. Fratres germani Civesque Gedanenses carnem vitulinam assam cum renibus aversabantur summè, renibus destitutam habuere pro grato ferculo. Juvenis in Palatinatu Sandomirienſi assaturâ bubulâ vescebatur, frustum ejusdem carnis removendo cum nausea. Caput Vituli à quodam non admittebatur in cibum, idem caput in frusta minuta concisum aliisque permistum carnibus movebat nauseam gravem etiam non gustatum, sed

visum. In lucem editæ sunt *Davidis Lipsii Antipathiæ Singulares sive Dissertationes de cibi & potus fastidio, odio, abstinentia.* A caseo quòd abhorreat aliquis, *Schockius in Tractatu Singulari de Aversione Casei*, probabile id fieri asserit, à lactis coagulati caseatione, ex nutricum prægnantium uberibus hausta. Suffragatur *Diabæus* eidem opinioni. SOMNAMBULI seu NOCTAMBULI à nocturna ambulatione sic appellati, quæ affectio Siphita stricta Medicis est. Exstat *Albini Dissertatio Modica de Somnambulatione, Pomarii Disputatio de Noctambulis, Schenckii Dissertatio Medica, de Ambulatione in Somno.* Militis Lituani *Klucz̈yński* puer in castris commorans, somnoque pressus surgebat ad excitandum famulitium, componendum tentorium, & id genus præstandum hero obsequium. Idem nonnunquam in castrorum medio deambulabat, ferendo varia. Incola Russiæ Rubræ dum dormiret, solitus evaginare frameam, interdum verbera, vulnera inferre familiæ, bombardas minores exonerare, aliasque instituere actiones. In usu cuidam erat, à juventute ad senium, plurima per diem acta, noctu repræsentare, dum esset non solutus à somno.

XIV. CAPUT est præcipuum inter corporis humani membra. Ad annum ætatis septimum *Antonius Wolski* Sacerdotalis coronæ ferebat signum, pili quippe in vertice capitis non crevêre, anno decimo quarto aspiravit ad Sacros Ordines. In *Kacki* pago non procul à *Trombki* Pomeraniæ Prussicæ, *Joannes Wielechowski* natus est cum crinibus nigricantibus, protensis ad brachia. Alter Puer filius Cauponis, in villa vicina Oppido Kirschburg Prussiæ, comâ verticis tectus in lucem prodiit ex matre. In Terra Premislienſi, Nobilis Vir propter alterum Nobilem extractum è lapidea fustigatumque in fimo, damnatus ad turris insessionem anno toto, insuper solitudine pressus incanuit habens triginta ætatis annos. Ex Roxolania oriundus, in Prussia diuturnæ venationi deditus, septuagesimum annum brevi attingens, depositò de capite pileo, sustinebat intensissima frigora, &

quòd

quòd arderet totus clamitabat. Alter adscriptus Cætui Religiosorum, nec hibernis temporibus, pileo, aut alio tegumento utens, dum se ex Civitate una transferret ad alteram, immemor pilei, milliare confecit itinerans, advertens expedivit vectorem, qui illum adferret. DENTES totâ vitâ crescunt, & augentur, alioquin attritu absumerentur; dum cadunt in pueris radices manent, an animantur controversia est inter Philosophos. Visus est, inquit *Tylkowski in Physica Curiosa*, qui lecti tegumenta dentibus secabat, ut forficibus. Excolebatur literis in Conecensibus Scholis Juvenis Pruthenus, bino ordine dentium à natura donatus. Anno octogesimo tertio ætatis, *Ioanni Kurdwanowski* Suffraganeo Varmiensi dens est enatus. Agenti annum vigesimum septimum, quatuor molares dentes excreverant, in gingivis inferioribus. Dens in palato radicatus, à Chirurgo Gedani extractus. Valcii natus, Religiosum statum amplexus in Societate, superiores & inferiores dentes molares omnes habebat. Aulicus in ætate florente, ea vi dentium pollebat, quæ sufficiebat, ut positis post tergum manibus, stans corpus totum inflecteret, stanneas quadras duodecim è terra dentibus elevaret, ac oneratus, in gyrum se aliquoties ageret, in vico *Lubießyn* Prussiæ. FACIES seu vultus si consideretur, homines inter se adeò sunt diversi, ut rarissimè aliquis reperiri possit, qui ab altero varietate vultûs non dissideat. Videatur *Merbitzii Discursus Physicus de Varietate Faciei Humanæ.* Ex *Andrea Leßczynski* Parente, & *Opalenia* Matre, *Venceslaus & Preclaus* nati, cum ea vultuum convenientia, ut nec in puerili, nec in maturiori ætate dignoscerentur à quopiam. Vestes coloris diversi, quibus induebantur, spectatori ferebant discerniculum. *Bielicki in Festis Concionatoriis.* Nobili genere orti, atque in Matris utero Socii *Kolaczkowscii* studiis operam dabant Posnaniæ, in statura, voce, charactere sibi persimiles. In Scholis Collegii Lublinensis, *Brodowscii, & Trembinscii fratres* difficillimè dignoscebantur. Maxima similitudo faciei erat, in *Pyrsciis* fratribus germanis, aulicis *Casimiri Sapiehæ*

Pala

Palatini Vilnenſis, Exercituum Magni Ducatus Lituaniæ Supremi Ducis. Pædagogo in curam puer commendatus *Valerianus Wilczyński*, poſt longam levitatis medicinam, recreationis die relictus domi, manente ſimul eodem cuſtode, ut occupationem ſcholaſticam componeret, quam alii jam abſolverant. Torquebatur mortificatus, pallebat, rubebat, mutabatur in horas, & ecce ex ejus fronte ſudoris ſanguinei aliquot guttæ decidunt, in ſibi exoſam tunc præcipuè thecam. Abhinc pallidus & exanguis aliquot ſeptimanis, ſimulque ſemper modeſtior manſit. HEPAR ex infante, Torunii, anno 1672. inſolitæ magnitudinis, coloris pallidi exciſum, pondere ſuo ſesquilibram civilem fere æquabat. *Ephemerid. Medico-Phyſicæ Germ. Nat. Curioſorum.* LIEN in Mercatore Gedanenſi, anno 1666. dimidia fere ſui parte oſſea cartilagine erat incruſtatus, eaque adeo dura, ut acutiſſimo cultro vix discindi potuerit. *Ephemerides eadem.* MENTUM ſi perpendamus, plurimi ex Polonis antiquioribus, iisque nobilioribus, barbam promiſſam aluêre, præſenti ſæculo ſoli oppidani & villani, in Ruſſia, Lituania, & alibi barbati conſpiciuntur. Myſtaces breves ſunt Virorum indicia & ornamenta, longiores præbent ſpectaculum. Ex Equeſtri Ordine *Stoliński*, Torunium versùs, tulit myſtaces ad longitudinem fere mediæ ulnæ ſe protendentes. In Volhinia *Grozowski* myſtaces pendulas ad cervicem deductas colligabat; *Martini* filii myſtaces ad menſuram palmi recti extenſi fuerant. Organarius *in Skrzynno* Oppido Palatinatûs Sandomirienſis, amplitudine inſolita, longitudine ſemicubitali myſtacum, admirationi erat ſpectatoribus. COR eſt vitæ ſedes, caloris nativi domicilium. Ex *Klimczak* homine audaciſſimo, infami latrociniis, Cracoviæ decollato, & in partes quatuor ſecto, cor piloſum exemptum à carnifice. Ad quæſtionem hanc, cur ii, in quibus cor eſt hirſutum, inſignem audaciam, & animi robur præſetulêre? reſpondent *Conimbricenſes*, quia hujusmodi homines præcalidi ſunt, & fuliginoſa recrementa è corde emittunt, quæ in pilos concrescunt. RENES,

Feſto

Feſto ex Græca voce Nefrundines, laborantes ex renibus nephritici Medicis. Poſt fata *Morßeynowæ Capitaneæ Siradienſis*, anno 1718. in cadavere aperto, abdomen primò ſubjectum examini. Statim inter ilium dextrum, & umbilicum prominens globus ſub inteſtinis apparebat, quem non ſine admiratione detectum, unum ex renibus fuiſſe, ab inferiori coſta notha dimiſſum, & à lumbis diſtractum (quibus tamen appenſum atque hepati per latam membranam hærentem) dignovimus. Hujus moles quintuplò naturalem excedebat, figuræ ovalis, ad tactum renitens. Cultrô ren iſte monſtroſus diſciſſus demonſtravit ſubſtantiam corticalem glanduloſam ſeu vasculoſam juxta naturam perſtitiſſe, illam autem quæ vaſa renalia, & pelvim reſpicit degeneratam fuiſſe in petroſam duritiem, quæ longa calcinatione vaporoſa poros adepta oſſeam potiùs faciem imitabatur, & cujus craſſities mediam digiti latitudinem occupabat. *Ephemerides ſeu Obſervationes Medico-Phyſicæ Academ. Leopold. Naturæ Curioſorum, ex Obſervatione Bonfigli Medici Cracovienſis.* Non ſolùm in renibus & veſica, aſt & in aliis, & in omnibus fere totius corporis partibus calculos generari, præter *Sennertum*, *Schenckium*, *Rentmannum*, *Sachs*, prolixè demonſtravit *Schurigius*, idem inteſtinorum calculos *in Chylologia Hiſtorico-Medica*, *T. Bartholinus in Actis Medicis Hafnienſibus*, *Ruyſchius in Theſauro Anatomico* deſcripſit. Calculos per alvum excretos *Acta Phyſico-Medica Academiæ Cæſareæ in Volumine* 3. teſtantur. In Curlandia, *teſte Roſino Lentilio*, Vir ſexagenarius, per annos aliquot, calculos diverſæ magnitudinis, piſum tamen non excedentes, per vomitum rejiciebat. Calculi ſexdecim læves, triangulares, ait *Bromellius in Specimine Lithographiæ Suecanæ*, à Polono ſpontè ejecti per alvum, Pariſiis 1703. anno. In Palatinatu Pomeraniæ per alvum cujusdam excreti calculi. Civis Gedanenſis calculus ſeptem unciarum pondus habebat. Fæmina nobilis Gedanum veniens obiit, hæc in folliculo fel continente ſex calculos tulit, primum articulum indicis molæ æquantes. VENTER ſeu potiùs Epigaſtrion, Peritonæum,

næum, Abdomen omento incumbens, cuidam hortulano, conſtitutionis & firmitatis ejusmodi fuerat, ut in eo juglandem poſitam concutiens malleo, aut ſecuri averſa, unum aureum daret, non concutiens, aut aberrans, in pœnam ictus fruſtranei, alterum nummum ſuperadderet. In Oppido *Jaslo* Palatinatûs Ruſſiæ, mendicus intererat nundinis, hic non contentus eleemoſynâ, lucri causâ, convocabat villanos, aliosque prætereuntes, dicendo ſe paratum ad ſuſtinendum validiſſimum ictum baculi, ventri illatum, ſi pro qualibet percuſſione, ſolidus illi offerretur in præmium. Dabatur à multis quod voluit, ſed & plagæ bene ſonantes reſupino infligebantur ambabus manibus, cum admiratione, & cachinnis. Ab oculato teſte, eoque fidem promerito accepi id ſingulare. Cum vulnere inflicto ventriculo, & nunquam clauſo, ob callum labiis inductum, vir ex Lituania, undecim annis vivebat. Hic cum cibum aſſumptum ejiceret per vulnus ex ventriculo, factus eſt lucri causâ ſpectaculum vulgi. *Ephemerides Medico - Phyſicæ Germanicæ, Decad. 2. anno 5.* Hiſtorias eorum, qui purgabantur auditu, aspectu, guſtu, odoratu, retentione, inunctione, geſtatione ſub plantis pedum, imaginatione, metu pillularum, *Franck in Satyris Medicis* deſcripſit; exempla etiam in Regionibus noſtris non deerant. Nonnulli adſunt, qui ſine jactura ſanitatis, tempore longo non evacuant alvum. Unus optimè valens, bene prandens, & cœnans, poſt ſex ſeptimanarum ſpatium, ventris onus depoſuit, alter ſemel in menſe, in quantitate nucis juglandis, excrementa à ſe amovebat. Ex Gente Hebræa juvenis, *Zamoſtiæ* cum parentibus manens, à nativitate ipſa, ad annum decimum & quintum ætatis, miram, ſed innoxiam alvi conſtipationem habuerat, hæc ut amoveretur, ex mandato Domini Civitatis, Medici ſunt advocati, balneum aquæ calidæ ab ipſis præſcriptum, quod dum eſt ingreſſus, alvum ſolvit, ſed brevi vivere deſiit. VISUS, propter rationes multiplices, præſtantior ſenſibus aliis cenſetur eſſe, eum ſic excellentem habebat quidam, ut ſtans penes Portam Collegii

Soc.

Soc. Jesu, in Schottlandia, sinè optico tubo, horarum notas spectaret in Curia Turris Gedanensis depictas. Oppositа cæcitas visui, de qua adducitur id speciale. Owrucii in Palatinatu Kiovienſi orbus luminibus natus, egregiè elaborare solitus musica instrumenta, idiomate patrio, *Bandury* dicta. Idem Pinus altas conscenderat, ut mellificia in eis pararet sylvestria; summitate succisa arboris, in latiore trunco, capite staret interdum ad spectaculum. De Naturæ defectibus aliunde compensatis, *Stengelius in Monstris*, fusiùs tractat. Ait *Marcus Marci in Philosophia Veteri Restituta*, quòd Vir Religioni adscriptus Pragæ, solo odoratu omnia explorare noverat, à quo contacta essent. MEMORIA strictè sumpta est potentia, quæ species rerum in se impressas conservat. Bona memoria species rerum in se receptas, cum quadam distinctione, & mirabili ordine retinet, requirit humiditatem mediocrem cerebri. Magna memoria adscribitur Germanis, Britannis, Polonis, *à Thalereo in Tractatu de Anima*, injuriosè negatur ingenium. Plures semel audita, eodem planè ordine, quo dicta fuerant, recitârunt. In pueritia, & Scholis inferioribus, *P. Premislaus Rudnicki de Societate Jesu*, semel dicta pensa ab æmulo, illico referebat sinè errore. In Collegii Gedanensis Scholis *Sebastianus Kroll Truthenus*, una nocte, *Lucani* trecentos versus didicerat. Volhiniæ incola *Adalbertus Czacki primò Notarius Poloni Exercitus, secundò Capitaneus Vlodimirienſis*, tractando chartas lusorias, simul tribus amanuensibus literas in diversa materia, non semel dictaverat. Alter *Matthæus Iliak Ensifer Braclavienſis*, scriptoribus aliquot, unus ut dictaret epistolas varias postæ committendas sufficiebat. Erant, qui nonnisi semipoti Decreta formabant egregiè, solutas ligatasque orationes scribebant, quia species eorum, quæ erant in cerebro, egebant spiritibus calentioribus, ut excitarentur.

PUNCTUM XI.

DE MONSTRIS HUMANIS, BELLUINIS, VOLATILIBUS, VEGETABILIBUS, FAME, PESTE, ANNI PARTIBUS.

I.

MONSTRUM à monstrando denominatum, est effectus naturæ devians à recta, consuetaque, secundùm speciem dispositione, quæ deviatio quò est major, eò est res monstrosior, nam prodigii mensura est, erroris magnitudo. Ejusmodi inconsueti effectus naturæ reperiuntur in Animantibus, in Elementis, dum portentosa fiunt meteora, in Metallis, Lapidibus, & Vegetabilibus spectantur ostenta. De Fæminis Monstriparis, *Kircherus in Arte Magna Lucis & Umbræ* tractat. Quàm sæpe partus humanus, & belluinus, ab ordinaria naturæ lege recedit, monstraque substituit, numeri sequentes declarant.

II. MONSTRA HUMANA. Regnante Boleslao Audace, soboles omnis Christinæ cujusdam, ex connubio adulterino suscepta, Corvino naso deformabatur. *Dlugossus in Vita S. Stanislai Episcopi Cracovienſis.* Fæmina Nobilis *Margarita Consors Joannis de Kozłow*, dum uno partu geminos filios effudisset, unus eorum cutem; in toto corpore non habebat. *Idem ibidem.* In Oppido *Bečnia* proles est nata, anno 1431. quæ quamvis cresceret, tamen nullius membri usum habuerat. Putabatur ossibus destituta, ideoque patria voce *Bezkoſt* vocata. *Author Vitæ S. Cunegundis.* Torunii, anno

anno 1638. die 20. Julii, menſoris frumentorum uxor edidit partum tricipitem, medium caput erat aſſimile capiti Leporis. *Zernecke in Chronicis Torunienſibus.* In Curlandia, anno 1678. puellus recenter natus eſt viſus, ad cujus umbilicum fuerat globus quantitate caput infantis æquans, per quem inteſtina omnia transparebant, nec diu ſupervixerat. *Roſinus Lentilius Oribaſius in Parallelismo ad Obſervationes Ephemeridum Curioſarum.* In Palatinatu Posnanienſi mulier dedit in lucem filium, ut carbo nigrum. *Koralewicz in Additamento ad Chronica Minorum S. Francisci.* In Civitate Lesna Majoris Poloniæ, mulier enixa eſt filiam gravidam puellâ. Partus hic admirandus ut fidem inveniat, confirmatur exemplis hominum, & animalium. Embryo in utero matris, alio embryone prægnans inventus eſt in Dania, teſte *T. Bartholino Centuriâ VI. Obſervat.* 110. Fæmina in prole edita, alteram prolem habens, ſæculo anteriore, novellis publicis eſt celebrata per Europam. Dantur & in animalibus prægnantes fætus, nam in Hispania, referente *Nierenbergio in Hiſt. Natur.* Equa peperit Mulam, alterâ Mulâ oneratam. In Hungaria, Vacca edidit Vitulam, aliâ Vitulâ gravidam, *Sachs innuente.* De fætu in fætu varia, congeſſit *Stolterfoeht in Novis Literariis Maris Balthici, anno* 1669. *menſe Januario, pag.* 29. Adducit etiam *Franck in Satyra Medica IV.* exempla plura hominum talium, & animalium. Manſit vir quidam Rzeszoviæ, qui enatam carnem in forma barbæ promiſſæ, attingentisque cingulum, tulit. Viſus, in Samogitiæ Oppido *Janiſki*, homo cum capite detorto mirabiliter, cum dentibus è fronte prominentibus. Fæmina, in pago Podolienſi *Pankowce*, edidit puerum cum capite tecto crinibus propendulis, more Coſacorum Ukrainenſium. Mariæburgi, anno 1679. ex Matris utero prodiit infans, crucibus & pedibus, inter manus inplexis, idem menſibus aliquot vixerat veluti in globum actus. In *Biała* pago Palatinatûs Posnanienſis, natus eſt infans caput Vituli præferens: in pago *Trzcianka* ejusdem Palatinatus prodiit proles cum gemino capite, *Naramowski*

in Facie Rerum Sarmaticarum. In Suburbio Mariæburgensi, anno 1724. comparuit partus cum ore simili Leporino. Monstrum hoc, *in Collectaneis Naturæ & Medicinæ Vratislavienſibus*, fusiùs est descriptum. In Gedanensi Suburbio, Germ. Stadts-Grund, ex *Czepańska* muliere mortua exsecuit obstetrix, anno 1724. monstrum quasi bicorporeum fœminarum, capillatum, ab humeris umbilico tenus invicem coalitum, ab umbilici autem termino, utriusque gemelli abdomen, usque ad pubem distinguebatur separatum, capita duo, brachia quatuor, totidem pedes, &c. *Kulmus Medicus in Descriptione Anatomica Physiologica hujus fœtus monstrosi.* Infans natus anno 1725. mense Augusto, in pago *Gemlice* Prussiæ, cum ore, naso, & pede uno leporino. Præfato anno, in Civitate *Zotkiew* Palatinatûs Russiæ, infans spectatus cum digitis ad quadrantem ulnæ protensis, instructis unguibus accipitrinis, qui etiam digitos pedum fecêre horridos. In Podolia, anno 1726. monstrum à muliere editum cum grandi capite, cum dentibus, cum manibus in tergo & cauda, quod vix in lucem prodiit, bis sono dentibus edito, vivere desiit. Extra Urbem Gedanensem puella vixit ferens os Leporis, & dentes prominentes. In Veteri Civitate Gedanensi, anno 1726. die 11. Novembris, progeneratus puer monstrosus, miseram vitam protraxit, per dimidium annum, solis alimentis liquidis, pultaceis, lacte & saccharo temperatis adjutus, nam nec ubera matris sugere, nec cibos validiores deglutire valuerat. In ejus facie labrum superius largo hiatu sub naso, ad pollicis fere latitudinem, conspiciebatur distentum. Non solùm autem pars illa labii superioris media, sed etiam similis moles maxillæ superioris ibidem deficiebat, quæ partes labii, æquè ac dictæ maxillæ extremo orbiculo nasi firmiter adhærebant, reliqua autem corporis membra optimè erant constituta. Postea anno 1727. Majo mense, inveniebatur in ejusdem pueri jam demortui palato duplex fissura, à naribus usque ad fauces protensa, ita ut ibidem in summitate palati fornix non cohæreret, sed per istas rimas, canalis narium inter-

internus septo longitudinali distinctus, & in fauces hians optimè pateret, uvula faucibus adhærente, pariter in duas partes divisa, quæ palati fissuræ deglubitionem ciborum omninò difficilem reddiderunt. Postquam deinde de tuberculo illo insolito apici nasi affixo cutis & gingiva detraherentur, prodibant duo dentes mandibulæ anteriores, incisores dicti, qui adhuc in ipso sceleto conspiciuntur, & luculenter demonstrant, prædictum tuberculum nihil aliud esse, quàm partem maxillæ superioris avulsam, & illico præternaturaliter collocatam. Reliquæ partes corporis, & viscera interna erant planè naturali modo conformata. Quæsivit ex matre, *Sagacissimus Kulmus Medicinæ Doctor, ejusdemque Professor*, qui Anatomicô cultrô hoc monstrum subjecit, mihique descripsit, an imaginatio quædam valida ipsi non obvenerit, dum esset gravida, quæ ad oris hujus malam conformationem aliquid conferre potuerit, illa respondit, quòd in statu gravido, Silurum piscem, Germ. Welß, ejusque os orbiculare, sub rostro acuminato existens, defixis oculis solitò attentiùs fuerit contemplata. Sceleton pueri monstrosi hujus *in Musæo Kleiniano* asservatur. Mariæburgi, an. 1729. militis uxor edidit puellam cæcam, cum dentibus duobus superioribus incisoriis. Ad Gedanum, *in Monte* Stolzenberg, anno 1730. uterum Matris deseruit puella cum capillis nigris in capite, ad medietatem indicis, longis. E plebe homini, nervus opticus, unà cum tunicis, adeò est elongatus, ut oculus de loco suo remotus ad barbam consederit. Miserè vitam agit, movere quidem rorantem oculum potest, nihil tamen (quod non est mirum) ope ejus videt, nullos ex tumore dolores sentit, multùm tamen incommodi ad nasum patitur. Monstris annumerari potest puella *Sonczum* versùs in sylvis capta, quæ, ut fert traditio, Ursam ubique secuta, mores ferinos didicerat. Circumfert fama, quòd in Alba Russia, ex confiniis sylvaticis Moschoviæ, interdum præter viros sylvestres, mulieres hirsutæ, mammosæ enormiter, vulgò *Rosolki* dictæ (si spectra non sunt) ad Præfecturam

fecturam ſive Capitaneatum Czerscenſem veniunt, inſtar pullorum gallinaceorum pipiunt, pro cibo, melle in arboribus elaborato utuntur, villanos intrantes ſylvas, veneficiis impetunt, ut ad ſe alliciant.

III. MONSTRA BELLUINA. In Gedanenſi Suburbio Lang-Gart, anno 1576. viſus eſt Vitulus, cum duobus capitibus. *Leo in Hiſtoria Pruſſiæ.* In Plocenſi Palatinatu, anno 1685. Martio menſe, prodiit Vitulus biceps, prope pedes, oculos ſtrabos ſeu obliquos gerens, eosque horridos. *Kowalicki in Socio Concionatorio.* Pullus equinus apparuit cum uno dente in Volhinia. Ibidem Equus cum oblongis myſtacibus erat ſpectaculô. Ibidem in pago *Pluzne* Equus, in Oppido *Kamień Koßyrski* Canis, à natura caſtratus exhibebatur. Bos adductus Lublinum ex Ukraina habens inter duo conſueta, inflexa cornua, tertium cornu rectum. Hic minore curſu, qui *sztap* vernaculè, certare cum Equo potuerat. Vicus *Charatonowe Młyny* Jaroslaviam versùs ſpectavit Vitulum bicipitem, habentem in uno collo pedes octo. Pagus *Branice* Palatinatûs Cracovienſis, Arietem cornibus duobus recurvis, quatuor rectis enatis ex radicibus ſeparatis oneratum exhibuerat. In Hela Peninſula Gedanenſi, aliquot Oves ſpectatæ cum quatuor cornibus. Ex armentis pagi *Polaßki* Palatinatûs Pomeraniæ, Vacca edidit fætum cum capite & cauda Lucii piscis, Vitulum corpus referebat, ſed pedibus deſtitutum. Oppidum *Zduny* Palatinatûs Caliſſienſis, inter numeroſas oves, aluit unam, quæ prolem monſtroſam peperit, nam dimidia parte Agnellum, dimidia altera Leporem, cum uno pede canino. Sylvæ Polonæ Poleſiæ Dorcadem ſeu Capreolum marem cum cornibus tribus; Volhinenſia tesqua Dorcades fæminas cornutas aliquot, ſaltus Palatinatûs Kiovienſis Dorcadem ſex proles inſolitè ferentem utero, venari doctis obtulerant. Cornutæ Capreæ quòd dentur, etiam *Ephemerides Medico-Phyſicæ Germanicæ ex Claudero* faciunt mentionem. Cornua leporina *à Beslero in Gazophylacio Rerum Naturalium* ſunt depicta. Prope *Bukowiec* villam

villam Palatinatûs Pomeraniæ, captus est Lepus cum pedibus duobus anterioribus, posterioribus quatuor. Aper prostratus est in Volhinia, prope Bugum fluvium, ejus dentes duo exerti, in circulos intorti fuerant, hi unà cum capite servati ad spectaculum. Fætus Porcæ in pago *Skrzeßewo* Palatinatûs Pomeraniæ aliquot capita, & caudas, pedes plures quàm quatuor traditur habuisse. Lublini Porcelli aliquot cum caninis pedibus objecti multorum aspectui. In Lituania, Canis caudam lupinæ caudæ similem tulit. Ad rus *Daleiow* Palatinatûs Russiæ, Serpens biceps occisus.

IV. MONSTRA VOLATILIA, AQUATILIA, VEGETABILIA. Aquila Javoroviæ alita, præter geminos pedes ad ambulandum expeditos, alis tegebat alios duos, illisque escam sibi porrectam sustinebat. Palumbus major seu torquatus, quadrupes est plumbeô globô trajectus, inter *Polaßki* & *Orle* pagos Palatinatûs Pomeraniæ. Anser ex pago Prussiæ *Rexin*, cum tribus pedibus, ad Urbem Gedanensem delatus, tempore nundinarum. Anser Pelplini cum pedibus quatuor servabatur. Gallinæ ovum cum duobus vitellis *Ciepielsci* in Prussia, anno 1728. conspectum. Ova Gallinacea figurata, seu in putamine repræsentantia Matrem & Infantem, Stellam, Cometam, cruces, virgas, acinaces, *Bruckmann in Epistola Itineraria VI.* describit, deducitque omnes præfatas figuras ad visum, phantasiam, imaginationem Gallinarum. Tunc temporis, inquit, Gallina imprægnata aspexit mulierem gestantem infantem, phantasiæ impressit, ovumque edidit tale. Tractans *Brandius in Disputatione de Ovo Cometico*, ponit similia: dum Cometa magnus sistebatur Romæ, à Gallina aspectu Cometæ territa positum est illud ovum, ex quo apparet non humano embryoni solùm, à terrore, aliisque affectibus varios imprimi posse nævos, sed irrationalia quoque animalia, ejusmodi affectibus esse subjecta. In pago vicino Posnaniæ ostendebatur Anseris ovum figurâ viri armati, lunæ, stellæ, &c. insignitum, sed visô illô, alii ad naturam pictricem, alii ad artem referebant hoc opus, propter

notarum pluralitatem, in uno cortice. Ovum Gallinæ Columbino æquale inventum est in ovo, ad Schottlandiam, in fundo Urbis Gedanensis, anno 1732. In *Pripec* fluvio non procul *à Mozyr* Urbe, captus est piscis monoculus seu altero oculo orbus. Carpio plus quàm ulnaris ex lacu proximo villæ *Sumin* Palatinatûs Pomeraniæ, an. 1726. à Lutra captus extractusque ad glaciei superficiem, tulit ponè caput protuberantiam osseæ duritiei, alabastro assimilem, mole æquantem pugnum, pondere libram, quæ Pelplinum delata, sagacibus naturæ indagatoribus præsentata Gedani. Mariæburgi, anno 1671. malum citrium in medio dissectum, non solùm simile planè pomum citrium, omni cute & colore perfectum, sed intrinsecè semine plenum, à parte superiori adhuc novum germen, quasi tertium pomum constituens visum. *Ephemerides Physico-Medicæ Germ. Naturæ Curiosorum.* Fungus pulverulentus *J. Bauhini*, Crepitus Lupi *Tragi*, Bovista *Dillenii*, Germ. Bovist, Pol. *Purchawka*, *Prochowka*, an. 1726. in Varsavienſi horto suburbano, Palatio Pacienſi adjuncto, superabat extensione sua & peripheriâ maximum caput Bovis, immò Elephantis fere æquabat, tubere duplici emergebat ex terra, in quam duas vel tres distinctiones profundas satis, instar radicum, exporrexerat. Ob spectaculi raritatem *Sereniſſimo Regi* præsentabatur, omnes, qui viderant, obstupescebant, ad ejus magnitudinem. *Erndtel in Viridario Varsavienſi.* Etiam ligna, quæ à communi figura & forma deflectunt, monstrosa vocantur. In Volhiniæ Sylvis distantibus Luceoriâ milliaribus aliquot, ramus enatus è Pinu referebat hominis manum exporrectam.

V. FAMES ingens premebat populum, anno 1601. in Magno Ducatu Lituaniæ. Tanta exstitit in toto fere Poloniæ Regno frumenti penuria, an. 1630. ut homines pro sui sustentatione, non modò herbas hortenses, sed etiam agrestes, & ea, quæ jumentis ad victum sunt ordinata, in cibum admitterent, ideoque vultus, prædura fame adeò fuerant macilenti, ut mortuis potiùs, quàm vivis similes viderentur.

rentur. Ex horum numero plures, nulla alia urgente infirmitate, ſed ſola fame ſunt enecti. Per Volhiniam, & Roxolaniam fames extendebatur, an. 1698. famelicorum mendicantium numerus ingens, partim argillâ albâ aquis ſubactâ, partim virgultis, urticis, herbis viliſſimis ſuſtentaverat vitam. Subſecutæ, ex corruptione, viscerum infirmitates variæ, & mortes. Fami apponitur inedia diuturna. Refert *Sinapius in Paradoxis Medicis,* ſe vidiſſe Polonos milites, unò vel alterò granò piperis deglutitò, & hauſtâ cereviſiâ ſemel, triduo famem bene tolerâſſe. Incola *Krakowiec* Oppidi Ruſſiæ Palatinatûs, venit Leopolim, ibique fere octo hebdomadarum ſpatiò, omni alimento abſtinuit, tandem gravibus minis à Magnate adactus ad eſum, mox defluente aquoſa materia, ſanitati eſt reſtitutus. Exempla exotica longæ inediæ à *Schurigio in Chylologia* adducuntur. Quâ ratione homo ultra octo aut novem dies, ſinè cibo vivere poſſit, quæſtio inſtituitur. Multi rejecerunt cauſam in abundantem pituitam, & crudum ſuccum collectum in corpore, cum naturali caloris debilitate, cujus ratione, crudus ille humor magis in dies multiplicatur, qui, cum ob debilitatem caloris nativi abſumi non poſſit, tanto tempore, ad nutriendum hominem ſufficere videtur. Et ſi ordinarium eſt in aliquibus animalibus, ſinè cibo hiemem totam agere, an non extraordinaria quadam humorum alteratione fieri poſſit, ut humidum in homine ad eam veniat diſpoſitionem, ut calori ſerviat in alimentum, ipſum tamen non deficiat, quemadmodum in Alaudis, Hirundinibus, & aliis avibus, contingit. Etiam *Delrio* cenſet humiditate cerebri, & materiâ pituitosâ è capite in ventriculum defluâ, poſſe longo tempore inediam ſuſtineri.

VI. PESTIS anno 1308. à die Omnium Sanctorum, ad Aſcenſionem Domini, anno ſequenti, adeò ſæviit in Pruſſia, ut magis famatarum perſonarum famulis, pueris, atque ruricolis non numeratis, 18000. perierint. Ex Crucigeris Fratribus obierunt 112. ex domeſticorum familia 2000.

Leo in Hiſtoria Pruſſiæ. Per hiemem, quæ tepidior fuit, ānno 1350. intrà muros Gedanenſes 13000. Torunii 4300. Elbingæ 7000. hominum abſumpta ſunt venenô peſtilentiæ. *Idem ibidem.* Tantam cladem intulit vis peſtilentiæ, anno 1363. ut Torunium, Neumarca, Graudentum, & aliæ Urbes, quaſi deſertæ haberentur. *Idem ibidem.* Non ſolùm in Civitatibus majoribus, ſed etiam minoribus Pruſſiæ, anno 1600. peſtis è vivorum numero ſuſtulit multa millia hominum. *Idem ibidem.* In univerſa fere Oppida Pruſſiæ, anno 1618. peſtilentiæ rabies verſa. *Idem ibidem.* In Volhinia, & alibi contagio ſæva graſſata 1638. anno. *Kwiatkiewicz in Vita Annæ Aloyſiæ Ducissæ Oſtrogienſis.* Funera numeroſa in Emporio Pruſſiæ, *à Schelwigio in Brevi Hiſtoria Peſtium Gedani ſævientium*, Chronologicè ſunt ad elenchum deducta, à me ſic reducta ad compendium: ab anno 1352. ad annum incluſivè 1709. Gedani peſtis graſſabatur vicibus viginti tribus. Anno 1352. exſtincta ſunt 13000. hominum. Anno 1464. tumulata 20000. Anno 1549. plus quàm 20000. è vivorum numero exceſſerunt. An. 1564. adſcripta cætui mortuorum 24000. ſecundùm computum aliorum 33885. An. 1602. oppetiêre mortem 16723. Anno 1620. ſublata è vivis 12000. Anno 1624. exceſſêre è vivorum conſortio 10536. Anno 1653. ad finem mortalitatis pervenêre 11116. Anno 1647. ceſſêre fatô 7569. Anno 1660. & ſequenti deceſſêre 5515. Anno 1708. confecêre extremum diem 2065. Anno 1709. intra mœnia ejusdem Urbis, & in Suburbiis jurisdictioni ſubjectis emortua 24533. Si autem revocentur ad calculum defuncti Stoltzenbergi, Schottlandiæ, ad Ædes SS. Angelorum, ad Montem arenoſum, conſtituent 32353. Anno 1730. Bari in Ukraina, infectiva clades graſſabatur.

VII. PLICA, Germ. Wichtel-Zopff, Mochren-Zopff, Polon. *Koltun*, eſt pilorum præſertim capitis confuſa complicatio aut intricatio, partim ex contagio, partim ex hereditate nata, & per ſpecificum quoddam inquinamentum producta, cujus natura in ſalino ſulphureo, acri, fermentifico, &

Tri-

Trichade, Miasmate videtur consistere, quod natura ut noxiam materiam, non ad alia corporis emunctoria, sed per capillorum loculamenta sola, ordinariô modô expellit. *Erndtel in Varsavia Physicè Illustrata.* Idem author ibidem, opinionem de origine Plicæ ex aquis, per terræ pinguedinem vel oleositatem inquinatas rejicit, nam in Italia, præcipuè in Neapolitano agro, prope Puteolos, & Vesuvium, longè copiosiores & frequentiores aquæ dantur, pinguedine, & sulfure imbutæ, Plica tamen ibi cernitur fere nulla. Dividitur Plica à quibusdam in marem & fæminam, hæc totum caput cingit, & villosum quasi pileum repræsentat, estque summè pernicioſa, mas propendentes cirros exhibet, mitior est, & frequens occurrit. Capillorum complicatio in capite, *Koltun* nostratibus est, si autem inexplicabilis conglomeratio conjungitur cum vehementi cruciatu in venis, nervis, musculis, carne, ossibus, &c. *Gozdziec* vocatur. Idem morbus secundùm *Gehema Epistolam*, paralysi, arthritide, contracturis, colicâ, visûs imbecillitate, cæcitate stipatur; secundùm alios adeò durè afficit miseros, ut intolerabiles artuum, & ventris dolores, cephalæas pertinaciſſimas, & alia gravia mala habeat comites. Constat tamen quosdam, inquit *Boesius in Specim. Pathologico Therapautico de Plica*, ad ultimum terminum vitæ Plicas gestare citra incommodum. Citiùs recens, quàm inveterata curatur, hereditaria omnem excludere solet curationem. Tractat de Plica eadem *Sennertus Parte 3. Practicæ Medicinæ*, *Minadeus*, *Plempius*, *Schultz*, *Sinapius in Paradoxis Medicis*, *Stabel in Dissertatione Halæ publicata.* Nobilis *Petrus Niezmierski* sexagenarius in Russia Alba habuit Plicam, instar pilosæ pyramidis cirratam. *Plembius in Trichomate*, qui Plica vocatur. Novimus quendam Virum Illustrem in Masovia Plociæ correptum Plicâ, hic nec æstate, neque in calido sudat, hieme, & in frigido fundit sudorem copiosissimum atque frigidissimum, & per hoc suum levari experitur malum. *Tylkowski Physicæ Curiosæ Parte* 10. In Plica Illustris Fæminæ Polonæ, dum præcideretur, corpuscula sulfurea, flava plu-

rima inveniebantur, quæ incensa sulfur redolebant, cum fætoris alieni admixto odore. *Ephemerides Medico Physicæ Germ. Naturæ Curiosorum.* In Cassubia, per umbilicum Viri Nobilis, prodibat plica tenuis, ad aliquot ulnas protensa, retrorsùmque redibat. Persona fæminei sexus manens in pago *Niegniwicze* distante milliaribus duobus à Civitate *Nowogrodek* Magni Ducatus Lituaniæ, tulit Plicam, ab anno decimo octavo ætatis, excrescentem ad cubitos Polonicos quatuor. Erat semper misera, macilenta, symptomatibus variis afflicta, spatiô annorum quinquaginta duorum, nunquam potu aliquo forti est usa, sed aquâ purâ, pane crasso, oleribus, frigoris patientissima, calorem, ignem, immò nec candelam ardentem est passa. Reclinatorium suum nonnisi bis in anno mutabat, tempore nimirùm hiemali & verno, quô ad locum non facilè à calore penetratum deportabatur. Mortua plus quàm septuagenaria, anno 1728. dispositа ad æternitatem à Sacerdote Religioso, qui hæc omnia mihi retulerat. De eadem Fæmina, in ditione *Principis Radziwilii*, *Commercium Literarium in Hebdomada I. anni* 1733. habet sequentia: Plicam hanc per quinquaginta annos gestavit, ac per totum fere illud tempus, dolore arthritico, & contracturis, tandemque maramo universali corporis afflicta, lecto affixa fuit, tandemque senio confecta, anno ætatis 78. diem suum obiit. Personam istam adhuc viventem non tantùm vidit, & ad vivum depingere curavit, sed ipsam plicam post obitum resectam secum Wittenbergam attulit *C. D. Flouricke dicti Principis Medicus.* Erat autem Plica quatuor ulnas longa, palmum lata, duos pollices crassa, sed altero tanto longior foret, ipso referente, nisi magna ejus pars, temporis, quô ipsa decubuit diuturnitate, squallore, & attritu, consumpta fuisset. Mulier sexagenaria, inops rerum, incola Urbis *Wschowa*, in Majori Polonia, gerebat Plicam supra caput convolutam, quæ dum extendebatur, ad mensuram ulnarum quinque pertingere tradebatur. In Volhinia Infanti unius anni Plica est abscissa. Contra malignitatem Plicæ remedia simplicia plura

præ-

præscribuntur. Muscus terrestris adeò in hoc morbo curando laudatur, ut ex illo paratis remediis, in Polonia, nihil ferme frequentiùs usurpetur, & hinc ille vocatur Plicaria, Officinis. Pes Leonis, vernaculâ linguâ *Łapa Niedźwiedźia, Wilcza ſtopa, Babi mur, Pas S. Jana.* Testatur *Bernitz*, Leopoli quendam Presbyterum Græcum ipsi affirmasse quasi juramentô, se, mediante decocto ex Musco terrestri plus quàm centum personas utriusque sexus curâsse: narravisse etiam omnes plantas scandentes, instar Convolvuli, & signaturam capillorum habentes, ut Hederam, Bryoniam, Salsaparillam, Convolvulum, &c. hoc morbo laborantibus prodesse. *Winclerus in Dissertatione Medica de Plica.* Herinaceus sive Echinus terrestris, Pol. *Jeż*, in olla nova ambustus ad cinerem, tritus in pollinem cibo vel potui misceatur, in quantitate modica. Idem Echinus exutus aculeis, exenteratus, coctus, detur aliquoties unà cum jusculo, ægroto pro ferculo. Ciconiæ adipe si caput sæpiùs inungatur, decidunt Plicæ. Intestina Lutræ, ita si extendantur, ut una pars non tangat alteram, deducta exsiccentur bene ad fornacem succensam, rediguntur in pulverem immiscendum modicè ferculis quotidianis. Plicæ medendi methodum, præter alios, *Erndtel in Varsavia Physicè Illustrata* præscribit. Regnum Poloniæ universum non afficitur leprâ, quæ per regiones plures vagatur alibi.

VIII. VER cum Æstate, anno 1427. in Prussia, siccissimum, nam à Paschate, usque ad diem S. Laurentii, non pluebat. *Leo in Historia Prussiæ.* Vernum tempus, an. 1558. ardores Solis (*asserente Hennebergero*) expertum in Prussia. Majus, anno 1721. erat perfrigidus & pluviosus, ad diem 9. Junii in Volhinia. Per menses quinque vernos atque æstivos, an. 1718. maxima siccitate Podolia afflictabatur. Ver & pars Æstatis, sinè pluviis, anno 1726. messem exiguam tulit, eamque sole adustam per omnes fere Regni Provincias. Hordei atque Avenæ satus primò arefactus è terra tardissimè prodiit, madefactus postea nimiùm ad decursum Æstatis, diebus Septembris ultimis, & Octobris primis, ad maturitatem

tem vix pervenit, aristas ferendo vacuas, in agris plurimis Prussiæ. Ver frigidum in Prussia, & alibi, anno 1729. ad diem 24. Maji, cujus mensis diebus nonnisi ultimis exhilaratæ floribus arbores. Anno 1731. ipsis Pentecostes diebus, id est 13. Maji & sequentibus, apud Lituanos Vilnenses, nivium, intermixtis grandinibus & pluviis, magna copia cecidit, frigusque tantum successit, ut hiems redintegrari videretur. *Commercii Literarii Semestre Posterius.* Anno 1733. Gedani in Prussia, & alibi, Majus fere totus frigidissimus, etiam non sinè nive, quæ 12. die Mensis ejusdem, & sequentibus aliis decidebat non modicè, in Cassubiæ locis aliquibus eminebat ad semiulnam.

IX. ÆSTAS anni 1728: sinè pluviis ademerat aquas multis lacubus, stagnis, piscinis, puteis, etiam aliquibus minoribus fluviis & fontibus in Prussia, aliisque Regni Provinciis. Cum maxima difficultate advectâ aquâ reficiebantur pecora, vel ut potum haberent, milliare conficere cogebantur. Etiam sequenti hieme, regiones eædem penuriâ aquæ sic laborabant, ut nives in lebetibus, igne suppositò, liquari debuerint, in locis plurimis, ad culinæ usum, & pecudum aquationem.

X. AUTUMNUS, anno 1505. inter Festa S. Michaelis, & S. Martini, fecit florere, fructumque proferre Pyrum sitam prope vallum Urbis Gedanensis & Templum SSS. Trinitati dicatum. *Ex Hist. Curiosis Civitatis præfatæ Germanicè impressis.* Anno 1721. Septembri mense, Ravicii ornatæ floribus Cerasi, eodem tempore fraga eruperant. *Collectanea Naturæ Vratislavienſia.* Anno 1729. diebus Decembris, in Podolia, vernalis calor homines exhilarabat. Sæpius in Novembri, circa diem S. Martino Episcopo dicatam, placidum, serenum cælum, gratus calor autumnale tempus commendat, quòd *Marcinkowe Latko* idiomate patrio vulgò est appellatum. Econtra contigit anno 1689. die præfati Antistitis, ut Gedani in Prussia, gelu intensum hominum nasos occuparet.

XI.

XI. HYEMS MITIS, anno 1225. in Decembri, Malum Perſicum floribus adornaverat. *Kwiatkiewicz in Annalibus Eccleſiaſticis.* Similis hyems, anno 1724. in Januario & Februario, flores ſylveſtres ſubcæruleos, aliorumque colorum apparere, apes avolare ad coryleta conceſſit in Palatinatu Volhinenſi. Eodem tempore, ſed maximè Februario menſe, in Palatinatu Ruſſiæ, cespites virentes, frutices in ſylvis gemmas protrudentes obſervati. HYEMS ASPERA adeò eſt in Curlandia, ut gelu ſæviente, tanto nonnunquam fragore trabes ædium dehiscant, acſi quis bombardarum ictus audiret. *Roſinus Lentilius in Memorabilibus Ducatûs ejusdem.* Idem contingit non rarò in Polonia, Ruſſia, Lituania, dum intenſa ſunt frigora. In Ukraina, quæ Poloniæ Provincia, frigus acerrimum eſt. *Ganſer in Tutrice Corporis humani.* Anno 1498. Turcæ Ruſſiam vaſtantes hiberna tempeſtate deleti. Periiſſe tunc eorum, ſupra quadraginta millia tradit *Sarnicki in Annal. Poloniæ,* multi poſtea reperti, qui interfectis equis, in eos exenteratos & adhuc calentes tunc ſe illatebraverant, ſed fruſtra, ſtatim enim calor artus deſerebat. In religionem hæc res ceſſit Turcis, ita ut ſibi perſuaderent, Polonam gentem, atque Ruſſiam divinitùs defendi, ideo quòd irati cæli nivibus operti fuiſſent. Hyems acris & tempeſtiva, anno 1631. die 5. Novembris inchoata in Poleſia Polona. Eadem die, dum Sacrificia peragerentur; quidquid fuit primò in calice vini, ſecundò ſpecierum, ter riguit glacie. *Ex M.SS.* Anno 1643. in Paſchali Solennitate, & poſt illam, vehementia frigoris Aves majores & minores necaverat, quæ Civitatibus & Oppidis in Pruſſia, & Cujavia ſunt illatæ in copia. *Zerneke in Chronicis Torunienſibus.* Anno 1709. Mare Balthicum quousque oculorum acies etiam armata penetrare potuerat, die 8. Aprilis glacie fuerat tectum. Lixivium cineribus clavellatis ad ſaturitatem ferme imbutum, àëri expoſitum, brevi tempore, convertebatur in glaciem. Tartari ſpiritus dephlegmatus eſt congelatus. Etſi homines peſſimè habuerit frigus, illud tamen Pruſſis & Po-

lonis, plùs beneficii, quàm maleficii apportavit, quòd peſtem contagioſam, quæ devaſtaverat Oppida, initiò ſedaverit, mox planè ſuſtulerit. *Thumigius in Conſideratione Phyſico-Mathematica Hiemis præfata.* Anno 1713. Novembris 7. gelu exortum, diebus quinque duravit in Volhinia, deinde ſucceſſit autumnalis temperies. Per Regnum Poloniæ univerſum, exterasque regiones remotiſſimas, anno 1726. hyems rigida, conſtans, fæcunda nivium, durans ad Martium medium, ſentiebatur. Eodem anno, in Novembri, circa Camenecum in Podolia, circa Chotimum in Valachia, propter nivium abundantiam, trahis itinera ſunt confecta. Anno 1728. hiems à die 25. Novembris, ad 1. Aprilis anni 1729. duravit in Pruſſia, & alibi in Regno, cum nivibus copioſis. De hac hyeme anni 1729. ejusque asperitate *Weidlerus in Diſſertatione*, habet ſequentia: in Mari Balthico glacies ſpiſſa obvia fuerat, Martio menſe medio. Quod Germaniæ, Galliæ, Angliæ fluvii glacie fuerint operti, in novis relationibus ſæpe commemoratum legimus. Gelu hominibus infeſtum erat, animalibus brutis non paucis attulit necem repentinam. Evaſêre periculum arbores robuſtiores, &c. Notandum hîc quòd ſub tempus hyemis rigidiſſimæ, fluvii glacie firma teguntur etiam illi, quibus ob celeritatem, quâ feruntur, mitior bruma parcit. Addo, ſuperſtando inſtrumentis ferreis utrique pedi alligatis, quæ German. Schritt-Schue, Pol. Łyże, unus in Pruſſia tam veloci curſu ferebatur per nudam glaciem (publica fama id proclamat) ut ſponſione facta cum altero Elbingæ, aſſaturam bubulam ex veru arreptam Gedanô intulerit adhuc tepentem, durante non modico frigore. Alter Regiomonti panem extractum de furno, per Habum & Viſtulam conglaciatum, nivibus non coopertum celerrimè properans Gedanenſibus præſentavit nonnihil calentem. Hyeme iter per nives concretas gelu, plurimis preſſas attritasque veſtigiis, celeritate magna conficitur, unius diei, quamvis tunc breviſſimæ decurſu, quindecim aut etiam plura milliara Germanica trahis ſuperantur.

tur. Sponſione contendens quidam, anno 1561. die 30. Januarii, horâ ſextâ matutinâ movit Gedanô Elbingam, eademque die, inter quartam & quintam horam pomeridianam rediit domum, confectis viginti milliaribus. *Libellus Memorabilium*, Regiomonti impreſſus.

PUNCTUM XII.

DE METEORIS IGNITIS, AQUEIS, AERIIS, TERREIS, SIMULACRIS INSOLITIS IN AERE, COMETIS, CHIMIA.

I.

METEORA ſeu Sublimia pendentia, ab *Ariſtotele*, primò Ignita poſita, qualia ſunt Flammæ, & Cometæ, ſecundò Aquea, qualia ſunt Pluviæ & Grandines, tertiò Terrea, qualia ſunt Terræ Motus, &c. Locus Meteororum *Fromondo in Meteorologicis*, eſt tota elementi àëris profunditas, quæ in tres regiones, infimam, mediam, & ſupremam ſolet diſtingui. Ver & Autumnus tempora ſunt Meteoris generandis aptiſſima, non tamen omninò deſunt Hiemi & Æſtati ſua Meteora, potiſſimùm ubi hæc tempora remiſerunt. Ignita Meteora conſtant exhalatione pingui & oleoſo vehementer attenuato, atque ideò volatico.

II. AURORA BOREA ſeu Lumen Boreale, Lumen Septentrionale Crepusculum Boreum, Germ. Nord-Licht,

Pol. *Swiatło Północne*, Borealem Cæli partem versùs plerumque conſpicitur, & Auroram nuntiam Solis orituri mentitur. A *Thormodo Torphæo in Grœnlandia Antiqua*, ita ruditer deſcribitur: in modum diffuſiſſimæ flammæ, procul ardentis Septentrionalis cæli concipitur, inque editiſſimi longiſſimique aggeris formam panditur, mox tanquam multæ Organi pneumatici fiſtulæ, in ictu oculi, ſurſum & deorſum feruntur. Opinionc *Thummigii in Inſtitutione Philoſophiæ*, inter Meteora ignita eminet, antea rariùs, hoc autem ævo ſæpiſſimè hæc Aurora eſt viſa. Arcus apparet latus, comprehendens ſegmentum valde obſcurum, in quo tamen Stellæ conſpiciuntur. Ex illo ſegmento evibrantur radii, per arcum celeriter ascendentes, iique admodùm lati, inſtar columnarum verticalium, nunc majori, nunc minori copia, & ipſum denique cælum, quaſi in flammas hinc inde ſerpentes conjicitur. Durat ſpectaculum vel per integram noctem, variantibus phænomenis. Materia Auroræ Borealis ad nos adfertur, ex Septentrionalibus locis, quam in Islandia, Norvegia, quaſi domeſticam eſſe conſtat. Idem phænomenon, *Kulmus Med. Doctor & Sagax Anatomicus, in Exercitatione Phyſica de Meteoris ignitis* tradit, quòd non ſemper ſub eisdem circumſtantiis, aut eâdem formâ, ſeſe conſpiciendum præbet, quandoque obſervantur arcus ſplendentes, horizonti inſiſtentes, adeò tenues, ut Stellæ transpareant, in quibus arcubus radii fulgidi, lati ac protenſi, inſtar columnarum verticalium, aut miſſilium ignitorum, copioſi, ſinè omni ſtrepitu, velociter ſurſum vibrantur, quandoque radii iſti, ex maſſis quibusdam diſtinctis, pari modo aſſurgunt. Exoritur hoc Meteoron ſemper nocturno, frigido, hiemali, rarò autumnali, aut vernali tempore, aliquando vesperi, ſæpe ſummo mane, frequenter per totam noctem durat, variato ſchemate. Oritur ex apparatu ad fulgura & tonitrua, multorum ſenſu. Cauſæ Auroræ Boreæ *à Werdries in Phyſica* ſunt expoſitæ. Exſtat *Laſcheri Commentatio Phyſica de Phænomeno Septentrionis Luminoſo, Mejeri Tractatus de Luce Boreali, Halley, Folkesi*

Volket; & aliorum Observationes Acta Eruditorum Lipsiæ impressa, continent. In *Weideleri Commentatione*, præcipuæ authorum sententiæ de causis Auroræ istius adducuntur, opinio propria explicatur, historia brevis Luminum Borealium ante observatorum exhibetur, ex quo patet phænomenon hoc etiam sæculis præterlapsis, & antiquis temporibus subinde observatum, & ab Historicis annotatum esse, quamvis sub diversis nominibus, donec *à Gassendi* temporibus, nomen Auroræ Borealis invaluit. Anno 1716. Martii 17. circa horam nonam vespertinam, Aurora Borea illuxit Prussiæ, visa Gedani & alibi. Anno 1721. die 1. Martii, idem Lumen apparuit Gedano, & locis aliis, descriptum *à Kulmo*, atque in figuris octo mutationum, oculis lectorum subjectum. Idem Meteorum, *in Collectaneis Naturæ & Medicinæ Pratislaviensibus* exponitur. Anno 1726. nocte diem Octobris 4. & diem 20. ejusdem mensis antecedente, Lumen Septentrionale Urbibus Prussiæ objectum, per horas plures. Anno 1727. noctu, ante diem 15. Martii, ab hora nona, fere ad quartam, in Septentrione, flammæ ad spatium longum protensæ, & quasi è Mari verticaliter erumpentes cum magno impetu Auroram claram expressêre. Anno 1728. Lumen simile, sed non diuturnum, in Cassubia effulsisse est observatum ab incolis *Lipkowo* pagi, ad Zarnovecum. An. 1729. ante diem 17. Novembris, à nocturna hora duodecima, ad quartam, Aurora Borea spectata Gedani &c. Berolini vesperi arsit, & per noctem totam; *à Kirch* est descripta. Anno 1730. Februarii 15. à septima hora vespertina, fere ad matutinam quartam, multùm protensum & latum Septentrionale Lumen projiciebat ignes, spectanti populo in Prussia, Coneci, Varsaviæ, Posnaniæ, ast non eodem tempore, nec æqualiter longo. Anno 1731. in Octobri, nocturnis horis, ante diem S. Francisco Assisinati dicatam, simile Lumen Boreale primò refulsit, secundò & tertiò, intrà hebdomadam, flammas sparsit, nec sequenti hebdomada latuit. Anno 1732. nocte præcedante diem 6. Octobris, per horas

circiter três, apparuêre præfati Ignes Boreales, ſpectatique ſunt in Carthuſia diſtante quatuor milliaribus Gedanô. CAPRA SALTANS eſt meteorum ignitum, figurâ & ſubſultu ſimilitudinem habens veræ Capræ ſaltantis. Anno 1681. Capræ Saltantes viſæ in Pruſſia. CASTOR & POLLUX vocantur Meteora ignita, quæ in mari circa navigia præſertim viſuntur, eorum velis, antennis, funibus adhærentia, propter materiam levem, ſed glutinoſam, ex qua conſtant. Si unum tale ſpectatur Meteorum, vocatur HELENA, ex vana obſervatione nautarum, portendens naufragium. Superſtitioni fecit occaſionem Helena exitium patriæ, Caſtorem & Pollucem Gentiles navigationis proſperæ Deos conſtituebant. CHASMA ſeu Hiatus, Vorago eſt *Reinzero in Meteorologia*, exhibens ſpeciem aperientis ſe & dehiscentis cæli, quod tunc contingit, dum ſerena nocte exhalationes multæ ſive vapores in ſublimi, in medio quidem denſiores, in orbem verò rariores, inter lumen aſtrorum, & noſtrum aspectum conſtituuntur, ſimilitudinem foveæ exhibentes, quæ ſi magna ſit, Vorago dicitur, ſi parva, Hiatus. Anno 1589. & 1687. Chasmata in Pruſſia, alibi, temporibus aliis apparuerant. COLUMNA ARDENS eſt Meteorum ignitum, figuram columnæ referens. Anno 1665. Julii 9. Columnæ duæ grandes flammas ſpargentes, inter pluvias crebras, nonnihil ſereno cælo, ſub meridiem, ſe exhibuerunt, ac ſemihoræ ſpatiô, in unum coalescentes, velut bicorne vexillum aliquod effecerunt. *Kochowski Annalium Pol. Climacti. 3. lib. 4.* Anno 1723. die 9. Martii, ante ortum ſolis, Columna viſa Oſtrogii, in Volhinia. Anno 1726. in Pervigilio Nativitatis Domini, poſt horam octavam vespertinam, Urbi Cracovienſi objecit ſe videndam Columna ignita, unà cum nubibus quaſi accenſis, inter Septentrionem & Orientem. Idem Meteorum poſt unam, & dimidiam horam in cruces abiiſſe tulit fama. Eodem anno, die Octobris 19. horâ ſeptimâ vespertinâ, Civitati Varſavienſi illuxit Meteorum ſpeciem Columnæ ardentis repræſentans, cum tonitru-

um

um ſonitu, quaſi ex illa prodeuntium, duravit aliquot horis id ſpectaculum. Anno 1730. Novembris 2. in Podolia, Columnæ lucidæ ſe præſentârunt. Anno eodem, Novembris 28. Jaroslaviæ, Columna exhibita fere integrâ horâ. Eodem anno & menſe, Zamoſtii Columnæ primò albidæ, ſecundò rubeæ oculis hominum ſe ſtatuerunt. CORONA ſeu Halo, Halyſis, Area, eſt *P. Dechales* circulus coloratus, & ſæpe albens circa Solem, & Lunam conſpectus. Aliis eſt fascia circularis, quæ integro, interdum dimidiato circuitu, circa Solem potiſſimùm, & Lunam diſpoſita. Circulus iſte exprimitur in àëre, incidentia luminis ab aſtro in vaporem, & pro ejus diſpoſitione varios acquirit colores. De Corona fusè tractat *Fromondus in Meteorologicis*, poſt Iridem, nam non pertinet ad elenchum Meteororum ignitorum. Anno 1723. Graudenti obſervatus eſt Halo ingens circa Lunam. Anno 1724. Halo Solem circumdans ibidem conſpectus. Anno 1725. die 5. Maji, ante meridiem, viſi in Schottlandia prope Gedanum circuli duo circa Solem, ex quibus primus nonnihil erat coloratus, ſecundus albescens priorem ſecans. Poſt horas aliquot, audita ſunt tonitrua, prima vice, deinde decidit pluvia. Anno 1728. die 18. Octobris, circa horam octavam noctis, claritatis magnæ, inſtar Circuli igniti, Meteorum effulſit Cameneci in Podolia, intrà ſe continens aliquid inſtar torris, hoc ante pagum *Nadłożek*, quarta parte milliaris ab Urbe diſtantem, cum ſummo fragore, quaſi tormenti bellici, exſtinctum eſt. Secutus immediatè tremor Camenecenſium petrarum, & terræ vicinioris. DRACO VOLANS, *Paracelſo* ridiculè eſt animal igneum natum ex elemento ignis, ad veritatem accedenti *Reinzero in Meteorologia*, eſt halitus calidus non admodùm coagulatus, & denſus, qui dum in ſublime fertur, occurſu frigidæ nubis repercutitur, & vel motu, vel antiperiſtaſi accenditur. Quia verò percuſſu nubis occurrentis in medio curvatur, fit ut Draconis ventrem repræſentet, & quia rariores partes, ob repulſam factam, diffunduntur ad latera, alarum ſpeciem effingunt: cui

cui accedit, quòd aliquando anterior pars ſubtiliori flamma conſtans, ſcintillas velut ore irato vomere, atque ita omnem Draconis imaginem abſolvere videtur. Quæritur quid portendat hoc Meteoron? reſpondet *Fromondus*, Dracones volantes ſigna eſſe peſtilentiæ & morborum, quia àërem multis exhalationibus infectum eſſe oportet, ut tantæ molis Meteora generentur. Anno 1687. Draco volans apparuit Pruſſiæ. Anno 1728. die 18. Septembris, Cameneci in Podolia, illuxit Draco volans, qui à plebe Vipera vocabatur, de eo, inſtar pyrobolorum, flammæ erumpebant, dum autem disrumperetur, ſonitus editus maximus. Narrat de Dracone eodem *Buchner in Miscellaneis Phyſico - Medico - Mathematicis*, quòd viſus eſt per quadrantem, flammas in copia magna projiciens, duabus vicibus talem ſonitum edens, qualis ex tormento maximo exploſo auditur. FAX eſt, quando exhalatio multa in longum & latum diffuſa, propter ſubtilitatem ſuam, tota ſimul flammam concipit, idque ſæpe tam luculentam, ut diem repræſentet. GLADIUS eſt Meteorum formam gladii obtinens. Anno 1724. die 24. Martii, horâ nonâ vespertinâ, Ravicii in Majori Polonia, Gladii duo ſpectati in àëre. *Collectanea Naturæ & Medic. Academ. Curioſ. Vratislavienſium.* Anno 1730. Februarii 20. in Submontana Regione, Meteorum ardens, & Gladiis ſimile patuit. Eodem anno, Februarii 25. in Magno Ducatu Lituaniæ, horâ ſecundâ poſt mediam noctem, Meteorum igniferum è ſublimi deorſum ferebatur crescendo, figuras varias aſſumendo, tandem Gladium protrudentem flammas repræſentando. GLOBUS IGNITUS eſt Meteorum rotundum. Anno 1680. die 21. Decembris, horâ ſextâ poſt meridiem, Globi igniti duo decidentes tantam lucem intulerunt Urbi Gedanenſi, ut minimæ res videri potuerint, auditus eſt & ſonitus, tanquam à machina bellica propagatus per àërem. *Curieken in Deſcript. Urbis ejusdem.* Anno 1681. media nocte, poſt diem 13. Martii, ſupra Varſaviam viſus. Hujus figura & color fuerat talis, rotundus videbatur, diametri circiter ſesquipedalis,

ardens,

ardens, rubeus, caudam modicam vibrabat flexuosè deorsum, duravit spatiô tantô, ut satis considerari potuerit, motu leni ferebatur, & humili via, ut tantùm culmina altiora ædium non videretur radere. *Tylkowski Physicæ Curiosæ Parte* 9. Mirabilior præfato alter Globus spectatus, sed aliquot annis ante, in Prussia, ad littus Sinûs Venedici. Luna fuit plena, & lumine sereno radians, neque dum tempus somni hominibus ea nocte advenerat, cum subitò, quasi altera Luna plena, Globus de corpore Lunæ delabi cæpit, ut ipsa Luna, sed cum luce majori, descendere videretur ad terram, quod prodigium summo terrore spectatores implevit. *Idem ibidem.* Anno 1682. Lesnæ in Palatinatu Posnanienſi, & alibi, paulò post Solis occasum, cælô admodùm serenò, pila ingens ignita, pyroboli in morem accensa, duravit ad quadrantem horæ, cum fragore desiit. *Kirchmajerus in Admirandis Cæli, Terræque Phænomenis.* Anno 1683. Augusti 12. Hamburgi, Lipsiæ, Wittenbergæ, Jenæ, Dresdæ, Francofurti ad Mænum, Berolini, & in Poloniæ ac Marchiæ confiniis, Lampas ignea noctu visa, quæ motu progressivo, à Septentrione in Occasum, instar globi rotundi, descendens, & sonum stridulum alicubi relinquens, in modum fulguris dissiliit, radiosque ignitos cæruleos diffudit latiùs. *Ephemerides Medico-Physicæ Germanicæ.* Anno 1697. Majo mense, resplenduit Globus ignitus Schottlandiæ ad Gedanum. Anno 1721. die 1. Martii, insolita lux, eaque quasi Lunæ plenæ, ab undecima hora noctis, fere ad diluculum duravit Posnaniæ, totaque Urbs ardere iis videbatur, qui è longinquo eam spectaverant. Anno 1724. in Februario, circa horam octavam matutinam, turbo exortus, per fenestram excussam, in Arce Varsavienſi, impulit pulveres, & Globum ignitum, pugni magnitudine, qui flammam fætidam edidit simul cum fragore, bombardæ fulmineæ magnæ pari, fecitque surdescere personas tres in Cancellaria Regni. *Collectanea Naturæ & Medicinæ Curios. Vratislavienſium.* IGNES FATUI, nocturno tempore, non procul à terræ superficie, potissimùm ad loca paludosa, ad cæmeteria,

patibula, huc illuc moventur, & ſplendorem candelæ ſimilem repræſentant, dum àër tenebtoſus atque tranquillus eſt, in terra putrida, bituminoſa, ſulphurea; effluvia enim ibi multùm conferunt ad geneſim iſtorum ignium. Cuidam dum aliquando talem ignem arripere contigiſſet, materiam viscoſam, ſpermati ranarum ſimilem reperit. PYRAMIDES ARDENTES ſeu Ignes perpendiculares, ſunt Meteorum, quod latius eſt in baſi, ſurſum in conum abit. Anno 1721. Februarii 17. Samboriam versùs in Ruſſiæ Palatinatu, ignis Pyramidis formam expreſſerat. STELLA CADENS eſt exhalatio incenſa, è nube exploſa deorsùm, quæ imaginem habet Stellæ veræ cadentis. Scribit *Fromondus*, quòd magnam habet Meteorum hoc cognationem cum pyrobolis, & id genus ignibus artificialibus, niſi quod hos flamma levet in altum, Stellæ verò ardentes contra naturam, ac cum injuria ignis explodantur deorſum. Plures ſerenô cælô cadunt, quàm nubilô, quia textura nubium tunc tenuior, ac proinde faciliùs ab imbecilla Stellæ exlatione disrumpitur. STIPULÆ ARDENTES ſunt exhalatio rarior, & non bene compacta, longè latèque ſparſa & accenſa, quæ ſubinde relucet, ſubinde exſtinguitur, atque ſic ſtipularum in agris flagrantium ſpeciem exhibet. Anno 1686. Stipulæ ardentes, ſpectaculo fuêre in Pruſſia. TRABES ARDENTES ſeu Scintillæ, Lanceæ, Jacula, ſunt Meteorum, quod in longitudinem magis, quàm in latitudinem eſt extenſum, non transcurrens, ſed in eadem cæli parte commorans. Addit *Fromondus*, Trabs oblonga & jacens eſſe debet, ſi ſtet, Columna potiùs erit. Anno 1682. Trabes, in Pruſſia phænomenis aliis annumeratæ. TURRES ſunt Meteora formam turris h bentia. Anno 1724. Turris duravit aliquot horis *Konini* in Majori Polonia. VIRGÆ *Meurero in Meteorologia*, ſunt ſpecies quædam linearum in longum exporrectarum, quas Solis radii, in nube vicina, propter inæqualem ejus denſitatem oſtendunt. Vocantur etiam Columellæ, Lineæ perpendiculares, Funes tentorii, ſeu radii Solis protenſi, in modum funium,

funium, quando vapores nubium inæqualiter condensati, radios quosdam faciliùs, alios difficiliùs transmittunt. Non rarò in Provinciis nostris ejusmodi Virgæ elucent. Apponitur Meteoris ignitis quæstio, an thesauri seu pecuniæ diu sepultæ, naturaliter per ignem prodantur? respondet *Grim in Philosophia Scholast. Ethica*, Chimicorum unanimis est sententia, materiam proximam Metallorum omnium esse spiritus sulfureo-salino-mercuriales, dum ergo aurea, atque argentea gaza in arcto, diuturno carcere sepulta delitescit, & à circumambiente sive muro, sive gleba terrestri, omnis exspirandi facultas præpeditur, ac insuper in hac obsidione, nova accedit hostilitas, necessum est spiritus illos, per hanc antiperistasim in arctum constipari, atque ex unita virtute fortiores factos, intestinâ luctâ se mutuo divexare, donec tandem concepta flamma claustrum indignata in superas auras evolet nuntiatura quis in tenebroso terræ ergustulo captivus delitescat, ad pristinam ardenter anhelans libertatem.

III. FULMEN authoribus Meteorologiæ triplex est. Penetrans seu terebrans, valde subtile & flammeum, cui per angustissima effugium fit, ob puram flammæ tenuitatem, quale est, quod cadens super lignum non comburit ipsum, sed per poros ejus transit. Fulmen dissipans est exhalatio compacta firmiter, quæ proinde valido ictu disrumpit, disjicit tacta, absque combustione. Fulmen urens igneum magis, quàm flammeum est, notas ignis impressas relinquens, aut comburens, pro materiæ dispositione. Mutum fulmen dicitur, quod sine tonitru tacitè de cælo cadit, unde minùs violentum. Probabile existimant esse *Academiæ Parisiensis Scientiarum Sodales*, ignis fulminei è nubibus erumpentis, satis exiguam manere copiam, quæ mox in aëre inferiore, multùm materiæ consimilis, minus ordinatè dispositæ, tanquam opportunum pabulum offendens, pariter inflammat, & ob eam ipsam causam serpit, viâque obliquâ ac flexuosâ descendit. Plurima nova & curiosa *Richterus in Tractatu Physico de Natalibus Fulminum* narrat, adducitque *in Appendice*,

Maffei Marchionis Literas continentes Fulminum generationem non procul à terra, *Literas Abbatis Lioni* confirmantes *Maffei* opinionem, inductione Fulminis accensi in conclavi. Item *Literas Pagliarini* in eundem sensum recidentis, post visum Fulmen accensum, fragorem magnum auditum, in cella vinaria. Fulmina in loca nonnulla frequentiùs cadunt, quàm in alia, & hæc exhalationes copiosiores Fulminibus conficiendis emittunt, & retinent à ventis non disjectas. Et montibus cincti tractus patent crebris fulminibus, quia sunt clausi, nec ventis facilè pervii. Regiones montanæ feraces Metallorum, & Mineralium emittunt halitus, ad originem Fulminum concurrentes.

IV. PRODIGIOSI EFFECTUS FULMINUM exponuntur. Anno 1576. Maji 25. Fulmen horribilem sonitum edens, Cracoviæ in Templum *R.R. P.P. Franciscanorum* incidens, intactis tegulis, & fornice, Crucifixi imaginem contrivit, redegitque in nihilum, titulô, qui Cruci, de more, affixus erat, illæsô. In pago *Igołomia* Palatinatûs Cracoviensis Templum percussum fulmine uno, concepit flammam, post tempus breve, à fulmine altero impetente easdem Sacras Ædes, sopitum est ortum incendium, id est, exstincti ignibus ignes. Idem contigisse Torunii, in Templo S. Jacobi, fert à multis annis continuata traditio. Varsaviæ murum non dissipavit fulmen, sed terebravit lineâ rectâ ad ulnas quinque. Ovile non multùm dissitum Ravâ, (à qua Ravensis Palatinatus denominatur) afflatum fulmine servavit oves veteranas, juniores omnes inibi periêre. Anno 1725. in pago distante milliari uno à Gedanensi Civitate, Fulminis ictus occidit villanam mulierem, salvo infante gestato manibus. Anno 1726. in Aprili, prope Jaroslaviam, in agris villæ *Szczecinek*, equi duo aratro juncti exstincti vi Fulminis, moderator aratri, ad spatium longum projectus incolumis. In Leopolienſi Suburbio Fabrum murarium fulmen insignivit cruce à sinistra parte, Cupidinis caput decussit, aliô fabrô *in Palatio Ducissæ Dolscensis* interfectô. Anno

1720.

1720. ante Natalem Domini diem, audita tonitrua, fulgura visa in Livonia. Anno 1723. die 28. Decembris, auditus Fragor Fulminis, quem tonitrua magna sunt subsecuta. Anno 1726. mense Octobri, tonitrua crebra audita. FULGUR seu Fulgetra, est accensio exhalationis siccæ, calidæ & pinguis, causata ex allisione illius ad latera nubis, aut per antiperistasim. Fit aliquando sinè prævio tonitru, quando incidit in nubem valde tenuem, quæ illi non multùm resistit, & appellatur Coruscatio, si incidat in nubem resistentem, præcedit tonitru, priùs tamen videtur Fulgur, quàm Tonitru auditur, quia species visibiles Fulguris instantaneè producuntur, species audibiles soni successivè. In Regionibus nostris, Fulgetræ & Coruscationes spectantur noctu, non rarò duabus vel tribus, aut quatuor horis, sic luminosæ, ut libri lectio, scriptio possit institui. Anno 1725. Decembris die ultima, Coruscationes conspectæ vesperi. Anno 1726. Januarii 1. ante horam septimam matutinam, exhalatio magna accensa, Gedanô, Zarnovecô & aliis plurimis locis, semel illuxit, secuta eam hyems aspera, constans, & diuturna, æstas siccissima.

V. PLUVIA ad Meteora aquea spectans est triplex. Prima Stillicidium dicitur, descenditque per minutissimas guttas, secunda Imber, quæ decidit per guttas grandiores, tertia Nimbus, quæ guttis maximis, eisque frequentissimis delabitur. Nubifragium vocatur, si nubes non sensim, & per guttas resolvatur, sed repentino imbre defluat, quo integras repente Urbes occupatas, homines, jumenta, domos mersas esse, quævis ætas spectaverat. Celebritatem Canonizationis D. Stanislai Episcopi Cracovienſis, annô unô, præcessit tanta in Aprili, per totam ferè Poloniam inundatio, ut campi, sylvæque navigabiles essent. *Cromerus Hist. Pol. lib. 9.* Anno 1394. propter diuturnam frequentiam imbrium, segetes in agris computruerant. *Schultz in Historia Rerum Prussicarum.* Anno 1608. Æstas madidissima erat, pluvia cadere cæpit, circa Augusti Mensis initium, & per tres dies, ac noctes, nec

quadrante horæ, ceſſavit. Hac intemperie àëris accidit, quòd tardè, ac cum magna difficultate frumenta in horrea congregarentur. *Leo in Hiſtoria Pruſſiæ.* Intemperies àëris moleſtiſſima fuerat, anno 1665. jugiterque imbres decidebant. *Kochowski Annal. Pol. Climatte* 3. In Volhinia, Podolia, Ruſſia, & alibi, anno 1722. ver frigidum, à Majo ad Septembrem incluſivè pluviæ frequentiſſimæ, meſſis tardiſſima. Idem fere contigit anno ſequenti, in præfatis Provinciis. In Regno toto, anno 1725. iidem Menſes quinque, qui ſupra pluvioſi, cum damno grandi œconomicæ rei, cum magnis eluvionibus; reliqui menſes, October, November, & December placidi ac ſereni. Non infrequentes ſolent eſſe imbres, æſtivis Menſibus, qui delapſi relinquunt poſt ſe materiam flavam canalibus platearum innatantem, ſed non ſulphuream ut eſt probatum. De Sulphure, cum pluvia vernali, & æſtivo interdum tempore, decidente, putatitio, *Obſervatio Schmiederi* inſerta eſt *Ephemerid. Medico-Phyſicis Cent. III. ubi dicit Commentarius:* odor ſulfureus aquæ pluvialis, minimè argumentum fuit veri & mineralis Sulfuris exiſtentiæ, in hac materia, nam diverſiſſimus effectus, quem in igne edidit, hæc materia evertit hoc argumentum. Non vulgus tantùm, ſed & eruditi ſunt, qui pro vero Sulfure hanc materiam habent, cum tamen non credibile eſt, Sulfur ex ſuis mineris tam profundè in terra latentibus, à Sole poſſe extrahi, licet ex odore, aliisque indiciis aliunde conſtet genuinum in fulmine adeſſe Sulfur minerale. Generatur hoc ex vegetabilium exhalationibus reſinoſis, oleoſis, mediante quodam ſale univerſali acido, analogo, &c. Pluvias ſulfureas, ait *Bœclerus in Cynoſura Materiæ Medicæ Continuata,* ab arboris turionibus quidam deducunt, continent enim pulverem ſulfureum, ac in àërem ſpargunt, qualem materiam, aliarum quoque arborum nucamenta, item flores Sambuci, Tiliæ, & ſimilium arborum, ac plantarum concludunt, qui pulvis ſulfureus àëri commiſtus delabitur. Licet fortaſſis cum pluviis deſcendiſſe viſa ſint nonnulla, nondum tamen authores plurimi

rimi decernunt, illa in àëre generari posse, propter ejus continuam agitationem, animalculorum pondus, àëre gravius multò, quare consultiùs statuunt, hæc animalcula, post pluviæ, aut nivis descensum, per calorem Solis, aut sub nive per calorem intestinum, ex ovulis suis, breviore excludi mora, quæ postmodùm post pluvias tepidas recreata, & quasi resuscitata, ex rimis terræ, vel de latebris suis copiosè prorumpunt, & in superficie repunt. Ingens multitudo Ranunculorum, Schotlandiæ ad Gedanum, præsenti sæculo, conspecta, post pluviam, quæ longo antea tempore non deciderat. Naturaliter pluvia referre potest speciem Lactis, aut Sanguinis, cum tamen non sit Lac, aut Sanguis verus, si halitus ex quibus pluvia fit, ducantur ex locis albicantibus, si attollantur ex locis rubris, ut ex miniatis montibus Armeniæ, &c.

VI. GRANDO est granum glaciale, subinde nucleum nivosum continens. Nunquam decidit, nisi ventus vehementior præcesserit, ut docet experientia, & ratio est, quia ut aqua congelascat, debet diutiùs detineri in àëre, ac agitari ventò, ut commisceatur exhalationibus siccis, quæ sunt quasi coagulum aquæ. Sæpius grandinat diurno tempore, quàm nocturno, quia ad generationem grandinis requiritur vapor calidior, nox autem refrigerat, & condensat vapores, ut grando deinde fieri nequeat. Generatur tum in media, tum in infima àëris regione. Grando major ex superficiebus pluribus, veluti tunicis, sibi superinductis constat, minor ex paucioribus. Typis sunt datæ *Schoockii Disquisitiones Curiosæ de Grandine*, descripta est & ab aliis. Anno 1469. Torunii, delata est Grando major ovo Columbæ. *Zernecke in Chronicis Torunienſibus.* Anno 1572. & anno 1592. Grando insolita Prussicum solum concusserat. *Hennebergerus.* Anno 1643. circa Orsam in Palatinatu Vitebscensi, ipso Corporis Christi Festo, atque diluculò, quos obvios offenderat Grando interficiebat, arbores mutilabat, gramine nudabat campos, ad spatium duodecim milliarium. Magnitudo Grandinis hujus

exce-

excedebat pomum, ubi verò Sol incaluerat, aduſſeratque eas glaciales pilas, apparere cæperunt calvariæ ſpecies. *Ex Hiſt. M.S. Collegii Orſenſis Soc. Jeſu.* Anno 1720. Julii 23. Cracoviæ, Grando decidens, ad molem ovi Columbarum acceſſerat, alibi major, Ovibus atque Volucribus intulit ſtragem. Anno 1721. Julii 9. prope Leopolim, tempeſtas, & Grando ſegetes omnes funditùs decuſſit. Grando adæquabat ovum gallinaceum, non paucas aves, & animalia quadrupedia interfecit, numeroſas arbores ventus proſtravit. Eadem clades alios pagos *Sokalum* versùs affecit. Anno 1722. Junio menſe, ex utraque parte Oppidi *Bereſteczko* Volhiniæ, Grando concuſſerat meſſem futuram, ad milliaria ſeptem in longum protenſam. Eodem tempore, in diſtantia duorum milliarium à præfato Oppido, maſſa glacialis reperta ſupernè quaſi cornuta, infernè tripodi ſimilis, circumferentiâ, licet non craſſitie æquans lapidem grandiorem. Ejusdem Anni die 2. Julii, in villa *Stoupiec*, & in *Pyczá* Oppido Volhinenſi, non pauca Grando, in quantitate manûs compreſſæ in pugnum, verberaverat agros, in ſylvis vicinioribus ſpectata plana, ad palmarum duarum menſuram extenſa, perforata in medio. Ibidem fragmina grandinoſa necem attulerant avibus, caput pueri cuſtodis pecorum, ictu lethali diviſum in *Chotin* pago. Die 14. Julii, circa Arcem *Białykamien*, notabilis amplitudinis glacies delapſæ è nubibus. Anno 1725. Majo Menſe, illius molis fuerat Grando, in Podolia, quæ ad interimendos homines, tollendas è vita Oves, ſufficiebat. Anno 1726. Menſe Octobri, flante valido vento, in Caſſubia noctu delapſa eſt Grando. Anno præfato, Auguſti diebus, in pago *Łękawica* Palatinatûs Cracovienſis, à Civitate *Tarnow*, milliari uno diſtante, fertur decidiſſe grandinis maſſa, ultra cubitos duos protenſa, hæc tecti ſcandulas, & aſſeres lacunar conſtituentes fregit in aula Nobilis heredis. Ibidem, & alibi, Grando magnitudinem humani capitis, &c. attigiſſe, abſcidiſſe arborum frondes, mactaſſe animalia terreſtria & àërea, concuſſiſſe ſegetes, ab Oppido *Zakliczyn* ad *Kolbuſſowa* eſt obſervata.

Ne

Ne moles insolita Grandinis adimat fidem, *Tylkowski Physicæ Curiosæ Parte 8. Sect. 7.* tradit, quòd olim in Francia Grandinis frusta, pedes duodecim, id est sex cubitos, alibi sex pedes longa deciderint. In Palatinatu Pomeraniæ, Grandinis pondus libram unam & mediam æquabat. Lubieszevi, imposita lanci cum floreno Rhenano argenteo tenuit æquilibrium. Anno 1731. die 30. Maji, Crasnostaviæ in Terra Chelmensi, Grando par ovo Anatis, damna intulit. Eodem anno, circa Septembris diem secundam, in loco distante aliquot milliaribus Vilnâ, Grando in cuspides octo desinebat, similisque erat figuræ illi, quâ Stellæ designantur. *Ex Posta Publica Varsavienſi.* NEBULA insolita in Prussia, *ab Hennenbergero in Descript. Geograph. Tabulæ Prussicæ* ponitur. NUBES quasi saccus quidam impendens Mariæburgo apparuit, anno 1726. ante auroram præcedentem diem 22. Septembris, ex quo prodiens fumus, Civitatem totam impleverat, nec non Suburbium, in Graudentino tractu.

VII. NIX in Regionibus & Urbibus Austro objectis rarò sentitur, in Provinciis nostris frequentissima. Quòd interdum ad radices montium seu in vallibus pluit, in montibus autem ningit, ratio est, quia nix, quæ est rara, à tepiditate àëris inferioris, inter descensum, eliquatur in pluviam, in montibus verò altis àër est frigidior, ut nix eliquari non possit. Exstat *Bartholini Dissertatio de Nivis Usu Medico, Schoockii Tractatus de Nive* typis est subjectus. Anno 1503. sic altæ nives campos cooperuerant, ut tempore incursionis Scytharum, ventres equorum attingerent. *Bielski in Chronicis Poloniæ.* Anno 1526. Dominica Invocavit, nivibus tantis Gedanum oppletum fuerat, ut incedentium hominum cingulos illæ attingerent. *Hennenberger in Explicat. Tabulæ Majoris, Prussiæ.* Anno 1566. Nix insolita circa Lublinum decidit. Anno 1608. ita hyems nivosa fuerat in Prussia, ut nemo duobus equis simul junctis proficisci potuerit, sed uno sequente alium. *Leo in Historia Prussiæ.* Anno 1721. Martio Mense, Nix profundissima in Volhinia & Podolia fecit, ut

Lepores etiam à canibus ad cuſtodiam domûs ſervatis facillimè caperentur. Anno 1723. in præfatis locis, ſub gravi pondere nivium, tecta ſubſediſſe conſpecta. Contigit idem non rarò alibi. Nivales tumuli ſeu congeſtæ ventis Nives, Pol. *Zamieci*, quàm ſint ſæpe profundæ, viatores experiuntur, ex quibus non pauci immerſi illis, vitam amiſerant. Ad finem Anni 1732: Vinnicâ ex Ukraina tulêre literæ, quòd frigoris violentia, ingensque copia nivium, itinerantes multos, Equos, Boves ſuffocaverat. Quod de Terris Aquilonaribus tradit *Olaus Magnus in Hiſt. Gent. Septentrion.* idem contingit, in Provinciis noſtris: tanta eſt non rarò vis Nivium, & pruinæ, tamque dira tempeſtas, vehementesque caligines àërem obſcurantes, ut viatores proximum quemque obvium agnoscere, vel evitare non poſſint. In ſylvis ſtant arbores nivibus oneratæ, veluti arcus extenti, harum Nivium moles, motu leviſſimo descendit in viatores, quarundam frondes ſub pondere Nivium earundem fatiscunt. Exiſtimo, quòd Labinæ nivales, German. Schnee-Lawinen, de quibus, præter alios, *Stumphius in Chronicis Helvetiæ*, ait, etiam in Carpatiis montibus dantur. Nives non debito tempore cecidêre, anno 1722. die 21. Maji, *Zaslaviæ* in Volhinia. Anno 1723. die 2. Maji, in pago *Kuniow*, Palatinatûs ejusdem, in Podolia, die 3. Maji: Anno 1730. die 1. Octobris, *Luceoriæ*, & in viciniis, die 13. menſis ejusdem, Zamoscii, in Lublinenſi Palatinatu, & alibi; Anno 1731. die 9. Maji, in Schottlandia, nocte præcedente Grando àërem non modicè frigidum fecit, eadem die Nix modica decidit.

VIII. MEL inter Meteora aquea, ponitur ab authoribus, quod Apes non conficiunt, ſed tantùm è floribus & frugibus colligunt productum à natura. Mella optima Atticæ Regionis, Hymettia & Hyblæa antiquitùs memorabantur, probari audio Sarmatica hodie. *Heresbachius Rei Ruſticæ lib.* 1. Mel, nihil aliud eſt *Verano in Philoſ. Speculativa Peripatetica*, quàm ſuccus quidam florum, & quidem medullaris, ab Apibus naturæ geniô expreſſus, qui ſuccus nullam

nullam aliam habet cum rore affinitatem, niſi quia flores rore quodammodò vescuntur, blandiusque adolescunt. In Sarmatia, & Liuonia, quin toto Septentrionis tractu, in quem vaſtis laciniis Hercinius Saltus ſe diffundit, infinita Apum ſunt examina. *Aldrovandus de Inſectis lib.* 1. Mel Ruſſiæ magnopere commendatur, quia licet ea tellus ſit ad Septentrionem, ob longiores tamen dies æſtivos, ros & halitus florum diutius à Sole excoquuntur. *Claubergius in Phyſica Contracta.* Lituani Melle abundant, & Apibus ſylveſtribus. *Volaterranus in Geographia.* Copiam Mellis præcipuè Lituania & Moscovia habet. *Reinzer in Meteorologia.* In Lituania ingens proventus Mellis eſt, ſponte enim ſua, per omnes ſylvas ad viginti & ampliùs milliaria extenſas, fuſa Apum examina arboribus inſident, & ſic ubi cavi aliquid repererint, ſpargunt Mella, quin rimis quoque terræ hiantibus ſe condunt. Optimum autem Mel colligitur in illis locis, ubi copioſæ in ſylvis Tiliæ, floresque iſtius arboris, & Mulſum inde paratum, vernaculâ linguâ *Lipiec* appellatur. *Erndtelius in Itinere Medico Grodnenſi.* Ducatus Samogitiæ Melle puriſſimo & nobiliſſimo abundat. *Schulteſius in Synopſi Geographiæ.* In Podolia Mel tam copioſum provenit, ut non ſolùm in arboribus, ſed inter gramina, reperiatur. *Urzendovius in Libro de Natura Plantarum.* Volhinia abundat Melle, eoque tali, quod præſtantius Podolienſi cenſetur eſſe, ſpiſſius enim & pinguius, ac dum conficitur ex eo Mulſum, ad menſuram illius, aquæ plures affunduntur. Maſſæ ceræ numeroſiſſimæ ex Podolia, Volhinia, Roxolania evehuntur in Sileſiam & Pruſſiam, inde ad Regiones extraneas. Sunt Maſſæ Ceræ optimæ, quæ mittuntur ex Urbe Gedanenſi, propter colorem flavum, odorem, cæterasque qualitates. *Pomet in Hiſt. Natur. Materialium.* Ukraina quantùm Mellis contineat, ſylva una *Lebedyn* indicat, ex qua olim *Koniecpolscio heredi*, dolia ducenta Mellis à villanis dabantur, exactione inſtante decimæ. Sic impleverunt Apes ſylveſtres Poleſſiam Polonam, ſeu partem Palatinatûs Kiovienſis, ut alvearia, vernaculè *Barcie* vocata,

in arboribus pineis arte facta, unus ruricola centum, alter ducenta, tertius trecenta, quartus quadringenta aut quingenta & ampliùs, in vastissimis sylvis habeat, quæ tamen non omnia semper occupant Apes mellificantes. Similia alvearia sylvas Capitaneatûs Tucholiensis, in Palatinatu Pomeraniæ implent. In Russia, & Regionibus Septentrionalibus, Melicrati simplicis usus est, quod ritè confectum & conditum salubres præbet haustus. *Baconus in Sylva Sylvarum seu Historia Naturali.* Laudatur Lituanicum Mulsum Caunense inprimis, & quod *Lipiec* vocatur nectaris instar & ambrosiæ. *Jonstonus in Idea Higieines recensita.* Idem Mulsum Caunense dictum ab Urbe Cauna, Regiomontum vehitur navibus. Polonicus & Lituanicus Medo maximè celebratur. *Mel in Dissertatione Medica, Mel Saccharo præstantius declarante.* Sarmatiæ populi Medonem ita præparant, ut cum vinis aliquando certare possit. Utilissimus hic potus à natura videtur frigidiori illi cælo datus, ut calore suo, Regionis algori resistat, tenuitate & acrimonia crassos ac pituitosos humores extenuet, incidat, omnibusque morbis, ex frigidis humoribus ortis, opem ferat. *Nonnius in Diæretico sive Re Cibaria.* Medo vim habet calefaciendi, aperiendi, abstergendi, expurgandi, pectus dilatat, & purgat, medetur frigidæ tussi, abstergit renes, ureteres, à crassis humoribus & saburra liberat, intestina abluit, prodest contra quartanam. *Schwenckfeld in Insectis Silesiæ.* Usum Mellis, & ejus aquæ, quæ Hydromel vocatur, Senibus maximè convenire censet *Chokier Part. 3. de Senectute,* præsertim quibus est frigidus & humidus ventriculus, hyemis ac veris tempore. Approbat dicta *Andreas Laurentius de Senectute c. 7.* Sunt qui Hydromel valde commendant, quô, me etiam judice, Senes uti possunt, pro potu quotidiano. Sensu quoque *Plempii* Hydromel Senibus tussiculosis, crassos & pituitosos humores habentibus, admodùm opitulatur. Potus melliti ut salubriores sint, ætate opus est, ait *Cosmius in Magna Naturæ Oeconomia,* nimis enim recentes stomachum inflant, & suæ dulcedinis satietate nauseativa nimiùm gravant, ætate

verò

verò proficientes vinosi evadunt, ori suaves, & stomacho utiles. Calefaciunt, appetitum languentem excitant, alvum molliunt, tussientibus, phthisicis, & utericis auxiliantur, biliosis verò temperamentis, & in febribus ardentibus sunt noxii. Medicis sunt aliæ Mellis compositiones, Oenomeli, Omphacomeli, Oxymeli, &c. In Lituania villani betæ folia cum radicibus, pro alimento quotidiano habent. Hæc autem acidum augent, sanguinem & chylum incrassant, & nisi subinde Cremato, & Mulso acidum hoc alimentum attemperarent, tunc & reliquum bilis, quod in ipsis est, exstinguerent. *Sinapius in Absurdis Veris Medicis seu Paradoxis Medicis.* ROS MELLEUS, seu Melligo *Plinii*, Germ. Mehlthau, Russis *Pad*, nocturnis & matutinis frigoribus concrescit, Sole verò orto liquescit, à Sole autem postea exsiccatus in pollinem albicantem, qualis molendinorum parietibus adhærere solet, convertitur. Compertum est, ait *Codrus*, ab agricolis, Apes liquorem melleum hujusmodi ad alvearia non convehere, quamvis avidissimè eô vescantur, sed ad mellificationis opera prorsus ignavas reddi, multas etiam emori. Cadit æstivo tempore, & fere sereno cælo. Secundùm *Wagnerum in Hist. Natur. Helvetiæ*, maxima arborum, pecorum, imprimis Vaccarum, & Ovium pestis est.

IX. VENTI ad Meteora àëria pertinentes Principales seu Cardinales quatuor numerantur, ab Ortu Eurus, ab Occasu Zephyrus sive Favonius, à Meridie Auster, à Septentrione Aquilo seu Boreas. Inter hos Ventos, in singulis quadrantibus terræ, septem alios Ventos nautæ recensent, ut proinde in universum sint Venti triginta duo. Dantur & Venti Provinciales, qui flant in certis Provinciis, Anniversarii, qui redeunt nonnisi post annum, qualis Etheſius, post exortum Caniculæ. Venti perpetui sunt sub Zona torridâ, inter Tropicos Cancri. De Ventis *Baconus*, *Fromondus*, & *Reinzer* fusè tractant. Gedani, inquit *Keckermannus in Systemate Physico*, Australes Venti contra naturam serenant, Septentrionales, pluvias, tempestates inducunt, nam Australes

seu Meridionales Venti antequam ad Urbem dictam pertingant, perflant loca aridiora ac sicciora Masoviæ, Septentrionales verò ex Mari vicino spirantes humidi fiunt. Scepusium expositum est Borealibus Ventis creberrimis, *Frælichio in Diario Apodemico* testante.

X. VENTI INSOLENTES sunt sæpe ita impetuosi, ut turres, ædes, tecta, sylvas subvertant, damna grandia adferant. De talibus *Tractatus à Nethangelio* est editus. Anno 1349. in Festo Exaltationis Sacræ Crucis tempestatum vis sexaginta naves in Mari submersit, Gedani triginta septem pinnacula parva dejecit de Ecclesiis. *Leo in Historia Prussiæ.* Anno 1486. die 2. Julii, terribilis tempestas exorta Gedani, quinque horis duravit, ex qua videbatur Civitas interitura. Visi sunt per àërem ferri ignei glabi, quin & voces auditæ. *Idem ibidem.* Anno 1520. dum Helisberga in Varmia oppugnaretur à Magistro Crucigerorum, validus Turbo & tempestas àëris tanta est exorta, ut hostibus terra dehiscere videretur, quamobrem territi summè Regiomontum versùs aufugerant, armis curribusque relictis. *Treterus de Episcop. Eccl. Varmiensis.* Anno 1582. in Vigilia S. Martini, validus Ventus in multas horas noctis duravit, non mediocria damna intulit ædificiis. Brunsbergæ in Ecclesia P. P. Soc. Jesu prostravit frontispicium, Civitatis portas duas eversas in Passariam fluvium præcipitavit, Gutstadii turriculam Templi dejecit, sylvarum vias complevit adeò prostratis arboribus, ut nemo per eas, diebus aliquot proficisci potuerit. *Leo in Hist. Prussiæ.* Anno 1618. Aprilis 2. Ventus vehemens ex Arce Helisbergensi, cuspides duas cupro tectas, cum ingenti fragore, terræ allisit. *Idem ibidem.* Anno 1713. in Novembri, Venti furiosi perflabant Jaroslaviam, his dominantibus, gladius, in manu Statuæ æneæ S. Michaelis Archangeli positæ in summo vertice turris Templi Parochialis, cum esset sursum elevatus, versus est deorsum ita, ut sit quidem elapsus, sic tamen in terram obversus, ut eum S. Michael sub cruce manubrii tenuerit. Anno 1718. Martio

mense,

menſe, in Scepuſio ferociâ Venti, Templorum tecta dirupta, ædificia quædam debiliora proſtrata. Waralii, ædificii ampli & longi tectum è ſcandulis conſtructum, cum univerſa contignatione inferiori, ad notabilem diſtantiam eſt ſublevatum, &c. *Collectanea Naturæ & Medic. impreſſa Pratislaviæ.* Anno 1728. die 18. Septembris, Leopoli erat ingens turbo cum pluvia. *Büchner in Miscell. Phyſico-Medico-Mathematicis,* Anno 1731. die 17. Novembris, Cracoviæ Ventus vires magnas exeruit, ædificia aliquot lignea inclinavit ad ruinam, labefactavit plurima tecta, &c. villanum de ponte dejecit. PRESTER ſeu Turbo incenſus, eſt Ventus impetuoſus, repentinus, igni conjunctus, quem exhalatio concipit, vel ex motu, vel ex antiperiſtaſi. Hic ex nube quando eliditur, obliquè ſuper terram volitans, non tantùm proxima quæque evertit, ſed & inflammat, ideoque eſt quædam ſpecies Fulminis. Secundùm *Trimarchii Disputat. in Libros Ariſtotelis Meteororum*, in eo differt à Fulmine, quòd Fulmen plus habeat flammæ, minùs ſpirituum, ex adverſo verò Preſter continet plus halituum, & minùs flammæ. Fertur quasdam oras tempeſtate hac abundare, talisque manet pars Oceani Atlantici, in Promontorio Bonæ Spei, & illa pars, quâ à Portu Sinarum in Japoniam navigatur. Apud nos in *Kaczyce* prædio, ad ripam *Narew* fluvii poſito, diſtante una leuca à Civitate Pultovia, Anno 1722. die 5. Auguſti, poſt Vesperas decantatas in Sacello, coram congregata multitudine populi, devotionis cauſâ, ab Occidente, tetra & viſu horrenda nubes apparuit trahens ſecum per terram, veluti torrentem fumeum longiſſimum, qui dum cum fragore aſſiduo, velut explodentium bombardas, perveniſſet *Kaczicios*, ſerpentino, eoque lento greſſu per campos, agros, & prata, quidquid obvium habuit, partim ſternebut, partim adurebat, partim ſecum asportabat, globos ſulphureos paſſim protrudens. Ferebatur eadem Vulcani officina, nunc in moduu pyramidis, nunc columnæ, nunc rectè, nunc obliquè, fumos cum ſtrepitu exſpirando, per horæ quadrantem, progreſſa ad

Narew

Narew flumen, quod trajiciendo, ita ſeſe dilatavit, ut ſuper aquas, quaſi pontem fumeum ſtraverit, aquis mirum in modum bullientibus, ac à ſe ſic discedentibus, ſi quis jaceret lapides molares candentes in fluvium. Superato amne, ſimili paſſu, ſylvas pervagabatur. Eodem anno, die 14. Julii, in Ruſſiæ Palatinatu, tanta potentia Ventorum orta, ut in ſylvis, inter pagos *Sokole & Grabowo* protenſis, pinus, aliasque arbores numeroſiſſimas partim everteret, partim confringeret. Anno 1723. Decembris diebus ultimis, violentia Venti, tecta plurima ſubmovit, radicitùs evulſit arbores in Volhinia, Maſovla, & alibi. Turbo vehementiſſimus excitatus Posnaniæ, anno 1725. die 18. Junii, circa horam ſeptimam vespertinam, inter terrores Fulminum, fragores tonitruûm, frequentiam fulgurum, ingens aquarum profluvium, ex imbre ortum, duravit fere ad horæ dimidium, cum damno grandi illato lapideis, domibus ligneis, tectis, feneſtris, hortis. E Templo R.R. P.P. Prædicatorum, tectô dejectô, concuſſit fornicem & feneſtras, organa, ſcamna contrivit, ſepulchra ruinis implevit. Ex aliis Ædibus Deo dicatis, & Domiciliis Religioſorum, ac Religioſarum, intrà Urbem, & extra, tegulæ raptæ, conquaſſatæ ibidem feneſtræ. Turris elegantiſſima Curiæ, ſecunda Divæ Magdalenæ, ad ſummum operis recenter perducta, tertia & quarta in frontiſpicio Baſilicæ Cathedralis poſita, eſi ſuis ſedibus violentiſſimè mota, terræ alliſa. Vix locus eminentior aliquis in Civitate exſtitit, in quo veſtigia tempeſtatis illius non apparerent. Incolæ exiſtimabant redigenda in pulveres ædificia omnia, mortemque præſtolabantur; alii extremi judicii diem adveniſſe dicebant, omnes timore percellebantur, ſed ex ſpeciali favore cæli, nullus occubuit, vulnera duo acceperunt. Impetus Turbinis extendebatur ad duodecim milliaria, ſtragem ferens Oppidis, pagis, aulis Nobilium, ſegetibus, ſylvis, in quibus arbores proſtratæ, confractæ, evulſæ cum radicibus, vias præcluſerant. Anno 1733. die 29. Julii, poſt meridiem horâ quintâ, Cracoviæ ortus eſt àëris flatus vehementiſſimus,

tissimus, omnes in Civitate & alibi, terrore magno implevit, nam non tantùm scandulæ ex tectis, sed & fenestræ ex lapideis volitabant per àërem, in suburbiis & circumjacentibus pagis grandia damna ædificiis, sepimentis intulit, ad Viſtulam, submotum integrum tectum, ex una parte ejusdem fluvii, ad alteram transtulit, aulicum quendam equitantem penes ripam, cum equo præcipitavit & submersit, idem pluribus se navigiô transportantibus fecit. Anno 1734. Februarii 16. Varsaviæ ventus validissimus cum nive, grandineque erupit, damna non modica fenestris, tegulis &c. intulit, durando à quinta hora matutina, ad noctem mediam; sequens dies, cum frigore, ventum minorem flaverat.

XI. PARELIA sunt Soles plures apparentes, tunc autem apparent plures, quando Solis species incidit in nubem talem, quæ adinstar speculi possit exprimere & repræsentare faciem Solis. Nubes eadem debet esse rorida & pellucida, à tergo autem opaca. Quot nubes tales erunt dispositæ, tot Soles apparebunt. Non tamen Parelia sunt dluturna, quia Solis calore facilè nubes dissolvuntur, tum quia Sol movetur citiùs, quàm possint moveri nubes. Anno 1492. Sol triplex venerat in aspectum. *Paprocki in Stemmat. Nobilitatis Polonæ.* Anno 1533. Soles tres conspecti. *Stryikowski in Annalibus.* Anno 1524. in Prussia exhibiti Soles quinque, in crucis modum dispositi. *Leo in Historia Prussiæ.* PARASELENE seu Imago Lunæ, anno 1556. in Prussia, teste *Hennenbergero*, comparuit. IRIS non una interdum spectatur. Communi Peripateticorum opinione, quando Irides duæ, vel tres apparent in eadem plaga, prima fit propter reflexionem radiorum solarium, & hæc præ cæteris maximè est conspicua, secunda est imago tantùm primæ, efficiturque reflexione primariæ in nubem proximam, quapropter etiam obscurior est. Si tertia fuerit, illa rursus secundæ imago erit, per similem reflexionem, ab illa efficta, quæ tamen vix percipitur oculis. Tres simul Irides se notasse testatur *Vicemercatus ab Hartnaceo citatus*, Irides quatuor,

sub occasum Solis à se Patavii spectatas *Vitellio* memoriæ prodidit: *Frytschius in Catalogo Prodigiorum*, Magdeburgi, anno 1532. Irides septem objectas aspectui annotavit. Quod spectaverit sex Irides in diversis descriptas nubibus, uno tempore *Snellius*, narrat *Verani in Philosophia Peripatetica*, censetque quod possunt simul Irides plures primariæ apparere, quæ immediatè describuntur à Sole, in nubibus roridis.

XII. TERRÆ MOTUS sensu *Valentini in Armamentario Naturæ*, & aliorum, à particulis nitrosis, sulfureis, in in terræ cavernis, tanquam in cuniculis bellicis, incensis oritur, in Tremorem, Inclinationem, & Succussionem dividitur. Nonnisi aliqui tractus terræ agitantur prædicto triplici modo, nunquam orbis totus concutitur. Terræ motum interdum ex casu saxorum grandium, in cameris subterraneis contingente, fieri posse *Scheuchzerus* existimat. Adeò vehemens sit quorundam Terræ Motuum impetus, ut subrutis fundamentis, integer tractus terræ concussioni superinstratus submergatur in abyssum, & absorpti fragminis loco, statim surgant aquæ ex imo, atque lacum efforment ibi, ubi antea stabat terra firma, & habitabilis. *Woodwardus in Naturali Historia Telluris Illustrata & Aucta contra Objectiones Camerarii.* Anno 1572. circa diem 6. Januarii, gravis Terræ Motus in Borussia fuit, *Keckermanno, in Contemplat. de Terræ Motu, referente.* Podolia, anno 1721. Junio Mense, succussione agitata, per breve tempus, auditi fragores, ipsô diluculô, circa Camenecum, quasi tormentorum bellicorum explosorum. Anno 1728. die 20. Septembris, in Podolia Cameneci, Terræ Motus exortus, horâ sextâ matutinâ, duravit quadrante medio. *Buchner in Miscellaneis Physico-Medico-Mathematicis.* Eodem anno, & Bari motus telluris sentiebatur. In locis Septentrionalibus rari sunt Terræ Motus, quia in illis, sensu *Conimbricensium*, ob intensum frigus non facilè concitantur exhalationes, in gremio terræ. Regiones etiam admodùm calidæ, minùs Terræ

Motui

Motui obnoxiæ sunt, quia in eis halitus nimio calore facilè evanescunt.

XIII. SIMULACRA AERIA seu Spectra si occurrunt, aut fortuitæ nubium conjunctioni, hominum imàginationi, aut causis supernaturalibus attribuenda. Nubes in formas hominum, equorum &c. possunt componi, ventis adversis & reflantibus, speciem concurrentium acierum præbere intermicantibus fulgetris & fulminibus, tormentorum bellicorum fragores, coruscationes & tonitrua imitari, non tam naturali casu, quàm Divina dispositione ad finem intentum aliquem. Evolvatur *Aversa & Fromondus* in hac materia, Imagines mirabiles àëris videantur *in Aldrovandi Ornithologia, lib. 2. cap. 2.* Anno 1329. die 1. Novembris, visa à multis crux in àëre, ex una parte, ex altera parte exercitus conserens manus contra crucem apparuit, quæ cum superari non posset ab exercitu illo, tandem à tempestate exorta disjecta fuit, ante cladem illatam à Polonis Vernero Magistro Crucigerorum. *Leo in Historia Prussiæ.* Anno 1548. armatæ acies eæque prælio decertantes repræsentatæ in nubibus ad Aquilonem. *Stryikowski in Annalibus.* Anno 1649. die 29. Decembris, ante mediam noctem, apparuit ostentum àërium Varsaviæ, instar scoparum. Anno 1658. Junii 15. in villa *Swarzewo* Pucensis Districtûs, post Solis occasum, multorum oculis objecta Luna plena habens in sui medio lineam cæruleam, infra se alteram lineam coloris aurei, desuper tecta, quasi Iride duplici citò evanescente, manente tertia infra cum stella splendida. Sublato tali spectaculo, in Lunæ medietate apparuit forma canini capitis, mox corpus totum Lunæ, bis versum est, quasi in ollam coquinariam, ad extremùm species Turcicæ cidaris summitati ejusdem Planetæ incubuit. Anno 1692. die 8. Septembris, *P. Theophilus Sredensis, Concionator Vielunensis, & F. Ludovicus Maleßewski Ordinis Minorum S. Francisci,* dum agerent iter, distarentque milliari uno, ab Oppido *Ktobuck*, viderant ante vesperam in nubibus personas quasdam insidentes thronis, alias stantes penes

Stemmata sive Insignia. Inter Meridiem & Occasum comparuit effigies in vestitu oblongo, accincta frameæ, Viro Polono simili, Aquilam albam proximè habens. Objecerant se eorundem aspectui, præter personas non paucas, etiam Aquilæ, & Leo, militares acies prælium instituentes, capita gladiis demetentes, equi occisorum cadavera conculcantes, auditi sonitus exprimentes explosiones machinarum bellicarum, & bombardarum manualium. *Koralewicz in Additamento ad Chronica Fratrum Minorum S. Francisci.* Circa annum 1721. ab incolis Civitatis Cauna, in Magno Ducatu Lituaniæ, spectata ex una parte Lunæ, forma Leonis, ex altera parte, forma Ursi, disrumpere satagens magno ac diuturno nisu eandem Lunam. Disparentibus simulacris ferarum, incurrebat in oculos imago copiarum militarium, Sidus nocturnum idem oppugnantium. Anno 1727. tempore vespertino, à non paucis visum phænomenon exprimens literam S. seu Stemma Polonum *Srzeniawa* dictum, & Mitram Ducalem impendentem. Anno 1729. Januarii 15. ab hora quinta post meridiem, ad undecimam noctis, in Civitate Lituanica *Slonim*, Luna plena coloris sanguinei, habebat circa se circulum, globosque quatuor in una parte nigros, in altera rubros, infrà erat crux lucida, ad quam gladii duo collimabant. Supra circulum secunda Luna cum cornibus sursum versis eminebat. Anno 1730. Februarii 15. post Solis occasum, horamque unam subsequentem, apparuit in Polonia, Masovia, &c. quasi nubes ignea, hæc successu temporis versa est in Columnas quatuor, ad mundi plagas totidem. Exhibitum est Spectrum simile Viro nunc aperienti, jam claudenti portam. In Prussia, noctu objecta visui imago ignita Iridis, cum radiis albicantibus, phasma hoc deinde palmas duas ardentes repræsentavit. Affirmabant nonnulli fulsisse & crucem spargentem lumen; Posnaniæ de specie Iridis prorupisse radios flammeos, qui multùm fuerant dilatati.

XIV. TINCTURÆ PARIETUM, PICTURÆ FENESTRARUM hîc locum occupent. Anno 1717. Commendans

dans Fortalitii Bialocerkievienſis in propria veſte figuras rubeas ſimiles literis, in indumentis aliorum, & in ædificiis variis ſpectaverat, vulgus timore perculſum morbos & peſtem exſpectabat. Anno 1723. diebus primis Septembris, in Volhiniæ pago *Kniehin*, aliisque locis circumjacentibus, in villis *Warkowice*, *Liſtwin*, *Mokre*, &c. lineæ transverſæ coloris miniacei notarûnt parietes domorum, officinarum, &c. De Scripturis & Picturis Naturalibus feneſtrarum impreſſit *Diſputationem Phyſicam von Sanden*, in qua aſſerit, ex vitri mixtura tales figuras oriri, nec convenit has ceu raras mirari, cum ſint quotidianæ obſervationes apud artifices feneſtrarum & vitriariorum. Contingit etiam videre rhombos, in quibus nihil harum figurarum occurrit, poſt aliquod tempus characteres quidam ſeſe oculis ingerunt, & tunc ratio non alia eſt figurarum in rhombis vitreis deſcriptarum, præter motum inteſtinum, cui & vitrum licet ſit corpus firmum obtemperat. Excitantur eô quando àër vel humidus, vel calidus, vel acris poros indeſinenter ingreditur, & ibidem particulas ſalinas, ab aliis diſſociat, poſtmodùm easdem connectit, & ita transfert, ut figuræ in conſpectum prodeant. Anno 1727. in Pruſſia, aliisque Provinciis, tempore æſtatis, pluviis frequentioribus deſtitutæ, maximè apparuerunt variæ notæ in quadraturis vitreis, cum apprehenſione non modica, interpretatione varia, metuque nonnullorum.

XV. COMETÆ Meteora ſunt, non Planetæ, ut quidam ex veteribus opinabantur, quia non durant perpetuò, aſt progreſſu temporis deficiunt. De quidditate Cometarum multiplex eſt Authorum ſententia, inter has prima communior ſtatuit Cometam eſſe materiam elementarem vaporoſam, è terra ab aſtris extractam, ſecunda docet Cometam eſſe effluvia ſive ejectamenta vaporum & exhalationum, per annos multos, à Planeta aliquo attractarum, Solisque calore excoctarum, tertia, effluvia Planetarum omnium, materiam Cometarum aſſignat. De loco, magnitudine, figura, colore, tempore, duratione, motu, ſignificatione

Cometarum, Astronomi fusè tractârunt, inter quos etiam *Fromondus in Meteorologicis* numeratur. Anno 1000. Calendis Januarii Cometes quasi facula ardens, & se in longum protendens, adeò splendore suo cunctos perterruit, ut non hi tantùm qui in agris, sed etiam qui sub tectis erant, quasi fulmine quodam ferirentur. *Dlugoſſus Hiſt. Pol. lib. 2.* Anno 1468. Cometa inter Ortum, & Septentrionem, diebus quindecim visus, hic vix disparuit, alter clarior ab Occasu illuxit, totidemque diebus duravit. *Cromerus Hiſt. Polon. lib. 27.* Anno 1577. Cometa cum Stellis gradiens, in eodem planè ad Aquilam loco conspectus in Prussia. *Tylkowski in Meteorologia Curioſa.* Anno 1593. in Augusto, Stella crinita horribilis in Prussia apparuit. *Idem ibidem.* Anno 1618. in Prussica regione, Cometa resplenduit, die D. Andreæ Apostolo sacra. *Leo in Hiſt. Pruſſiæ.* Anno 1652. Cometa observatus *à Toński* Cracoviæ, & descriptus. Anno 1664. Cometes terribilis, & in ollæ speciem turgidus effulsit. *Rochowski Annal. Poloniæ Climact. 3.* Anno 1677. mense Aprili, Cometam duodecim diebus se extendentem spectavit Prussia. *Curicken in Deſcript. Urbis Gedanenſis.* Anno 1682. Augusti 31. Cometes illuxit Valcio, in Majori Polonia, à Meridie, Aquilonem versùs protendens caudam, à Comete eodem, arcus instar Iridis satis latus & longus sumebat initium. *Ex M. SS.* Anno 1729. die 15. Januarii, Słonimi visus est Cometa in forma crucis, cui frameæ adjunctæ fuerant, ab hora quinta, usque ad horam undecimam noctis. *Buchner in Miscellaneis Phyſico-Medico-Mathematicis.* Anno 1632. Aprilis 14. *Laticzoviæ* in Podolia, Cometes exprimens crucem, Lunam, & scopas, per horas duas spectabatur à civibus. *Ex Novellis Varſaviæ impreſſis.* STELLA anno 1727. die 10. Decembris, horâ meridianâ, Gedani oculis multorum percepta. Anno 1732. die 27. Maji, post meridiem horâ secundâ apparuit Stella lucidissima, conspecta est in Civitate *Radom*, ad occasum.

XVI. CHIMIA est ars corpora naturalia mista solvendi, & soluta coagulandi, ad medicamenta concinnanda: altera

altera illius pars ad Metallorum transmutationem extenditur. Hanc perpendendo *Czombor in Disputatione Physica de Metallis*, habita in Athenæo Dantiscano, anno 1617. inquit: nè è longinquo conquiramus exempla, est hîc Dantisci vivus & oculatus Chrysopæiæ testis *Magn. Gene. D. Capitaneus Joannes Lablanque*, naturalium æquè ac militarium rerum peritissimus, qui in Polonia non semel vidit, sed quater, Aurum verum & legitimum arte confectum *à Nobili & Præstanti Viro Michaele Sendgivoy, Sacræ Regiæ Majestatis Secretario*, in cujus rei majorem fidem, *idem D. Capitaneus*, clavum ferreum, exemplô *Florentini*, similiter medium, sed superiore sui parte *à Secretario illo* in Aurum conversum, *Magnifico Civitatis hujus Præconsuli Bartholomæo Schachmanno* dono dedit, qui adhuc hodie servatur, atque conspicitur. Materia Lapidis Philosophici, ait *Reinzer in Meteorologia*, aliis est Auri scoria, aliis Vitriolum & Arsenicum, nonnullis Alumen, Magnesia, Chalcantum, peritioribus Sulfur & Hydrargyrum. Aurum Chimicum passim in tribus deficit, referente auctore eodem, primò quòd non sustineat vim ignis, secundò quòd color ejus facilè dispareat & mutetur, tertiò, quòd recuset extendi in laminas tenuissimas. Oppositam experientiam attulit *Joannes Helvetius Celebris Medicinæ Doctor ac Chimicus*, primò in exteris, secundò post Librum traditum typis, *De Tribus Regnis, Minerali, Animali, Vegetabili. Francofurti ad Mænum, in 4to.* Religiosæ vitæ cultor factus de Familia S. Pauli Primi Eremitæ in Claro Monte Czenstochovienſi, dum paravit Lapidem Philosophicum ex programmate istius anagrammatis, *Vis alienat esse*, cujus programma est *Essentia salive*, seu ex saliva hominis sani à phlegmate depurata, hanc salivam, per novem menses alterabat calore semper uniformi, ejusdem intensionis cum calore materno fœtum utero ferente, quem ipse vocabat Ignem Philosophicum, & licet modum parandi Ignem præfatum non manifestaverit, dictitabat tamen rem esse obviam, & exiguô pretiô parabilem. Elapsis novem mensibus, invenitur saliva in massam solidam

coa-

coagulata, in cujus medio in modum nuclei latitat Lapis Philosophicus, hujus particella si Plumbo liquefacto, servata tamen proportionata dosi injiciatur, Plumbum in Aurum convertit. Idem Chimicus habuit Crucem portatilem ex Auro suo artificiali elaboratam, cujus modicam partem cum aurifabro dedisset ad inaurandum craterem argenteum sibi à Magnate Polono donatum, illeque reponeret Aurum non suffecturum inaurationi, reposuit, pergeret & inauraret, Aurum ipsi non defuturum, ubi revera id contigit, crateremque non parcè inauraſſet, rediit aurifaber admirabundus, quod nunquam adeò præstans Aurum præ manibus habuisset. Tota hæc narratio habetur à Viro fide digniſſimo, qui præfato Medico multis annis familiariter convixit, quique propositum sibi anagramma, in programma resolvit, mysterium suô ingeniô assecutus cum admiratione *Helvetii*, anagramma enim esse illi non manifestaverat. Crucem auream idem vidit, & stupentem super deauratione artificem. Tandem reliquit Lapidem Philosophicum Czenstochoviæ, mansit ad Aulam in Varmia, & hospes Gedani: post arcana complura Medicorum, Pharmacopolarum, Herbariorum retecta, hominibus cum adversa valetudine conflictantibus utiliſſimus, ætate plenus, diem ultimum terminavit.

XVII. Concludo PUNCTA XII. AUCTARII HISTORIÆ NATURALIS CURIOSÆ REGNI POLONIÆ, MAGNIque DUCATUS LITUANIÆ, Auctorum verbis. Magnæ sunt Naturæ divitiæ, quamvis plurimùm adhuc absconditæ, & incolis ignotæ. Talem divitiarum suarum ignorantiam in conterraneis suis, hac cum expressione deplorat *Encelius:* o Patria dilectiſſima si tuas divitias nosceres. *Schutteus in Oryctographiæ Jenensi.* Eô plerumque vitiô laboramus, ut absentia laudemus, & remotiora adoremus, quæ à nostris finibus Natura removit. *Bartholinus in Observationibus novis de Unicornu.*

Sit laus maxima Auctori Naturæ DEO.

INDEX

INDEX
RERUM NOTABILIORUM

Numeri romani paginas ostendunt, ubi de rebus iisdem Autor egit Parte prima.

Abies. 263. CLXXXIX
Accipiter CCC6
Aesalon 354.
Cyanopus 352.
Fringillarig 353.
Macropterg 354.
Palumbarij 353.
v. Aquila, Buteo, Falco, Milvus Sperneurius, Vultur.
Acer C89
mapus 264
minus 265. XVI
Achates 31. C22.
Acidulae v. Fontes Solarii
Accipenser 235. C39
Aculei fossiles 9.
Acus vulgaris, piscis, 235.
Adamas degener 32. XVIII
Aetites 33.
Agilitate valentes homines. 445. CCC19.
Alabastrum 34.
Alauda CCC8
cristata 354. CCC8.
arborea ib: CCC9
pineti ib:
24 canorum ib:
Alba arbor 265
Albula nobilis minor Schonef 205.
Albulus marinus 237
Alburnus Schwenkf: 206.
Albula magna 205
coerulea, albicalus Schwenckfeldi 206
carpionis forma ib.
Alce 304. CC12 v. Rangifer.
Alcyon v. Ispida
Alcyonia 6
Alnus vulgaris 265. C89
nigra ib. C90.
Aluco 355. CC69 v. Ulula
Alumen 93. XL.
Amethystus 35. XIX.
Ammithes, Ammonites. 36. XLX.

Index Rerum Notabiliorum

Ammochrysus 86.
Ammonis cornu 47
Anas CC69. CCC. v. Querquedula.
caudacuta 355.
cristata 357
erythrocephala ib:
fulicula 356.
lati rostra ib.
media 251
nigra ib:
plures 350.
Anguilla 206
Anguis v. Serpens.
grandis. CC49
Animalia quadrupeda fera 303. CCX
domestica 329. CC37
Subterranea 335. CC32
Venenata 334. CC34. CC43
Annorum tempora vel excessu caloris vel frigoris notabilia 471-475.
Anser CCC.
ferus 359.
arboreus. Ib.
marinus v. Larus
domesticus 432.
Antimonium 110. LI.
Aper 305. CC13.
Apes 343. CC57.
terrestres (id est fera) f. Ib.
v. Crabones. Fuci. Vespæ.
Aqua CC70 v. Fontes.
mortifera C24.
sanguinea C25.
bituminosa 100. C15
aluminosa 103.
bullientes 104.
lapidescentes 103. C16.
medicata 105. C19
nitrosa 103
noxia strumas excitantes 108. C23.
salsa 190. C26
lacustres 192.
Sulphurata 102.
vitæ 128.
Aquila CC70
chrysaëtos 359
alba CC99 nigra 363
carpatica 361
morphus 362
ossifraga 363
Pyrargus 361
Valeria 364
Aranei 343. CC61
Arbores 263
exoticæ CC09
sativa varia 297
Ardea CC71
alba 364
cinerea major, minor Ib.
Asellaris v. Botaurus
Subcærulea 364.

Index Rerum Notabiliorum

Arena 22. XIII
Argentum 100. XLV
Argentum vivum 111.
Argilla v. Terra figulares.
Argyrites 86
Armenius lapis 37. XIX
Arquata f: avis:/ major, minor 365
Asellus piscis
  Saxatilis 238
  alius 237
  parvus 238
  varius 237
  virescens ib.
Asparus fluviatilis 209
Asteria astroites 17. 20
Attagen 366. CC72.
Atricapilla 368
Aves
  domestica CCC
  fera 352
  quarum nomina polonica tantum audiuntur 430. CC98.
  exotica 432. CC99.
  familiares ib. CCC.
  pugnax 367
  paradisiaca Prussiæ 367.
Aureola avis. 368
Auripigmentum 111.
Aurora borealis. 476. CCC96.
Aurum 99. XLIV.

B

Balleras, piscis v. Blicca
Barbo Rondeletii 208. 143
Barbota v. Mustela
Bdella piscis. 208.
Belemnites 38. XX.
Berberis officin. 265. C90.
Betula 266. C90.
Bibaces, multi potg homines 451. CCC30.
Bidentala Luidii 8.
Bitumen 96. XLII
Blicca bliet, piscis, 209
Bohus, flumen 195. C32.
Bolus Arm. v. Terra rubra.
Borysthenes 194. C31.
Bos 329. CC37.
Botaurus Avis 368. CC73.
Botrytes 80.
Branchyale Lugdii 8.
Brontia v. Echinites
Bubo 368. CC72 v. Noctua
Bufo CC55
  palustris 340
  miniatus 341
  minor s. flamea ib.
Bufonites 41
Bugus, flumen 196. C35
Buteo
  apivorus 369
  subbuteo ib.
  vulgaris ib.

C.

Cadmia metallica v. Cobaltum

Index Rerum Notabiliorum

Cæcilia 337.
Caraunia 42. XX
Cæruleum 37. 112. LIII
Calcareus Lapis 80.
Cancri petrefacti 6. XXXIX
caudæ Lapis 81. XXXIV
Capella fluviatilis piscis, 211.
Caper 331. CC39
Capito fluviatilis, piscis, rapax 210.
Capra aquatica 230.
Capreolus 308
Caprimulgus 369
Carassus 242.
dimidius ib.
Carbunculus v. Rubinus.
Carduelis 370. CC73.
Carneolus v. Sardius
Carpinus 266.
Caseus 331.
Caseiformis lapis 80.
Castor 306. CC15
Castoreum 307. CC15.
Cerasus 267 C92. CC07.
Cerevisia 125. LXXV
Certhia v. Scandulaca
Cerussa 105
Cervus 300. CC16
Cespites fossiles 2. III. v. ossa.
Chalazias 81.
Chalcedonius 44. XXI.
Chalybs 109. LI.
Chamæcerasus 267. C92.
Charadrius 370.
Chymica varia 502. CCCC53
Chloropus 371
Chrysocolla 97. LIII.
Licenia CC74
alba 371
nigra 372.
Cinnabaris 112. LII.
Cobaltum 103.
Cobitis barbatula 211.
Coccothraustes v. Nucifraga
Coccus polonicus 111. XCIV.
Cochleæ 253. CC63
terrestres 341.
Coluber CCC59 v. Serpens
Columba v. Palumbus et Vinago
CC70. CCC1
Colymbus
arcticus 373
cristatus ib.
et cornutus ib.
v. Corvus mergulus.
Cometæ 501. CCCC34.
Conchites 25. XXII v. Ostracites
Conchylia varia v. Montes conchiferi.
Corallinus fluviatilis piscis. v. Carassus.
Corallites 45.
Cordiformis lapis 81.
Cornix.
cinerea 374. CC76.
nigra frugivora ib.
cærulea s. psittacea germanica ib.

Cornu fossile v. Unicornu
— a varia 14. 15
Ammonis 47.
Cornus arbor 268. Cg2.
Corvulus fluviatilis v. Capito
cæruleus Aldrovandi. 210
fluvii Hetrasi 211.
Corvus CC76
avis aquatica f. Mergus major et minor 374. 375.
Alpinus 375
niger vulgaris ib.
Corylus 268. CC08.
Cos lapis aquaticus 87. XXX8.
Coturnix 376. CC77 v. Ortygometra
Crabrones 344.
Crematum V. aqua vitæ
Creta 16. XII v. Rubrica
Cricetus 326. CC32.
Crudivori homines 450. CCC28
Cryeta 26. XV.
Crystallus 40. XXIII.
Cuculus 376. CC77.
Culices 344.
Cuniculus 328.
Cuprum 101. XLVIII.
Curruca 377. CC78
Cygnus 377. CC28
Cynosbatus Tragi 268.
Cyprinus
nobilis 211.
Cyprinus latus 213.
et parvus ib.

D.

Dama 300. CC17.
Delphinus 238.
Dendrites 50. XXIV. XXXIII.
Dentes v. Elephantidentes. Ossa.
Dorcas CC17 v. Capreolus.
Draco 234. CC46.
Dama flumen 196. C36.

E.

Ebur fossile 2. L v. Ossa.
Echinites 52. XXIV. v. Ombria
Edones 448.
Elderitz v. Bdella
Elephantidentes fossiles 2. v. Ossa
Enhydros 53.
Enorchis 87.
Entrochus 53. XXIV
Equus 332. CC40
ferus 310. CC17.
Erica humilis 269.
baccis nigris procumbens ib.
Erinaceus 326. CC33.
Erucæ 344. v. Papiliones
Erythrinus v. Rubellio.
Eschara 10.
Evonymus vulgaris 269.
pannonicus ib.

F.

Fagus 270. Cg3.

Index Rerum Notabiliorum

Falco 377. CC79 v. Girfalco
montanus 378
arborarius ib.
palustris ib.
mixtus ib:
Fames ingens 466. CCC60.
Fenestrarum prodigiosa pictura 500.
Ferrum 106. L.
i flores 107.
Fertilitas
Podolia 121. LXV.
Ukraina 122. LXVI.
Lithuania 123. LXX.
Prussia 124. LXXI
Russia merid. 122. LXVIII.
Volhinia 122. LXVII.
Figurati lapides 80. C31.
Flumina 193.
se abscondentia 203. v. eorum nomina propria.
Fluores 54. XXXV.
Famina multipara 439. CCC9.
Fontes v. Aqua.
accensibilis 178.
procellosi 179
foterii 187.
temporarii 180
mirabiles bituminosi C9.
Formica 344. CC63.
Fossilia 1
petrefacta varia 6.
Fraxinus 271 C93.
Fringilla 379. CC80
montana ib.
viridis ib.
Frumenti copia LXIV
ta Gedano importata 119
Fructus ad Elenchum non deducti 296.
Fucus marinus 8.
Fuci insecta 345.
Fundulus v. Gobius capitatus. 213.
Fulica CC80
minor 379
major 380.
Fulmen CCC96. CCCC. CCCCI
inum prodigiosi effectus 483.
Fungi 290.
terrestres CC7
marinus. 8.

G.

Gagates 55. XXIV.
Galachites 86.
Gallinago
minor Willughb. 381.
cinerea Stareola VII Schwenck. 381.
Gallinula CC81
melampus 380
palustris ib.
aquatica IV et VIII Gesn. ib.
Garrulus bohemicus 381.
Gemmæ 30. XVII.

Index Rerum Notabiliorum

Genista
angulosa et scoparia 271.
Genistella 272.
spinosa ib:
tinctoria ib:
Geodes 56.
Gigantes 446. CCC20
Girfalco Aldrov. 382. CC99
Glacias maria v. specularis Lapis
Glareola v. Gallinula.
1ma Schwenckf. 383.
Glossopetra 56. XXV.
Gobius fluviatilis 212.
capitatus 213.
Granatus 57. XXV.
Grando insolens 407. CCCC6.
Grossularia
spinosa 295
alba 273
fructu nigro ib:
uva crispa ib:
Gries 383. CC91.
Gryllus 345. v. Locusta
— o talpa ib
Gulo 311. CC18.
Gypsum 87. v. Alabastrum XXXVIII

H.

Hæmatites 58. XXV
Halyaëtus s. aquila marina 383.
CC93.
Hamster v. Cricetus.
Harengus 239
Heliotropium 60.
Herinaceus CC53 v. Erinaceus.
Hermelinus CC35 v. Mustela.
Hirudo. 346.
Hirundo 384.
domestica CC83
marina s. Larus 385 v.
Larus.
Horinia flumen 197. C36.
Hortulanus avis 386. v. Nivalis
Hyacinthus Gema 61.
Hydra, Hydrus, 338. CC51.

I.

Jaspis 61. XXV.
Imagines Lapidum figuratar. 82
Imaginationis effectus in prægnantibus 411. CCCXI.
Insecta 342. CC56. v. Seta aquatica et reliqua nominibg propriis
Insulæ natantes
Ispida s. alcyon mutus 386.
Judaicus lapis 63. XXVI.
Juniperus 273. C95.

K.

Kleinius J. Th. passim citatus.
fasciculus plantarū 143.
testacea ad Elenchum reducta
168.

L.

Labyrinthi v. Crypta
Lac Lunæ 159. CC7

Index Rerum Notabiliorum

Lacertus 338. CCS3.
Lacus 223 v. Stagna.
in majori Polonia CS3
Cujavia 228. CS8.
Prussia 225. CS6
Varmia 227. CS9
Volhinia 225.
Lithuania 227. CS9.
Livonia australi 228.
Lampetra fluviatilis 213. 240. C34.
Lanius CC05
major minorq varius 387
rutilus 388
rufo-cinereus ib:
cinereus maximus ib:
Lapides figurati 80. XXXIII.
vulgares 85. XXXVII
Larius 275. C96.
Larus v. Hirundo, Merganser.
major cinereus 390.
minor ib: CC86.
niger 389
cinereus, rostro pedibusq; rubris ib:
minima Kl. hirundo marina 390.
Latulus 241.
Laureola folio deciduo 276.
Lazuli lapis 64. LIII.
Ledum Matthioli 276.
Lepas 311. CC19.
Libella 346.
Lignum fossile 4. III.
petrefactum v. Lithoxylon v.
Linaria CC86
rubra 390
major ib:
minor 391
viridis ib:
vulgaris (Anùnfuslig) 390
Litteralis lapis 83.
Litharggrum 105. L.
Lithoxyla 5.
Lithophyta fossilia 6. 51 v. coralliten
Locusta 347. CC50.
Longavi 436. CCC5.
Loxia 391. CC86.
Lucius 213. C51
Lucio-perca 214. C43
Lumpus 241.
Lupus 312. CC19
Luscinia 391. CC86
Lutra 313. CC21.
Lynx 313. CC22.

M.

Madrepora 9.
Magnes 65. XXVI.
Malachites 69
Marcasita 110
Mare balthicum 231. C65
Marena 214.
Marga 21.
Margaritæ 66. XXX.

Index Rerum Notabiliorum

Marmora 68. XXXVI
Martes 314. CC22 v. Mustela
Melanteria 103.
Mel
tis copia 490. CCCCXII
Mellens ros f. Melligo 493.
Meles 315. CC23.
Merganser 392.
Mergus 392 CC87.
cristatus et niger ib
major cirrhatus minor et
fuscus 393.
Merops 393. CC87.
Merula alpina et torquata 392.
CC87.
Metallam 98. XLIII
Meteora 475. CCC92.
Milleyora 9.
Milvus CC87.
regalis 394.
albus 395.
æruginosus ib.
Minium 111
Molaris lapis 88. XXXVIII
Monedula 395. CC88.
Mons. 157. XCVIII.
tes carpatici 158. XCIX.
et colles conchiferi 161.
Vetula 159.
Pilsko 161
ætatis pregnans 175.
Mons Gregorzovice 176
Kamińska Gora 177.
tes varii C3.
Monstra humana 460-464. CCC49
bellaina 464. CCC56. CCC58.
volatilium et aquatilium
CCC58.
vegetabilium 465. CCC60.
Motacilla, alba, flava et cinerea
396. CC88.
Muchavecum flumen 197.
Mus 320 v. Pouch.
Avellanarum 315.
ponticus volans 315 v. Sciurus
volans.
—— Græcus 318
alpinus 327. CC33.
Noricus ib. CC35.
Muscæ 349
Muscipeta avis 397.
Museus marinus 9.
Mustela
Sobella 317. CCC36
alba hermelina 328. CCC35
præcincta ib:
Myrtillus germanica 277.

N.

Nehringa Insula 258. C74.
Nihil album v. Pompholix.
Nisus v. Spermerius.

Index Rerum Notabiliorum

Nitrum 94. XL.
Nivalis avis CCC88 v. Hortulanus
Nix copiosissima 409. CCCC9
Noctua CCC88 v. Bubo
  saxatilis 390
  aurita 398
  alba et minor ib.
Nucifraga 399
Nummi fossiles 24.

O.

Ochra XI v. Terra.
Odontopetra 84.
Olera v. Planta
Oleum terra v. Petroleum
Olla V.
  fossiles v. Urnæ.
Ombria LXX v. Echinites
Onocrotalus Pelicanus 399. CCC88
Onyx 70. XXVII.
Oolithus v. Ammites
Opalus 71.
Ophidion Ringelslange 242.
Orthoceratites v. Cornu Cervi caudæ lapides
Ortygometra 400 v. Coturnix
Osso
  fossilia 13 v. Ebur VI
  gigantum 13
Osteocolla 17. XI.
Ostracites 72. XXII v. Conchites
Otis f. tarda 401. CCC9
Oves 332. CCC42.
  sylvestris 320.
Oxyacantha 277.

P.

Pœcilias bisbus 215.
Palumbus CCC90
  torquatus 401
  minor ib.
Panis Damonis 84. XXXIV
Pardus piscis 243.
Parelia 497. CCCC20
Parus CCC90.
  nidum suspendens 402 Remiz CCC94.
  cæruleus 403.
  carbonarius ib.
  fuscus 404.
  cristatus ib.
  caudatus ib:
Passer
  marinus
    asper 243
    lævis ib:
    Blatteus 244
    Barbott ib.
Passer avis.
  torquatus 405
  domesticus 406. CCC91
  troglodites 405. CCC90.
  montanus 406.

Passer arundinarius 406. CCgo
solitarius 407. CCgi.
Passeria flumen 199
Pelicanus Löffelgans s. Platea 407.
Perca
fluviatilis major et minor 215
marina major et minor 244.
Perdix
cinerea 408. CCgi.
rustica major Waldhuhn
409. CCg2.
media 410
minor ib.
alba 411.
rostris pedibusq rubris in Podolia 409.
Pestis 467. CCC73.
Petrefacta v. Fossilia
Petronella 411.
Phoca 244. C71
Phocaena 245.
Phoxinus v. Bdella.
Pica
Varia 412 Elster CCo2
alba ib.
glandaria ib. CCg2.
Picus Spech CCg2.
maximus niger 413
viridis minor et major ib.
varius 414.
murarius ib: v. Torquilla
Piedra d'Aventura 32.
Pilica flumen.
Pinaster montana 3 Bauhini. 201. C97
Liun bäume 270
Pinus
carpatica 279
sylvestris. C.B. 238
Pisces C50.
aquae dulcis 204.
maris baltici 235. C68
is anonymus in Prussia 252
Platea v. Pelicanus.
Planta officinales 126. LXXIX.
in Prussia 127
Podolia 130
Ukraina 131
Volhinia 132.
Prussia rubra 134
Lithuania 135
montibus carpaticis 137.
hortenses v. Klein 137. XCIII. XC7
culinariae 139. XCIV.
Plica polonica 468. CCC77
Plocena flötz 216.
Plumbum 104. XLIX
Pluvia abundans 405. CCCCz.
Pluvialis avis v. Vanellus
viridis 415
cinerea ib:
pardalus 416.
Polymorphos lapis 80.

Index Rerum Notabiliorum

Pomas 203. CC8.
Propatus flumen 198.
Populus arbor
alba 203. CC
nigra 204 ib:
tremula 205 ib.
humilis ib.
Porcellus indicus 333.
Porcus. 333. CC43 v. Aper
Porus 10. v. Retepora Eschara
Pouch Passerum mus 329
Pripetus flumen 198. C39
Proles numerosa 440.
Promnica flumen 199.
Prunella avis 416.
Prunus sylvestris 205. CC8.
Psittacus v. Cornix.
Pulex marinus Rondel. 234.
Pungitius s. Spinacha Nußbäum 217.
Putorius 329. CC36.
Pyrimachus 88 sive
Pyrites culinaris 53.
Pyrrhula v. Rubicilla
Pyrus 205. CC8.

Q.

Quarbum 89
Quaxxu v. Mustela piscis.
Quercus 206. CC
Querquedula 416. CC93.

R.

Radania flumen 199. C40.
Rana CC56
arborea 341
calamites 342.
hortensis ib.
lutaria 341
temporaria 342
aquatica 341
viridis ib:
Rangifer 318.
Regulus CC93
cristatus 417
non cristatus ib:
Retepora 10.
Rhamnus 207.
Rhombus
aculeatus 246.
Rivi v. flumina.
Robusti Viri 442.
Ros flumen 199.
melleus 493
Rubecula 418.
Rubellio 212.
Rubeta v. Bufo
Rubicilla s. Pyrrhula 419.
Rubinus 72. XXVII
Rubrica fabrilis 19
Rubus Idaeus 208. CC2.
Rupicapra 319. CC23
Rutilus Rothaugen 236

S.

Sabina sterilis 208.

Salia 93. LIV.
Salis
fodinæ 113
flores 114
gemmæ 113.
Salicaria 419
Salix 200 - CC2
Salmones 247. C34
Sambucus 290. CC3
aquatica 276
Sangvisuga v. Hirudo
Sapphirus 73. XXVIII
Sardias 73
Saxa 69. XXXVIII
Scandulaca 419. CCCC95
Scarabæi 349. CC63
Schistus v. Stomatites
Sciurus 320. CC24
volans 315. 316
Pfuerling v. Cobitis
Scombrus 246.
Scorpius marinus 249. C69. sub nomine Gallus marinus CC45.
Serpens petrefactus
Seta aquatica 350
Silurus 216. C38
Simulacra aërea CCCC26 v. Spectra
Sluczflumen 199.
Smaragdus 75
Smerillus avis 420
Smotricz flumen 199
Sobella v. Mustella
Sola fluvius 200
Sorbus 290. CC3
Spatum 92
Specularis lapis 76. XXIX
Spectra s. simulacra aërea 499. CCCC26.
Spernerius 420
Spinachia v. Pungitius
Spina infectoria Matthioli 291 CC3.
Spinus s. Zizela Zeisel 420
Spirinchus Stint 218.
Squilla 250
Stagna 229 C61 v. Lacus
Stalactites Stalagmites 77. 78. XXIX
Stannum 106. XLIX
Staphylodendron 292. CC3
Stangenkoppe v. Ophidion
Stella marina 10. 234.
Stellaris lapis v. Asteria
Stelechites 61.
Stigmites 79.
Stint v. Spirinchus

Index Rerum Notabiliorum

Stipola lutea III. Aldrov. 420
Sirus fluvius 200
Stoparola avis 421
Sturnus ib.
Succinum 254. C76
Suhak, ovis sylvestris 320. C21.
Suica fluvius 200.
Sulphur 95.
Sylva 261.

T.

Talcum 79. XXIX
Talpa alba 329
nigra CC36
Tamariscus 292. CC3
Tarda v. Otis
Tasmina fluvius 200
Tavola polonica frutex 292 CC1
Taxus 293. CC4.
Terra figulares 20. XII.
medicata 15. X
Sigillata 16. X
Saponaria 17.
Fullonia 17
Cimolia 16
pictorum 16. 18. XI
viridis 19.
rubra et lutea ib:
Terra odorata 17.
a fertilitas in Podolia 121. LX
Ucraina 122.
Volhinia 122.
Prussia mer. 122
Lithuania 123
Prussia 124.
Terra motus 198. CCCC21.
Testudo 222. C53
Tetrao v. Urogallus
Thryssa Rond. Iuvia 219.
Thymallus 218.
Tilia 293. CC1.
Tinia 219
marina 251
Tobianus 251.
Topasius 79.
Tophus 92. XXXVIII
Torquilla 422.
Tripala 22.
Trutta 219
Tubularia 11.
Vermicularis 12.
Tubuli marini 12.
Turdus
maximus 423. CC96.
pilaris ib:

Index Rerum Notabiliorum

Turdus minor 424
musicus ib:
Turfa v. Cespites
Turia fluvius 200
Turtur 425 CCCA.
Tyras fluvius 200. C42

U. V.

Vanellus 425. CC96 v. Fluviatilis.
Vermes 350. C64.
Vervex 332.
sylvestris v. Suhas
Vespa 350
Viburnum 294. CC5
Vinago s. Columba arborea 426
Virga sanguinea Arsini 294. CC6
Viscum 296. CC5.
Vistula 201. C45.
Vipera 338. CC54.
Vitis Idaea 294.
Vitriolum 95. XLI
Vitrivori 450.
Vivaria 324. CC31.
Ulmus
montana et sylvestris 295. CC05.
Undulatus Lapis 84.
Unicornu fossile. IA. VIII.
Upupa 427. CC97.
Urnae
Sepulchrales 22. XIII. v. Olla.
Urogallus CC97.
minor 421.
major 427.
Ursus 321. CC20
Urtica marina v. Zoophyta
Uras 323. CC28.
Uviformis Lapis 84.
Vulpes 324. CC31.
Vultur 420. CC97 v. Accipiter
albo capite 429.
cinereus 430.
leporarius 429.
ruber 430.

W.

Wda fluvius 201.
Wieprz fluvius 201.
Wilia 201.

X

Xiphias s. Gladius.
pisces 252.

Index Rerum Notabiliorum

Z

Zeerte v. Thryssa

Ziege v. Capella
Zizela Zrisel v. Spinus
Zoophyta 233.

FINIS.

POLITECHNIKA GDAŃSKA
BIBLIOTEKA CENTRALNA

POLITECHNIKA GDAŃSKA
Z ZASOBÓW
POLITECHNIKI GDAŃSKIEJ
T.500022